ACTA
SS. JANUARII
ET SOCIORUM MM.

ACTA
SS. JANUARII
EPISCOPI,

SOSII, FESTI ET PROCULI DIACONORUM, DESIDERII LECT., EUTYCHIS VEL EUTYCHETIS ET ACUTII MARTYRUM.

PUTEOLIS IN CAMPANIA FELICE

Commentario & notationibus illuſtrata

A

JOANNE STILTINGO,

E SOCIETATE JESU PRESBYTERO THEOLOGO.



ANTVERPIÆ,

Apud BERNARDUM ALBERT. VANDER PLASSCHE.

M DCCLVII.

Cum privilegio & approbatione.

II183682



Ž 2174/1948

EXCELLENTISSIMÆ

URBI NEAPOLITANÆ

EXCELLENTISSIMISQUE DOMINIS

EJUSDEM URBIS

ELECTIS SEPTEMVIRIS

AC THESAURI S. JANUARII

DEPUTATIS DUODECIMVIRIS

JOANNES STILTINGUS

FELICITATEM.



Cta *S. Januarii*, episcopi martyris, præstantissimi patroni vestri, ejusque Sociorum martyrum, quæ seperato volumine imprimenda curavi, Urbi Vestræ ac Vobis potissimùm dicare debeo, Viri Ex-

Excellentissimi, quorum benevolentiâ ac munificentiâ non pauca in iis colligendis ornandisque nactus sum adjumenta. Lubens profectò agnosco, & coram orbe erudito profiteor, tantam in coacervandis documentis fuisse liberalitatem Vestram, ut nec sumptibus parcere volueritis nec laboribus. Elegistis hunc in finem viros aliquot insigni eruditione ornatos, qui vetusta quælibet Acta aliaque monumenta, ad hos Sanctos spectantia, diligenter conquirerent, & ad usum nostrum exscribenda curarent. Imagines vetustiores *S. Januarii*, pictas sculptasque, pretiosas ipsius reliquiarum thecas, hermas, fercula, aras eidem dicatas & sacella, eleganti scalpro incidi jussistis & imprimi, ut ad Operis ornatum oculis lectorum objicerentur. Testimonia maximè authentica de prodigiis sanguinis *S. Januarii*, ejusque cautissima contra omnem fraudem conservatione, non solùm administrorum Vestrorum ac notario-

riorum operâ nobis ſubminiſtrari voluiſtis; ſed Veſtro etiam opere ad omnia notario exponenda cum Eminentiſſimo Cardinali Archiepiſcopo concurrere, atque omnem de ſacri capitis ac prodigioſi ſanguinis conſervatione, eductione, tranſlatione & miraculis, narrationem Excellentiſſima auctoritate Veſtra ſtuduiſtis confirmare. *Hæc aliaque plura*, quæ publicis expenſis peragenda decreviſtis, VIRI EXCELLENTISSIMI, omnino effecerunt, ut ad Acta celeberrimi Patroni Veſtri diligenter copioſéque illuſtranda nihil mihi deeſſe poſſet, præſertim cùm etiam plurima, aliis locis collecta, de *S. Januario* & Sociis jam in ſcriniis noſtris ſervarentur, & ſcriptores Neapolitani de ſancto civitatis Veſtræ Patrono multa in libris ſuis diſſeruiſſent. Acceſſerunt tamen & privato eruditorum ſtudio ad elucidandas aliquot controverſias nonnullæ Diſſertationes ſcriptæ, quibus ſubinde adjutum me non diffiteor. In hiſce

ve-

verò jucundum mihi accidit, quòd per adjunctas litteras diſertis verbis monebar, ne exiſtimarem Veſtri eſſe conſilii, ut cujuſcumque privati ſcriptoris opinionibus inhærerem, ſed potiùs liberè edicerem, quid nobis de ſingulis videretur. Æquiſſima, inquam, hæc monitio, quantumvis nobis minimè neceſſaria, mihi ſanè advenit jucundiſſima, quandoquidem intellexerim, me pace Veſtra facturum, quod per legem vera inveſtigandi, conſtanter nobis propoſitam, non poſſumus non facere, ubi veritas ſatis ſe videtur manifeſtare. Ex hac etiam æquitate Veſtra, EXCELLENTISSIMI DOMINI, in ſpem certam inducor, non diſplicitura Vobis, quæ de geſtis & gloria poſthuma *S. Januarii* Sociorumque martyrum diſſerenda cenſui. Cùm enim dubitare nequeam, quin diligentiſſima Veſtra de hiſce cura ad *S. Januarii* gloriam tendat; prorſus mihi perſuadeo, Vos cum gaudio perſpecturos, illuſtria *S. Januarii*

nuarii decora, quæ communi ſcriptorum Veſtrorum conſenſu recepta ſunt, noſtro etiam judicio probata fuiſſe & confirmata. Ad ſingula quidem more noſtro examinanda ſine præjudicio acceſſi, ut vera à falſis, dubia à certis, quantùm diligenti inquiſitione fieri poteſt, accuratè ſecernerem; & non pauca quorumdam levioris momenti aſſerta coactus ſum improbare, imò & populares aliquot traditiones, quibus omnes civitates abundant. At omnia illa, quibus gloria Patroni Veſtri inclaruit, iis auctoritatibus & rationibus fundata inveni, ut ſano judicio rejici non poſſint aut improbari. Longum eſſet ſingula, quæ in Actis probata ſunt, hîc iterum enumerare. Lubet tamen breviter declarare, magna me cum voluptate perſpexiſſe, quàm pretioſum Vobis eſſe debeat *S. Januarii* patrocinium, præſertim contra ignitas periculoque plenas montis Veſuvii eruptiones. Teſtimoniis enim

fide digniſſimis, cùm vetuſtis tum recentibus, planè compertum habemus, manifeſta ingentis ruinæ pericula Urbi Veſtræ frequenter ab ardenti Veſuvio imminuiſſe, eaque, invocato Sancti patrocinio, feliciter evanuiſſe, & aliquando etiam breviſſimo temporis intervallo. Hæc ſanè beneficia, integræ eique maximæ ac populoſiſſimæ civitati collata, tantò illuſtriora ſunt privatorum aliquot ſanationibus (licèt neque his Acta *S. Januarii* careant) quantò ſalus ingentis Urbis præferenda eſt paucorum hominum conſervationi: tantò notiora teſtatioraque, quantò ad plurium notitiam oculato multorum teſtimonio pervenire ſolent, quæ in conſpectu immenſi populi contigerunt. Hujus verò patrocinii, ad noſtra uſque tempora continuati, quo ne caruiſtis quidem, quando major pars corporis Beneventum erat delata, quaſi perpetua Vobis indicia præbere videtur Sancti Sanguis, prodigiis

digiis ſuis celeberrimus. Quàm verò mirabiles ſint variæque liqueſcentis *S. Januarii* ſanguinis mutationes, quas viri pietate & eruditione præſtantes à tribus ſaltem ſeculis celebrârunt, teſtatur tota Neapolis, tota Italia, Europa ferè univerſa. Si qui Catholici longè diffiti de miraculis illis utcumque dubitant, id contingit, quòd omnia ad ſanguinem Patroni Veſtri attinentia minùs habeant perſpecta. At hi, ſi prudentes fuerint, de rebus ſibi incompertis judicium non ferent contra innumeram multitudinem, cui ſanguinis liqueſcentis miracula ſunt perſpectiſſima. Si verò audacter negare voluerint, quod ignorant; temeritatis ac pertinaciæ notam nequaquam effugient. Facient hoc quidem ex heterodoxis non pauci, & fortâſſe nonnulli, qui ſolo ferè nomine fidem profitentur Catholicam. At vos, VIRI EXCELLENTISSIMI, temeraria ejuſmodi hominum judicia meritò contemnetis. Multi ex illis exiſtimant,

mant, ſupra vulgus ſe ſapere, ſi miracula omnia pertinaciter negant; nec attendunt inſulſi homines, inſaniæ potiùs eſſe, quàm ſapientiæ, innumeris hominibus probitate & eruditione præſtantibus, quorum teſtimoniis miracula plurima aſſeruntur, fidem pertinaciter abrogare; aut quaſi divinæ miſericordiæ leges præſcribere, ne faciat poſterioribus ſeculis miracula, quæ & ante Chriſtum natum frequenter patravit, quæ & per Chriſtum & Apoſtolos patrata ſunt plurima, quæ & per credentes patranda Chriſtus ipſe promiſit. Contemnetis igitur ejuſmodi hominum judicia, ſi judicia illa dicenda ſunt, & non potiùs aſſerta temeraria, quæ non ex matura animi ſententia, ſed ſolùm ex ore contentioſo proficiſcuntur. Tales certè erant calumniæ Phariſæorum, qui certiſſimis Chriſti Domini miraculis petulanter obloquebantur. Tales veriſimiliter fuerunt heterodoxorum quorumdam contentiones,

nes, qui eruditiſſimos Eccleſiæ doctores, Auguſtinum, Ambroſium, omneſque univerſim ſanctos Patres, ne miracula ab iis relata cogerentur admittere, ut fabulatores, ut mendaces, ut ſacrilegos, traducere ſuſtinuerunt. Quis enim credat, maturo judicio ac veritatis amore homines litteratos ad calumnias tam atroces *perductos* ? Quis non potiùs exiſtimet, nimio contendendi ſtudio in præcipitium abreptos ? Tales rurſum videntur, qui non minore ſtultitia, quàm impietate, dæmones omnium miraculorum facere voluerunt auctores. Nam difficulter credi poteſt, hominibus vel mediocriter eruditis perſuaſum fuiſſe, quod illi temeraria contentione effuderunt ; niſi tamen illis fortè accidit, quod gentilium philoſophis attribuit Apoſtolus. Certè nonnulli noſtris quoque temporibus, dum quaſi nullam divinæ potentiæ habent rationem, ea quandoque proferunt ratiocinia, ut à gen-

ti-

tilium philoſophorum delirationibus non multùm abhorrere videantur. Non deſunt etiam, EXCELLENTISSIMI VIRI, inter heterodoxos, qui aliis ratiociniis miracula ſanguinis *S. Januarii* impugnare ſtuduerunt; ſed Andabatarum more ad pugnam progreſſi, cæcos prorſus intulerunt ictus. Alii temerè dixerunt, fraudulento artificio motum fervoremque in ſanguine *S. Januarii* excitatum: nec cogitârunt calumniatores, non minùs ſtupidi, quàm maligni, viros millenos, natalium nobilitate illuſtres, dignitatum ſplendore eminentes, morum integritate conſpicuos, ſic ſine ullo argumento accuſari de crimine atrociſſimo, per tria ſaltem ſecula continuato, & de tali crimine, ad quod ob cautelam diligentiſſimam ne veturſiſſimo quidem nebuloni patere poſſit acceſſus. Alii recurrerunt ad ſympathias & antipathias, eaſque omni experimento deſtitutas, imò experimentis omnibus æquè ac rectæ

ra-

rationi contrarias. Alii calorem ſtatuerunt cauſam, quâ *S. Januarii* ſanguis liqueſcat & bulliat; alii aëris influxum. At utrique nec experientiam nec rationem habuerunt ducem, ſed præcipiti judicio protulerunt, quod de re incomperta in mentem venerat. Alius mixturâ artificiosâ mirabiles ſanguinis *S. Januarii* mutationes imitari conatus eſt, oſtenditque ſemel in tribus ampullis aliquid utcumque ſimile miraculis illis, quæ Vos Majoreſque Veſtri à tribus ſeculis in unica ampulla obſervâſtis. Verùm, ſi me audire voluerit peritus ille medicus, non utetur ampliùs ampullis ſuis, ut Vobis aut miraculis *S. Januarii* irrito conatu illudere ſtudeat. Neque enim ob aliquod experimentum, una ſolùm ex parte ſimile, multis verò diſſimile, ullus prudentum credere poterit, Vos Majoreſque Veſtros ſimili arte per ſummum ſacrilegium fuiſſe luſos, fraudemque ſacrilegam tribus ſeculis

lis numquam fuiſſe deprehenſam. Nec ſanum de credulitate orbis univerſi medicus ille tulit judicium, ſi credidit, ſe multis tam facilè perſuaſurum adeo incredibilia: nec rectè de arte ſua judicavit, ſi putavit, numquam tribus ſeculis defuiſſe Neapoli ejuſmodi artifices, eoſque omnes fuiſſe homines nequiſſimos & ſacrilegos. Certè nullus, cui ſanum eſt judicium, illa pro veris admittet. Deum verò per omnes generationes miracula facere non deſtitiſſe, facilè credent prudentes omnes, cùm divinis humaniſque teſtimoniis & perpetuâ experientiâ ſeculorum omnium, ut id credant, inducantur. Quapropter Vos, Viri Excellentissimi, qui miracula Patroni Veſtri habetis perſpectiſſima, ridetis procul dubio argumenta inſulſa, quibus leviſſimi homines ea impugnare ſuſtinuerunt; niſi tamen pro Veſtra pietate lugendam magis exiſtimatis contentioſam hominum temeritatem. Interea San-

Sanctum, cujus à multis ſeculis Civitas Veſtra potenti gaudet patrocinio, magna religione pietateque colitis. & celebratis. Hanc Veſtram in *S. Januarium* pietatem teſtantur feſtivitates annuæ, quas & multa religio exornat, & munificus ſplendor illuſtrat. Multitudo ædium ſacrarum, quæ *S. Januarii* titulo, partim in Urbe Veſtra, partim *in locis* ſuburbanis ac vicinis, omnipotenti Deo conſecratæ ſunt, illam quoque Neapolitanorum pietatem abundè manifeſtat. Ad hanc illuſtrandam accedit magnificentia ædis ſubterraneæ, in qua corpus Sancti jacet depoſitum; & vel maximè ſplendidiſſimum Theſauri ſacellum, quod ære publico exſtructum, caput & ſanguinem *S. Januarii* cum plurimis Sanctorum reliquiis conſervat, opeſque Excellentiſſimæ Urbis Veſtræ ditiſſimo ornatu declarat. Infinitus ſim, ſi enumerare voluero omnia, quæ ad honorem Patroni Veſtri piè excogitâſtis, religioſè perfeciſtis,

ſapienter decreviſtis, munificè expendiſtis; ſi inveſtigare monumenta omnia, quibus Vos eidem gratos de acceptis beneficiis præbuiſtis; ſi exponere inſignem fiduciam, quâ tota Neapolis in anguſtiis, in terroribus, in periculis, in neceſſitatibus omnibus, ad opem *S. Januarii* recurrit, ejuſque patrocinium efflagitat. Liceat unico verbo edicere, præſentiſſimum à multis ſeculis Neapoli fuiſſe *S. Januarii* patrocinium; Neapolitanos viciſſim fuiſſe & etiamnum eſſe eximios beneficentiſſimi Patroni ſui cultores. Itaque hæc Acta, quæ Veſtris obſtrictus beneficiis, Excellentiſſimæ Urbi Veſtræ ac Vobis, EXCELLENTISSIMI DOMINI, prorſus debeo, tantò majori cum voluptate offero, quantò magis perſpicio, de *S. Januarii* gloria & cultu mirè Vos eſſe ſollicitos. Tantò etiam magis ſperare audeo, ea Vobis non diſplicitura; quantò certiùs confido, Vos non minùs veritatis, quam ubique inveſtigare ſtudui, amantiſſimos eſſe,

ſe, quàm honoris Patroni Veſtri. Ceterùm quæ Urbis Veſtræ Veſtroque nomini venerabundus dedico, eo, precor, animo ſuſcipite & favore, quo omnia ad honorem *S. Januarii* attinentia ſoletis complecti.

AP-

APPROBATIO

LEgi Acta SS. Januarii &c. à R. P. Joanne Stiltingo Societatis Jesu Presbytero Theologo diligenter conquisita & conscripta, in quibus nihil orthodoxæ fidei aut moribus contrarium reperi: quare eadem luce publicâ digna censeo. Datum Antverpiæ XII *Novembris* MDCCLVII.

J. F. DE BRUYN Præses Seminarii Episcopalis, S. T. Licentiatus, Cathed. Ecclesiæ Can. Grad., Examinator Synodalis, Lib. Censor.

PRIVILEGIUM REGIUM, uti & FACULTAS R. P. PROVINCIALIS ac demum PROTESTATIO AUCTORIS, quâ in hac lucubratione servatas vult Urbani PP. VIII Constitutiones, pro insertis hîc habenda sunt legique possunt ante tomum VI de actis Sanctorum mensis Septembris, cujus hæc SS. Januarii & Sociorum Acta partem constituunt.

INDEX

INDEX

Paragraphorum & Capitum.

PRæfatio de documentis Neapoli collectis. 1.

§ I. Celebre nomen S. Januarii & Sociorum in Faſtis aliiſque monumentis antiquis: annuntiantur diebus pluribus, & ſubinde aliqui ſeorſum. 4.

§ II. Acta varia: primorum collatio & examen 16.

§ III. Acta à Joanne Diacono ex antiquioribus compoſita, unà cum Tranſlatione S. Soſii: plura tranſlationum Acta, & quo ordine omnia edenda: Acta Græca fabuloſa, Vitæ recentiores. 33.

§ IV. Acris de S. Januarii patria eſt controverſia inter Beneventanos & Neapolitanos: priorum argumenta expenduntur. 48.

§ V. Argumenta Neapolitanorum, diuturna traditione natales S. Januarii urbi ſuæ vindicantium: horum ſententia videtur ſequenda. 67.

§ VI. Nobilitas S. Januarii: initium epiſcopatûs incertum: de locis, tempore, aliiſque adjunctis martyrii ipſius & Sociorum diſſeritur. 75.

§ VII. Sepultura S. Januarii & aliorum: tranſlatio prima S. Januarii, & omnium Sociorum. 85.

§ VIII. S. Januarius multis miraculis Neapoli clarus, transfertur Beneventum, & cum Feſto & Deſiderio, ad urbem tranſlatis, deponitur. 98.

§ IX. Reliquiæ aliquæ Januarii, Proculi, Eutychetis & Acutii ſeculo IX, ut fertur, delatæ ad Augiam divitem: SS. Eutychetis & Acutii tranſlatio Neapolim, uti etiam S. Soſii. 107.

§ X.

§ x. S. Januarii favor in Neapolitanos: corpora ipſius, Feſti ac Deſiderii transferuntur Beneventi ad novam eccleſiam, deinde ad Montis Virginis monaſterium. 122.
§ xi. Corpus S. Januarii in monaſterio Montis Virginis inventum, & deinde Neapolim tranſlatum: recentiora Sancti beneficia. 130.
§ xii. De eccleſiis, ſacellis, altaribus, & reliquiis S. Januarii, quæ variis locis ſervantur. 145.
§ xiii. Proſecutio ejuſdem materiæ de eccleſiis & reliquiis S. Januarii & Sociorum martyrum. 161.
§ xiv. Proſecutio de S. Januarii & Sociorum reliquiis, eccleſiis &c. 176.
§ xv. Variæ S. Januarii feſtivitates Neapoli, aliaque ad cultum ipſius etiam per totam Eccleſiam ſpectantia: patronus totius regni Neapolitani habetur. 186.
§ xvi. De numiſmatis aliquot in honorem S. Januarii cuſis. 200.
§ xvii. Utrùm eccleſia Neapolitana aliquando habuerit epiſcopum Græcum Latino ſubditum, qui Græcorum haberet curam. 212.
§ xviii. Inquiritur, quo loco caput & ſanguis S. Januarii fuerint conſervata: oratorium apud eccleſiam cathedralem ſeculo ix à S. Athanaſio conſtructum, eique illatas dictas reliquias, non probatur. 229.
§ xix. Inquiritur, utrùm eccleſia cathedralis aliquando S. Januario, cujus nomen ſeculo xii & xiii geſſit, fuerit dicata: caput & ſanguis Sancti ibidem ſervata, incertum à quo tempore. 248.
§ xx. Caput S. Januarii pretioſâ thecâ recluſum, uti & alterâ ampullæ ſanguinis: conſtructum ferculum, quo ſanguinis ampullæ circumferuntur, & antiquum Theſauri ſacellum. 260.

§ xxi.

§ xxi. Caput S. Januarii in pervigilio tranſlationis ad aliam eccleſiam ferri ſolitum & referri ad cathedralem ſine ſanguine: an epocha ſanguinis primùm liquefacti ex eo aliiſque utcumque colligi poſſit. 271.
§ xxii. Mirabilis S. Januarii Sanguinis liquefactio & ebullitio, cujus initium nequit certò aſſignari. 280.
§ xxiii. Novum Theſauri ſacellum ex voto conſtructum. 299.
§ xxiv. Pacta conventa inter archiepiſcopum & civitatem de reliquiarum expoſitione: earumdem tranſlatio in novum Theſauri ſacellum, diligens conſervatio, annuæ in proceſſione tranſlationes. 307.
§ xxv. Teſtimonium authenticum de conſervatione capitis ac ſanguinis S. Januarii aliiſque ad illa ſpectantibus. 318.
§ xxvi. Exponuntur viciſſitudines aliquot liquefcentis S. Januarii ſanguinis, mutationeſque ſubitæ. 328.
§ xxvii. Ex Diario Neapolitano referuntur expoſitiones extraordinariæ, partim factæ in gratiam illuſtrium perſonarum, partim ob neceſſitates publicas. 340
§ xxviii. Eventus varii in expoſitionibus ſanguinis S. Januarii per dies ſtatutos ab anno MDCIX. 353
§ xxix. Oſtenditur luculentiſſimis teſtimoniis, gratiam miraculorum perſeverâſſe in Eccleſia: inauditæ calumniæ Joannis Clerici id impudenter negantis. 367
§ xxx. Reſolutio & ebullitio ſanguinis S. Januarii miraculum eſt, quod naturæ vires excedit. 387
§ xxxi. Refellitur ultima objectio, contra miracula

cula S. Januarii reliquaque omnia acriter intorta. 409
Acta Auctore anonymo. Ex codice noſtro Ms., & altero Rubeæ Vallis, collatis cum aliis Mss. & editis. 421
Appendix. Ex editione Falconii, cum tribus Mss. collata. Prima omnium tranſlatio, maximè tamen Feſti & Deſiderii. 434
Acta mendoſa. Ex editione Mazochii. 439
Acta S. Proculi &c. Ex duobus Mss. Puteolanis. 447
Acta Auctore Joanne diacono eccleſiæ S. Januarii. Ex Mss. Neapolitano & Romano tabularii Vaticani, collatis cum editionibus Surii & Falconii. Prologus. 454
Caput I. Geſta S. Soſii & amicitia cum S. Januario: captus Soſius fortiter ſe gerit, uti & Proculus, Eutyches & Acutius, coram Dracontio judice. 458
Caput II. Januarii, Feſti, & Deſiderii certamina Nolæ coram novo præſide Timotheo: tres illi Puteolos ducti, ubi omnes, fruſtra beſtiis objecti, capite cæduntur. 468
Caput III. Inventio corporis S. Soſii & tranſlatio Neapolim: miracula ſecuta. 475
Homilia de Miraculis S. Januarii. Ex Ms. Collectione Chioccarelli, collata cum codice Vaticano & editionibus Caraccioli & Falconii. 496
Tranſlatio SS. Januarii, Feſti & Deſiderii Auctore anonymo Beneventano. Ex Ms. Chioccarelli, collato cum aliis Neapolitanis, cum codice Vaticano, & cum editionibus Caraccioli & Falconii. 512
Tranſlatio SS. Eutychetis & Acutii, Auctore Reynerio. Ex duobus Mss., collatis cum editis Caraccioli & Falconii. 525

ACTA

CHOROGRAPHIA REGIONIS NEAPOLITANAE, PUTEOLANAE, Misenatis, Cumanae etc.

1. Ecclesia S. Januarii extra moenia.
2. Sebetus fluvius.
3. Portus novus.
4. Megaris sive arx ovi.
5. Collis Antinianus.
6. Mergellina.
7. Pausilypus.
8. Pausilypi Prom.s
9. Villa Vedii Pollionis.
10. Euboea Scopulus.
11. Crypta Sejani.
12. Crypta Puteolana.
13. Sepulcrum Virgilii.
14. Lacus Anianus.
15. Thermae S. Germani.
16. Sulphuraria, sive Forum Vulcani.
17. Via Puteolana, sive Neapolitana vetus.
18. Via Puteolana hodierna.
19. Regio Balneolana, ibique Lucii Luculli Villa. * Mons Spina.
20. Leucogaei Fontes.
21. Astruni.
22. Colles Leucogaei.
23. Marcianum.
24. Eccles. S. Januarii coenob. Capucin.m
25. Pilae sive moles.
26. Mons novus.
27. Lucrinus Lacus.
28. Via Domitiana.
29. Mons Gaurus.
30. Amphitheatrum Puteolanum hodie S. Januarii Carceres.
31. Lacus Avernus.
32. Palus Acherusia, hodie Fusarius Lacus.
33. Arcus Felix.
34. Fossa Neronis, hodie Lacus Licolae.
35. Piscina mirabilis.
36. Crypta vulgo Sibyllae Cumanae.
37. Via Campana.
38. Mare mortuum.
39. Crypta Traconaria.
40. Via Vicana.
41. Via Cumana.
42. Laboriae sive Phlegraeus ager.
43. Villa P. Servilii Vaccae.

Milliaria Italica.

NEAPOLIS
MEGARIS
PAVSILYPVS
LIMON
NESIS
sive
Insula Salvatoris.
PVTEOLI
BAIAE
BAVLI
PORTVS IVLIVS
MISENVS
CVMAE

Mich. Foschini delin.
P. Caultier Scu

ACTA

SS. JANUARII EPISC., SOSII, FESTI ET PROCULI DIACONORUM, DESIDERII LECT., EUTYCHIS VEL EUTYCHETIS ET ACUTII MARTYRUM

PUTEOLIS IN CAMPANIA FELICE

PRÆFATIO

De documentis Neapoli collectis.

Collectio documentorum de S. Januario.

QUando sub initium anni 1753 *Neapolim lustravi cum collega, investigare voluimus, an iis, quæ habebamus aut impressa aut Mss. de* S. Januario *& Sociis documenta, adjungi aliæ possent nonnulla, sive ad res gestas celeberrimi Martyris, sive ad gloriam ejus posthumam illustrandam. Lustratis autem bibliothecis aliquot, & colloquio cum pluribus eruditis hunc in finem habito, credidimus, nihil præterea, quod operæ pretium faceret, ulteriori inquisitione nos inventuros pro Actis aut translationibus* S. Januarii *ac Sociorum elucidandis.*

Contrarium judicavimus de iis, quæ ſpectant ad prodigioſum S. Januarii *ſanguinem: neque enim dubitavimus, quin de perpetuis illius ſanguinis miraculis non pauca ſubminiſtrare poſſent Neapolitani, quæ necdum ad ſcrinia noſtra pervenerant. Verùm cùm omnium illorum inquiſitio ob rationes varias non poſſet brevi tempore perfici; neque nobis expedire videretur, ut illius causâ multis menſibus Neapoli ſubſiſteremus; curam ulterioris indagationis humaniter in ſe ſuſcepit R. P. Paſchalis de Matthais S. J., tunc tirocinii Neapolitani, nunc maximi collegii ibidem rector. Diligentiâ hujus viri, cui primùm coràm, deinde per litteras expoſuimus mentem noſtram, accedente etiam cura R. P. Præpoſiti Provincialis, longè plura pro nobis collecta ſunt publicis ſumptibus excellentiſſimæ civitatis Neapolitanæ, accedente etiam benigno conſenſu & approbatione ſereniſſimi regis, quàm umquam nos ipſi potuiſſemus colligere, aut flagitare voluiſſemus.*

ſumptibus civitatis Neapolitanæ per eruditos facta,

Quo autem modo facta ſit collectio, breviter exponitur his præcipui adjutoris noſtri verbis: Addictiſſima S. Januario, præcipuo patrono, Neapolitana civitas, ut Bollandianis gratificetur, mandavit, ut ſuis impenſis hæc Acta colligerentur. Ita primùm ſtatuit excellentiſſima Deputatio civitatis, deinde excellentiſſima Deputatio S. Januarii. Equeſtres viri negotium hoc dederunt viris ſanè litteratiſſimis, inter quos Cl. Alexius Symmachus Mazochius, cujus eſt recenſio Actorum. *Præſiterunt ſanè eruditiſſimi hi viri diligentiſſimè, quidquid deſiderari à nobis poſſet, & brevem etiam Commentarium toti collectioni præmiſerunt. In eo autem agitur de patria* S. Januarii, *de Actis ejuſdem variis, de cultu & feſtis diebus apud Neapolitanos, de tranſlationibus & aliquot eccleſiis, ac tandem de liqueſcentis* S. Januarii *cruoris epocha.*

Hoc

Hoc ultimum necdum examinaveram, quando ingens illa Collectio, diuturnas in itinere moras paſſa, hoc anno 1756 ad nos perlata eſt; ſed ejus causâ diſtuleram omnia ad ſanguinem S. Januarii *pertinentia. De reliquis verò omnibus diu diſputaveram ex iiſdem documentis, quæ in Commentario Neapolitano allegantur, & ex aliis pluribus; imò & Acta omnia ad prelum paraveram ante acceptam Collectionem; quòd nulla nobis de hiſce deeſſent documenta, & tempus me urgeret.*

Suſpicati ſunt ipſi eruditi Collectores, multa minùs neceſſaria fuiſſe collecta; Sed, *inquiunt circa finem Commentarii*, omnino parendum fuit excellentiſſimæ civitati Neapolitanæ, quæ, ne quid ad cultum B. Januarii amplificandum deeſſet, præterea ut animi magnitudinis, liberalitatis & munificentiæ incredibilis exſpectationem, quam ſui apud homines concitavit, præclarè ſuſtineret ac tueretur, id dedit operam, ut omnes præcipui Patroni ſui res geſtæ colligerentur: & ea in re ſi quid peccandum eſſet, non niſi exquiſita & prolixa ſedulitate peccaretur. *Laudo ſanè pium & munificum conſilium: & ne quid mihi diligentiæ videatur defuiſſe; Acta recenter accepta cum noſtris omnia conferam, & variantes ex iis lectiones notabo. Similiter Commentarium cum meo conferam, ut videam, ſiquid alicubi reperiam addendum aut mutandum. Figuras, munificentiâ civitatis Neapolitanæ ſcalpro expreſſas, ſuis locis inſeram, atque ex iis* Chorographiam regionis Neapolitanæ, Puteolanæ, Miſenatis, Cumanæ, *&c huc transfero, quia locorum, in iis aſſignatorum, in Commentario & in Actis frequenter fiet mentio, licèt nolim Chorographiam illam pro omnibus locis defendere, ſed in aliquibus à Mazochio, cujus illa eſt, diſſentire cogar. Hiſce breviter obſervatis de Collectione*

ſeróque huc perlata, cui uſui ſit futura.

illa, de qua dicentur plura in differendis de capite & ſanguine S. Januarii, *ubi magno nobis uſui erit, Commentarium jam antè concinnatum ſubjungo.*

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Celebre nomen S. Januarii & Sociorum in Faſtis aliiſque monumentis antiquis: annuntiantur diebus pluribus, & ſubinde aliqui ſeorſum.

CIRCA CCCV. *S. Januarius ſine Sociis hoc die annuntiatus in Faſtis Hieronymianis:*

Quamvis celebre fuerit à multis ſeculis S. Januarii *nomen, ejuſque ſociorum Martyrum; non tamen ſine aliqua confuſione memorantur in Faſtis Hieronymianis. Nam ad hunc diem textus Florentinii ſic habet:* In Neapoli natalis ſanctorum Januarii & Ancii. *In codice Corbeienſi pro* Ancii *eſt* Aniceti, *in Epternacenſi verò* Augi. *In codicibus Rhinovienſi & Richenovienſi* Januarius *item annuntiatur* Neapoli, *eique ſocius adjungi videtur* Saturninus. *Verùm exiſtimo, nec* Saturninum, *qui in codicibus Florentinii ad aliam claſſem ſpectat, nec ullum alium fuiſſe cum* S. Januario *annuntiatum à primo auctore Martyrologii, cùm* Neapoli *memoretur, non quia ibi paſſus erat, ſed quia eò tranſlatum erat corpus, ibique colebatur: nam ſolius* Januarii *corpus Neapolim eo tempore erat tranſlatum, ut veriſimile ſit, eodem tempore ſolum ibidem fuiſſe cultum. Hac etiam de cauſa* Januarius *hodie videtur memorari ob primam corporis tranſla-*

lationem ex loco Marciano, ubi fuerat ſepultus, ad urbem Neapolitanam, ut hic dies videatur potiùs prima tranſlationis, quàm martyrii. Si enim causâ martyrii hoc die fuiſſet memoratus, & Puteolis memorari debuiſſet, non Neapoli; & cum Sociis, non ſolus. In codicibus Auguſtano, Labbeano & Gellonenſi Januarius *etiam hodie occurrit, nec ullum ſibi adjunctum habet ex nominibus ſuprà memoratis.*

ſolus item in aliquot aliis, in aliis cum Sociis generatim:

3 *Sic in antiquiſſimo Kalendario eccleſiæ Carthaginenſis apud Mabillonium tom.* 3 *Analectorum pag.* 400 *ſolus memoratur* S. Januarius *ad hunc veriſimiliter diem hoc modo:* ... Kal. Oct. ſancti Januarii martyris. *Numerus quidem deletus eſt, ſed veriſimiliter ſcriptum fuerat* XIII Kal. *Quo autem minùs dubitemus, quin ſit* S. Januarius *hodiernus, facit* S. Soſius, *qui mox ibi alio die ſequitur, ut dicemus. In vetuſto Kalendario marmoreo, quod anno* 1742 *Neapoli inventum eſt, ad* XIX *Septembris, Natalis* S. Januarii *ſimiliter legitur. Solus item hoc die* S. Januarius *annuntiatur apud Martenium tom.* 6 *Collectionis ampliſſimæ col.* 646 *in Martyrologio Trevirenſi, quod editor ſeculo* X *exaratum credidit; & col.* 675 *in Calendario Stabulenſi ſolus laudatur his verbis:* In Campania paſſio S. Januarii. *At ibidem col.* 682 *Socii generatim adduntur hoc modo:* Sancti Januarii martyris Sociorumque ejus. *Generatim item, & mendosè, Socii adjuncti leguntur in Martyrologio Antiſſiodorenſi ibidem col.* 721: In Neapoli Campaniæ natale ſanctorum martyrum Januarii Beneventanæ epiſcopi cum aliis VIII; *imò cum ſex aliis paſſus eſt, ſed non Neapoli.*

cultus ipſius Neapoli vetuſtiſſimus.

4 *Verùm poſteriora hac Martyrologia, utpote minùs vetuſta, non tam clarè oſtendunt vetuſtiſſimum* S. Januarii *cultum apud Neapolitanos, quàm*

illum manifeſtum facit Epiſtola Uranii presbyteri de obitu S. Paulini Nolani, data apud nos tom. IV *Junii pag.* 198, *in qua leguntur ſequentia de S. Paulino decumbente, & ſacroſancto Chriſti Corpore ad luctam munito:* Et cùm hæc omnia ſanctus epiſcopus (*Paulinus*) læto atque perfecto ordine celebrâſſet; ſubitò clara voce interrogare cœpit, ubi eſſent fratres ſui. Tunc unus ex circumſtantibus, qui putavit, quòd fratres ſuos, id eſt, epiſcopos, qui tunc aderant, quæreret, ait illi: Ecce hîc ſunt fratres tui. At ille: Sed ego nunc fratres meos Januarium atque Martinum dico, qui modò mecum locuti ſunt, & continuò ad me venturos ſe eſſe dixerunt. E quibus Januarius epiſcopus ſimul & martyr, Neapolitanæ urbis illuſtrat eccleſiam; Martinus autem vir per omnia apoſtolicus, cujus Vita ab omnibus legitur, Galliarum epiſcopus fuit. *Hactenus Uranius, qui S. Paulino morienti adfuit anno* 431. *Itaque jam tum celeberrimus erat* S. Januarii *cultus apud Neapolitanos, qui corpus ipſius poſſidebant, & eccleſiam eidem exſtruxerant, ut ſuo loco dicetur. Vetuſtatem illam cultûs* S. Januarii, *in eccleſia Neapolitana, jam obſervavit vir eruditus, Alexius Symmachus Mazochius, canonicus Neapolitanus, & regius ſacræ Scripturæ interpres, in Commentario, quem diligenter conſcripſit in Vetus marmoreum eccleſiæ Neapolitanæ Kalendarium tom.* 1 *pag.* 265. *Laudatus Mazochius aliud eodem loco affert vetuſti cultus indicium, ex quo infertur,* S. Januarium *ſeculo* VI *urbis Neapolitanæ fuiſſe patronum, cùm Petrus notarius* per confeſſionem meritaque B. Januarii martyris *obteſtetur clerum Neapolitanum, nec ullum alium nominet Sanctum. At redeamus ad Martyrologia.*

5 *Primus ex martyrologis, qui ad hunc diem*

S. Ja-

S. Januarium *omneſque Socios nominatim expreſſos commemorat, eſt auctor Martyrologii per Roſweydum editi, in quo hac leguntur:* Neapoli, Januarii, Soſii, Feſti, Deſiderii, Proculi, Eutychetis, Acuti. *Beda, aut fortaſſe Florus, eodem die prolixum hoc dat elogium:* In Neapoli Campaniæ natale ſanctorum Januarii, Beneventanæ civitatis epiſcopi, cum Soſio diacono Meſenatæ civitatis, & diacono ſuo Feſto, & lectore ſuo Deſiderio: qui poſt vincula & carceres capite ſunt cæſi in civitate Puteolana, ſub Diocletiano principe, judice Dracontio. Qui cùm ducerentur ad mortem, viderunt inter alios Proculum, Puteolanæ civitatis diaconum, & duos laïcos Eutychen & Acutium: & interrogaverunt, quare juſti juberentur occidi. Quos judex ut vidit Chriſtianos, juſſit decollari cum illis. Sic omnes ſeptem pariter ſunt decollati. Et tulerunt noctu corpora Chriſtiani: & Neapolitani Januarium poſuerunt juxta civitatem in baſilica, Meſenates Soſium æquè in baſilica, Puteolani Proculum & Euticetum & Acutium in baſilica S. Stephani, Feſtum & Deſiderium Beneventani collegerunt. *Omnia hac adoptavit, & Martyrologio ſuo inſeruit Ado, iiſdem uſus verbis. Rabanus eadem quoque exhibet; ſed textus ipſius mendosè impreſſus eſt. Conſentit ſimiliter Notkerus, omittens tamen poſteriora, qua de ſanctorum Martyrum ſepultura non ſatis rectè hic leguntur: nam prima eſt potiùs tranſlatio, quàm ſepultura, qua refertur. Uſuardus prater ſepulturam, ſimiliter pratermiſſam, omittit etiam* Soſium *diaconum, haud dubiè, ne illum bis memorare cogeretur: nam* Soſium *iteratò annuntiatum videbimus ad* XXIII *Septembris.*

In Faſtis medii ævi omnes ſimul memorantur non ſine mendis,

6 *Praterea Uſuardus elogium ſuum ita temperavit, ut videatur adoptare nolniſſe judicem à Beda*

quæ correcta ſunt in Martyrologio Romano.

da assertum, & ab aliis adoptatum. Nam sic habet: In Neapoli Campaniæ, natalis sanctorum Januarii Beneventanæ civitatis episcopi, Festi & Proculi diaconorum, Desiderii, Eutici & Acuti, qui post vincula & carceres capite cæsi sunt in civitate Puteolana, sub Diocletiano principe. *Omittitur hîc Dracontius judex, quem revera minùs probabiliter positum ab aliis videbimus. Accuratum foret elogium, si* Puteolis *potiùs quàm Neapoli, Martyres annuntiâsset, &* Sosium, *quantumvis repetendum, addidisset; quemadmodum fecit Baronius in Martyrologio Romano, ubi tale contexuit elogium:* Puteolis in Campania sanctorum martyrum Januarii Beneventanæ civitatis episcopi, Festi ejus diaconi, & Desiderii lectoris, Sosii diaconi ecclesiæ Misenatis, Proculi diaconi Puteolani, Eutychis, & Acutii: qui post vincula & carceres capite cæsi sunt sub Diocletiano principe. Corpus sancti Januarii Neapolim fuit delatum, atque honorificè in ecclesia tumulatum: ubi etiam beatissimi Martyris sanguis in ampulla vitrea adhuc servatur, qui in conspectu capitis illius positus, velut recens liquescere & ebullire conspicitur. *Mitto martyrologos recentiores, qui de* S. Januario *& Sociis hodie passim meminerunt: nam illorum auctoritas nihil prodesse poterit ad Acta confirmanda aut infirmanda.*

Septem hi Martyres numero fuere, non octo.

7 *Verumtamen paucula dicenda sunt de Martyrologiis, quæ post Adonem edidit Dominicus Georgius, cum hic in Annotatis ad hunc diem ex illis inferre voluerit,* septem *fuisse* S. Januarii *Socios, non sex,* ut in Romano parvo. *Martyrologium Fuldense habet:* In Neapoli Campaniæ, natalis sancti Januarii Beneventanæ civitatis episcopi cum aliis VII, qui cum eo decollati sunt. *Octo revera nomina exhibet Martyrologium Ottobonianum,*

num, cujus verba cum omnibus mendis de more ſubjungo: In Neapoli Campaniæ, nat. ſanctorum Januarii Beneventani epiſcopi cum Soſſio diacono Meſſenate civitatis, & diacono ſuo Feſto, & lectore ſuo Deſiderio, Proculum diaconum, & Eutycen, & Acutium, & Deſiderium. *Si credidit laudatus Georgius, hæc duo Martyrologia ſufficere, ut dicamus octo fuiſſe Martyres Puteolis paſſos, ſive ſeptem fuiſſe* S. Januarii *Socios, nimiam Martyrologiis à ſe editis auctoritatem attribuit, nec ſatis conſideravit, quot menda tranſcribentium negligentiâ, aut exigua collectorum criſi in documenta illa medii ævi irrepſerint. Sanè numerus Martyrum noſtrorum tot teſtibus confirmatus eſt, conſentientibus hac ex parte Actis omnibus, quantumvis aliàs diverſis, cum melioribus martyrologis ſuprà laudatis, ut non duo ſolùm talia Martyrologia, qualia attulit Georgius, ſed & decem & viginti, ſi idem haberent, tamquam mendoſa aut errori obnoxia, omnino rejicienda forent. Hæc de cauſa ulteriùs non refellam Marium de Vipera, qui in Chronologia epiſcoporum Beneventanorum pag.* 12 *Stephanum aliquem aliis adjicere voluit.*

8 *Non multò plus attentionis fortaſſe merentur alia quædam Martyrologia, quæ* S. Januarium *exhibent ad ſequentem diem,* XX *Septembris, niſi conjicere velimus, feſtivitatem* S. Januarii *in aliquot eccleſiis eâ die celebratam fuiſſe, quòd dies* XIX *alio feſto eſſet impedita. Dubito ſanè, an hæc conjectura ſufficiens habeat fundamentum. At certum eſt, memoriam* S. Januarii *in Faſtis aliquot vetuſtis reperiri ad* XX *Septembris. Talis ſit* S. Januarii *mentio poſt vigiliam S. Matthæi in Calendario vetuſto, quod edidit Florentinius poſt Martyrologium Hieronymianum. In Martyrologiis aliquot, quæ edidit Martenius tom.* 3 *Anecdotorum, &* antiquiſſima *voca-*

S. Januarius in aliquot Faſtis ad 20 Septembris:

vit, mentio fit S. Januarii *eodem die. In primo col.* 1560: Romæ Januarii. *Eadem verba leguntur in Morbacenſi col.* 1569. *Ex his tamen nolim certò inferre, feſtum* S. Januarii *Romæ aliquando celebratum fuiſſe die* XX *Septembris; minùs etiam, alium quempiam* Januarium *eo die fuiſſe cultum Romæ: nam cùm in allegatis Faſtis* Januarius *ad* XIX *non compareat, eumdem planè puto, qui ad* XX *ponitur. Utrùm verò id factum ſit, quia revera hoc die* XX *in aliqua eccleſia Romæ colebatur; an quia à die & loco ſuo per errorem avulſus erat, non definio.*

S. Soſius ad 23 Septembris primùm ſolus, deinde cum aliis,

9 *Quemadmodum ad* XIX *Septembris primùm ſolus* Januarius *annuntiatus fuit, quòd eo die Neapoli coleretur ob primam, ut jam monui, corporis tranſlationem; ita* Soſius *primùm ſolus* Miſeni *memoratur, deinde cum pluribus, præeunte Martyrologio Hieronymiano. Certè apud Florentinium in Annotatis ad* XXIII *Septembris hæc leguntur ex vetuſtiſſimo codice Epternacenſi:* In Miſerio Soſſi. *Scriptum fuerit,* In Miſeno Soſii *aut* Soſſii. *In aliis quidem Florentinii codicibus* S. Soſius *ſine loco memoratur ad* XXIX *Septembris his verbis,* Et alibi Soſi, *in Corbeienſi,* Et alibi Januarii, Soſii, *uti etiam in Auguſtano, Labbeano & Gellonenſi. Verùm vel ipſa loci omiſſio oſtendit, Sanctum* Soſium *minùs exactè ad illum diem referri. & martyrologi deinde ſecuti evincunt, diem* XXIII *Septembris cum codice Epternacenſi præferendum. Nam in omnibus paſſim Martyrologiis claſſicis memoria* S. Soſii *ad* XXIII *Septembris annuntiatur, ob tranſlatum corpus, opinor, ad civitatem Miſenatem, poſtea everſam. Romanum Parvum ſic habet:* Meſenathæ (*id eſt, Miſeni*) Soſii diaconi, annorum XXX martyris. *Beda, aut, qui Bedam auxit, Florus:* Natale S. Soſii diaconi Meſenatæ civitatis in Campania: qui, cùm eſſet annorum triginta, martyrium cum B. Ja-

Januario Beneventi epiſcopo capitis decollatione ſuſcepit tempore Diocletiani imperatoris. Is cùm tempore quodam Euangelium legeret in eccleſia Meſenatæ civitatis, præſente epiſcopo Januario (frequenter enim eum pro ſanctitate & prudentia ejus viſitare conſueverat) vidit ſubitò idem Epiſcopus de capite ejus flammam exurgere, quam nemo alius vidit: & prænuntiavit eum martyrem futurum. Et poſt non multos dies idem Diaconus tentus, & in carcerem miſſus eſt. Ad quem viſitandum cùm veniſſet Epiſcopus cum diacono ſuo Feſto & lectore ſuo Deſiderio, & ipſe cum eo ſimul tentus, ac pariter omnes cum aliis tribus occiſi ſunt. *Totum hoc elogium rurſum Ado repetiit, uti & Rabanus. Notkerus verò* S. Soſium *breviſſimè indicat, additque:* De quo XIII Kalend. Octobris invenies.

10 *Uſuardus elogium ex præcedentibus ita concinnavit:* In Campania, natalis beati Soſii diaconi Meſſenatæ civitatis. Hic cùm tempore quodam Euangelium legeret in eccleſia præfatæ civitatis, præſente epiſcopo Januario, vidit ſubitò idem Epiſcopus de capite ejus flammam exurgere, & pronuntiavit eum martyrem futurum. Et poſt non multos dies, cùm eſſet annorum triginta, martyrium cum eodem Epiſcopo capitis obtruncatione ſuſcepit. *Wandelbertus, apud quem non invenio* S. Januarium *alio die*; Soſium *tamen ita ad* XXIII *Septembris commemorat:* Levita & Soſius meritò ſplendeſcit honore. *Addit* Januarium *ſoluta oratione, &* Soſium *repetit hoc modo:* Januarii epiſcopi, & Soſii diaconi. *Mitto Martyrologium Autiſſiodorenſe, in quo ferè repetitur elogium Bedæ, minùs tamen accuratè. Calendarium vetuſtum Lyrenſis monaſterii ad* XXIII *ſolum annuntiat* Soſium *his verbis:* Sancti Soſſii diaconi. *Baronius cum pleriſ-*

& iterum ſolus, in pleriſque Faſtis memoratus.

risque recentioribus S. Sosium *eodem die repetit iisdem ferè verbis, quibus usus est Usuardus. Jam verò ex hac* S. Sosii *commemoratione ad* XXIII *Septembris,* Januarii *verò ad* XIX, *evidenter colligitur, illos dictis diebus non coli ob martyrium tunc consummatum, quia eodem die ambo coronati sunt; nec ulla est ratio, cur unum magis quàm alterum ipso martyrii die coli dicamus.*

Ad 7 Septembris Januarius cum aliquot Sociis Beneventi annuntiatus:

11 *Si conjecturam capere licet ex Fastis Hieronymianis, aliqui ex Martyribus nostris, aut fortasse omnes, prioribus post martyrium temporibus culti fuerunt Beneventi ad* VII *Septembris. Certè codices Florentinii aliquos eo die annuntiant Beneventi. Codex Epternacensis, ceteris ibi correctior, ita habet:* In Benevento Januarii, Festi, Acuti, Desiderii. *Idem quatuor leguntur etiam in codice Corbeiensi, & in codicibus ipsius Florentinii, sed cum aliqua confusione, quòd Sinotus martyr & episcopus Capuanus, de quo ad eumdem diem egimus, aliis legatur sic præpositus, acsi ad Beneventanos spectaret. In codicibus Rhinovienſi & Richenovienſi de his solùm legitur:* Et in Benevento Januarii, Festi, *qui habentur etiam in Corbeiensi breviore. At apud martyrologos posteriores de his illo die nihil reperio. Vel sic tamen dubitare vix possumus, quin Beneventani* Januarium *episcopum suum, cum* Festo *diacono &* Desiderio *lectore ejusdem ecclesiæ, singulari cultu honoraverint; cúmque illis* Acutium *in Fastis additum videamus, licèt hic aliàs minùs ad Beneventanos spectare videatur, suspicamur* S. Januarium *cum omnibus martyrii Sociis Beneventi fuisse cultum die* VII *Septembris. Utrùm verò is fuerit dies martyrii, an dies, quo* SS. Festi *&* Desiderii *corpora Beneventum sunt translata, necdum satis perspicio. Posterius tamen magis est verisimile.*

12 *Menſe Octobri quatuor diebus conſequentibus aliquid de ſanctis Martyribus noſtris legitur in Hieronymianis apud Florentinium, & in aliis etiam Faſtis. Ad* XVIII *textus Florentinii habet:* In Campania, civitate Pitioli (*in Epternacenſi & Corbeienſi rectè* Puteolis) Januarii & Eutecis. *In Epternacenſi* Januarii & Eutycii. *Sed in Corbeienſi*, Januarii & Felicis, *mendosè pro* Eutychis *vel* Eutychetis. *Richenovienſe habet:* In Campania civitate Puteoli, Januarii & Euticetis. *Plures è Martyribus noſtris recenſentur ad* XIX, *ſed ſimiliter magna cum confuſione apud Florentinium, qui in textu habet:* Neapoli, Suſſi. Januarii. Feſti. Deſiderii. In cœmeterio Poteolis Proculi *&c. Videntur hic quinque enumerari, nimirum* Soſius, Januarius, Feſtus, Deſiderius *&* Proculus, *ſed huic Puteolis deinde alii adjunguntur Socii, ut etiam ſit in Corbeienſi codice, qui eoſdem quinque recenſet. In codice Epternacenſi non minor eſt confuſio: plures tamen ibi recenſentur Neapoli & Puteolis; ſed ipſe* Januarius *omittitur. Demum in codice Richenovienſi ad eumdem diem omnes ſeptem rectè enumerantur hoc modo:* In Neapoli, Januarii, Soſii, Proculi, Eutycetis, Acutii, Feſti & Deſiderii. *Ad ſequentes dies* XX *&* XXI *rurſum aliqui ex his Martyribus in Hieronymianis comparere videntur, ſed minùs clarè, ut meritò exiſtimare poſſimus, illos ſolùm ob aliquam feſtivitatem Faſtis Hieronymianis fuiſſe inſertos ad* XVIII *&* XIX *Octobris, aliis verò diebus vicinis quorumdam nomina reperiri ex ſolo errore illorum, qui antiquiſſima illa Martyrologia tranſcripſerunt, auxerunt, multiſque modis ex ignorantia luxârunt. Apud Grevenum ſimiliter ad* XIX *Octobris eſt* commemoratio ſanctorum Januarii & ſociorum ejus Martyrum. *In codice Uſuardino Roſweydi annuntia-*

ad 18 Octobris & diebus ſequentibus aliqui ex his Puteolis.

tur hoc modo: Beneventi, Januarii epiſcopi & Sociorum ejus martyrum. *Mitto plures recentiores ad eumdem & præcedentem diem, quia illi ex Hieronymianis ſua hauſerunt.*

Apud Græcos Sancti annuntiantur ad 19 Septembris & ad 21 Aprilis,

13 *Apud Græcos celebris eſt* S. Januarii *& Sociorum martyrum memoria duobus diebus diverſis. Ad hunc diem* XIX *Septembris celebratur elogio in Menologio Græcorum, quod juſſu Baſilii imperatoris Porphyrogeniti ſeculo* X *concinnatum, & nuper Urbini editum eſt curâ eminentiſſimi Cardinalis Annibalis Albani. Eodem die legitur in Menologio, quod Sirletus Latinum fecit; ſed in hoc ſimiliter celebratur ad* XXI *Aprilis, ut à Majoribus noſtris obſervatum eſt in Prætermiſſis ad iſtum diem. Menæa impreſſa ad eumdem diem* XXI *Aprilis Officium de* S. Januario *& Sociis exhibent, idque etiamnum peragunt, ut liquet ex noviſſima editione Anthologii Græcorum, in quo idem præſcribitur Officium cum commemoratione de S. Theodoro martyre. Nomina quorumdam ex Sociis* Januarii *nonnihil luxata ſunt, quamvis aliàs numerus & officia ſingulorum exactè referantur. Annuntiationem ex Græca Latinam ſecundum litteras facio, & ſubjungo.* Eodem menſe (*Aprili*) die XXI, ſancti hieromartyris Januarii epiſcopi, Probuli, Soſſi, & Fauſti diaconorum, Deſiderii lectoris, Eutychii & Acutionis. *Nomina etiamnum eodem modo efferuntur in noviſſima Anthologii memorati editione. Mutatio verò, ut quilibet facilè advertere poterit, in hiſce conſiſtit, quòd, qui* Proculus *apud Latinos, ibi* ſit Probulus, *qui* Soſius *aut* Soſſius, *ibi* Soſſus, *qui* Feſtus, *ibi* Fauſtus, *qui* Eutyches, *ibi Eutychius, ac demum qui Latinis* Acutius, *ibidem ſit* Acutio. *In aliis quoque Græcorum Faſtis nomina aliquid luxationis paſſa ſunt, ſic tamen ut facilè cognoſci poſſint.*

14 *Græci porrò die* XXI *Aprilis* S. Januarium *& Socios colunt, tamquam illo ipſo die martyrio coronatos, quemadmodum clarè indicant verſiculi in Menæis adjuncti. Hanc verò ipſorum opinionem de die martyrii non videri improbabilem, nec Actis vetuſtioribus contrariam, ſuo loco oſtendam, ubi de tempore martyrii agetur. In Ms. Synaxario Græco, quod ſervatur Pariſiis in bibliotheca collegii Societatis Jeſu, ad* XX *Aprilis iidem referuntur; ſed id ſolum videtur factum tranſcribentium errore, qui verba unius diei ad aliam proximè præcedentem tranſtulerint. Nam & Typicum Sabæ conſpirat in* XXI, *& plures Faſti Mss. Græci, quorum ante me catalogos, aut ipſa etiam verba habeo, & Moſci demum, Græcorum feſta celebrare ſoliti,* S. Januarium *ad* XXI *Aprilis primo loco annuntiant, tam in Ephemeridibus ſuis, quàm in Menologio Slavo-Ruſſico. Quod ſpectat ad elogia, quibus Græci* S. Januarium *& Socios celebrârunt, ea brevitatis gratiâ prætermitto. Obſervo tamen generatim, omnia, cùm impreſſa tum manuſcripta, ex aliis videri Actis compoſita, quàm quibus uſus eſt Beda aut Florus ad concinnandum elogium num.* 5 *datum, cui & ſequentia Latinorum conſonant. Nam Latini judicem, ſub quo paſſi ſunt Sancti, vocant* Dracontium, *Græci omnes* Timotheum. *Latini ſilent de ſuppliciis* S. Januario *illatis ante abſciſſionem capitis, Græci ea referunt, quamvis minùs prolixè, quàm in Actis, nec cum iiſdem planè adjunctis. Verùm de his plura in Actorum examine. Ferrarius in Catalogo generali ad* I *Maii & rurſum ad* 2 *commemorat tranſlationem* S. Januarii. *De ultima ejuſdem tranſlatione Neapolim apud nos mentio eſt in Prætermiſſis ad* XIII *& ad* XIV *Januarii. Verùm & tranſlationes quatuor illius Sancti, & varias ipſius feſti-*

ut hoc die paſſi, uti & apud Moſcos.

ſtivitates ſuis locis uberiùs explicabo.

§ II. Acta varia: primorum collatio & examen.

Acta variorum ex his Martyribus nomine vario ſcripta:

ACta S. Januarii *& Sociorum varia edita ſunt; alia nomine ipſius* Januarii *inſignita, alia* Soſii *diaconi Miſenatis, inter* S. Januarii *Socios celeberrimi. Qui Acta* S. Januarii *ſcribenda ſibi propoſuerat, non poterat* S. Soſium *alioſque Martyres omnino prætermittere, & eorum ſaltem nomina & mortem commemorare debebat, niſi ea ipſa omittere voluiſſet, quæ utcumque faciebant ad gloriam Herois, quem celebrandum ſuſceperat. Tam pauca tamen de* S. Soſio *& aliis Martyribus dixit collector Actorum* S. Januarii, *ut Miſenates, ad quos* S. Januarius *minùs attinebat, ſuum quoque ſeorſum celebrare voluerint martyrem* Soſium; *Actaque conſcribere, in quibus* S. Soſii *geſta præcipuè narrarentur. Idem Puteolanis fuit propoſitum, quorum diaconus* Proculus, *civeſque* Eutyches *&* Acutius, *cum* Januario *&* Soſio *ad palmam pervenerant: nam & Acta quædam habeo* S. Proculi, *in quibus hic præcipuè commendatur, licèt &* Januarius *&* Soſius *in illis locum habeant. Verùm de ſingulis paulò plura dicenda ſunt, ut ex dictis facilius colligi poſſit, quæ quibus ſint vetuſtiora, eaque de cauſa aliis præferenda. Exordior ab illis, quæ reliquis omnibus antiquiora exiſtimo.*

16 *Vetuſtiſſima* S. Januarii *Acta Neapoli nobis tranſmiſſa ſunt ex Ms. Collectione Chioccarelli, qui plures habuit codices, ex quibus credidit* ſupra mille annos *ætatis ſuo tempore habuiſſe ea Acta.*

Acta primo loco à Falconio edita, apud nos manuſcripta ſine additionibus:

Acta. At eruditi Neapolitani, qui ea nobis exſcribenda curârunt, minùs vetuſta eſſe exiſtimant. Eadem Acta edidit anno 1713 *Nicolaus Carminius Falconius, tunc presbyter Neapolitanus, de cujus Opere inferiùs agam. Non ſic tamen Acta illa edidit, ut ex ſola ipſius editione oſtendi poſſit, illa ceteris eſſe vetuſtiora, cùm unà dederit non pauca, Actis poſtmodùm adjecta, ex quibus videri poſſent multò minùs antiqua, quàm revera ſint. Hinc Falconius poſt Acta primo loco data lib.* 2 *pag.* 133 *obſervat, nonnulla de corporum traſlationibus ſeriùs fuiſſe Actis adjecta. Dicit quidem hoc ille, ſed non probat. Attamen vera eſſe ea, quæ de Actis poſtea in fine auctis aſſerit Falconius, omnino mihi perſuadeo ex manuſcriptis noſtris, in quibus auctaria illa non reperiuntur. Etenim eadem Acta habemus in codice noſtro, notato* P. Ms. 20, *in quo nihil reperitur de corporum tranſlationibus. Codex hic admodùm vetuſtus eſt, & conſentientem habet codicem Rubeæ Vallis, in quo eadem Acta ante corporum tranſlationes finiuntur. Itaque ex duobus hiſce codicibus colligitur, Acta primùm fuiſſe conſcripta ſine ullis tranſlationibus, & veriſimiliter ante primam corporum tranſlationem, non tamen ipſo martyrii tempore, ut inferiùs oſtendam. Initium horum Actorum in codice noſtro eſt:* Temporibus Diocletiani imperatoris, conſulatu Conſtantini cæſaris quinquies, & Maximiani cæſaris ſexies (*in aliis codicibus* ſepties) erat perſecutio *&c. Habuit etiam hæc Acta Baronius, ut inſinuat in Annotatis ad Martyrologium Romanum.*

ſecunda Falconii interpolata, aliaque ex primis facta.

17 *Ex his Actis compoſita ſunt ea, quæ Falconius dedit ſecundo loco pag.* 134, *quæque cum prioribus ex Collectione Ms. Chioccarelli ad nos miſſa ſunt hoc initio:* Ad gloriam laudemque *&c. Nam ſecunda ferè non differunt à primis, niſi ſola pro-*

lixitate, videnturque pro concione dicta, cùm ubique iis inſerta ſit doctrina moralis. Orator aliquis ſeculo VII, VIII *aut ſub initium noni, certè ante tranſlationem* S. Januarii *Beneventum, in laudem* S. Januarii *ad concionem dicere voluit, Acta-que priora Orationi ſuæ inſerit, ſi rectè conjiciam. Certè nihil exhibet ſecunda iſtius lucubrationis auctor præter Acta priora, diſcurſibus moralibus aucta, & conjecturis aliquot auctoris interpolata, aut potiùs variis ipſius erroribus deturpata. Hæc igitur à Falconio omitti ſine magna jactura poterant, & à nobis prorſus omittentur. Nequeo tamen dubitare, quin compoſita ſint ante corporis tranſlationem Beneventanam. Hoc enim clarè edicit auctor apud Falconium pag.* 143, *loquens de prima tranſlatione his verbis:* Atque in baſilica (*prope Neapolim*) ubi nunc requieſcit, aromatibus condientes, locaverunt. *Hæc tam clarè indicant, corpus non fuiſſe Beneventi, dum illa Oratio dicta eſt, ut mirer, eruditos collectores contrarium credere potuiſſe, quia auctor aſſerit, ad primam tranſlationem conveniſſe* pontifices ſingularum urbium Parthenopenſis regionis. *Nimirum credunt, iſta verba idem ſignificare, ac illa,* Epiſcopi Neapolitanæ provinciæ. *Et mox addunt:* Atqui Neapolis exeunte ſeculo x metropolis facta. *Sunt ea cogitata eruditi Mazochii. At mihi non videtur, aſſertum clarum ob voces ambiguas eſſe negandum; ſed voces dubias ex clarioribus explicandas. Conſideret igitur clariſſimus Mazochius, an pontifices* ſingularum urbium Parthenopenſis regionis, *non ſint epiſcopi degentes in ditione urbis Neapolitanæ, neque enim ignorat, civitates aliquot epiſcopales fuiſſe ſeculo* VIII *in ditione Neapolis; ſicut non pauca erant ſub principe Beneventano. Nullum igitur eſt dubium, quin illa Oratio ſit ſcripta ante*

tranſ-

tranſlationem Beneventanam; nec opus eſt inveſtigare, quo tempore Neapolis facta ſit metropolis eccleſiaſtica, cùm diu antè eſſet metropolis civilis. Acta tertia, apud Falconium pag. 145 *ex Officio Neapolitano Ms. edita, nobiſque Neapoli miſſa, quorum initium eſt,* In Campania; *ſimiliter profluxerunt ex primis, quorum ſatis fidele continent compendium. Hiſce in fine plura adjuncta ſunt miracula, qua ſuo ordine edentur. Quarta apud Falconium Acta cum initio,* Temporibus Diocletiani, *qua dedit pag.* 150 *ex Officio Beneventano, nobis ſimiliter Neapoli miſſa, cum primis omnino conſonant præter lectiones variantes, & adjuncta in fine de tranſlationibus corporum. Deinde laudatus Falconius breviora ex aliis Breviariis dat elogia, ex primis Actis ſimiliter compoſita, (qua & Neapoli Mss. accepimus) aliaque ex Martyrologiis Latinorum & Græcorum, de quibus ſatis dixi. Eorumdem etiam Actorum compendium habet Vincentius Bellovacenſis lib.* 12 *cap.* 53; *idque planè recuſum eſt apud Mombritium tom.* 2 *fol.* 47. *Alia, ab eodem edita, Acta enumerabo, ubi egero de Actis* S. Soſii, *qua Falconio incognita fuerunt, quaque cum primis* S. Januarii *Actis, ad qua reducuntur hactenus dicta, neceſſariò veniunt comparanda.*

18 *Clariſſimus Mazochius in Commentario laudato, quo vetus exponit Kalendarium marmoreum, tom.* 1 *pag.* 269 *Acta quædam diu incognita, tamquam* ſincera S. Januarii Acta, *edidit pag.* 269, *præfixo hoc titulo:* Vita ſancti Januarii, quæ reperitur ſcripta in codice, confecto ab abate * Landulpho de anno milleſimo, biſcenteſimo, octuageſimo in venerabili monaſterio ſancti Stephani de Bononia. *Obſervat Mazochius, aliàs lectum fuiſſe,* abbatiante Landulpho *pro* ab abbate Landulpho.

Acta alia per Mazochium edita,

**i. e.* abbate

pho. *Addit Sabbatinus ad* XIX *Septembris pag.* 81 *pro* biſcenteſimo *in codice legi* centeſimo. *At parvi iſta ſunt momenti. Porrò initium horum Actorum planè idem eſt cum initio primorum Actorum in codice noſtro, excepta ſolùm voce* ſexies, *quæ apud Mazochium* ſepties, *uti etiam Acta prima habent in variis codicibus.*

quæ multa habent cum primis communia.

19 *Obſervat autem rectè Mazochius in Annotatis pag* 265, *non initium dumtaxat idem eſſe in Actis ſuis & in primis* S. Januarii, (Baroniana *vocat, quòd ea habuerit Baronius;*) *ſed multa etiam facta dictaque in utriſque referri iiſdem planè verbis. Ex eo autem inferre nititur, multa ex ſuis illis Actis in Baroniana aut noſtra ab horum auctore fuiſſe transfuſa. Verùm ex illa ſimilitudine Actorum, eadem frequenter continentium, tantùm inferri legitimè poteſt, alterutrum ex altero hauſiſſe. Quare magis videtur examinandum, utra ſint vetuſtiora, indeque ſtatuendum, uter alterius verba adoptaverit. Nam Mazochius adeo ſibi perſuaſit, Acta ſua reliquis omnibus vetuſtiora eſſe, ut ne locum quidem invenire valeam, ubi majorem illam monumenti ſui vetuſtatem probare conatus fuerit. Hac de cauſa ſedulò ipſe colligam argumenta omnia, quæ protulit ad Acta ſua commendanda, & ſine ullo præjudicio diligenter examinabo vetuſtatem illorum, cum noſtrorum antiquitate collatam.*

Acta illa exſtabant ante Joannem diaconum,

20 *Primò certum mihi (ut & ibidem Mazochio viſum) apparet & indubitatum, utraque Acta fuiſſe conſcripta ante tempora Joannis diaconi, qui ſeculo* X *concinnavit Acta* S. Soſii, *apud Mombritium & Surium edita, & latiùs infrà examinanda & recudenda. Etenim clarum eſt, Joannem diaconum ex utriſque Actis multa hauſiſſe, ut oſtendam in Annotatis ad Acta diaconi.*

Se-

Secundò Mazochio planè aſſentior, exiſtimanti ſua illa Acta à Stephano Neapolitano epiſcopo ſuggeſta fuiſſe Joanni diacono, ut iis uteretur ad Acta S. Soſii *conſcribenda. Nam Stephanus Joannem, recuſantem Acta* S. Soſii *ſcribere, ne falſa ſcripſiſſe diceretur, ita alloquitur apud Surium in Prologo:* Eſt enim exinde (*id eſt, de* S. Soſii *geſtis*) quædam ſcriptura, lepidâ, ut reor, digeſtione contexta, quam me olim vidiſſe recordor, & quidem, quoniam longi temporis memoria relabitur, idcirco cunctando aſſero, utrùm necne ſancti Januarii Geſtis, cum quo fortiſſimus Chriſti Athleta immortalem percurrit agonem, aliqua ex parte ſit diverſa. Tamen hæc qualicumque ſtylo prolata conſtet, ſumenda eſt à te, &, ſicut certum eſt tuos feciſſe majores, quæque fiunt ſuperflua, reſeca, neceſſaria ſubroga, inepta abjice; & unà cum his, quæ de inventione corporis ejus ſunt, fide tua, qui interfuiſti, in civilem redige compoſitionem *&c.*

21 *Ex his certò colligitur, prater Acta* S. Januarii, *qua tunc vulgaria erant, exſtitiſſe aliquod ſcriptum, in quo plura referebantur de* S. Soſio, *quàm in Actis* S. Januarii; *illudque à Stephano epiſcopo viſum & ſuggeſtum Joanni diacono, de* S. Soſii *geſtis ſcripturo. Tertiò dubitabat Stephanus, an illud ſcriptum in omnibus conſonaret Actis* S. Januarii, *qua optimè noverat, & pro veris procul dubio habebat. Hoc dicit his verbis:* Cunctando aſſero, utrùm necne S. Januarii Geſtis... aliqua ex parte ſit diverſa, *ſcriptura nempe illa de* Soſio. *Quartò voluit Stephanus, ut, qualiſcumque foret ſcriptura, cùm ſaltem plura de* S. Soſio *contineret, illam in manus ſumeret Joannes, reſecandoque, addendo & corrigendo, ex illa formaret* S. Soſii *Acta. Quintò dubitandum non eſt, quin etiam deſideraverit Stephanus, ut Diaconus*

qui iis uſus eſt, ſic tamen, ut ubique Acta prima prætulerit.

Acta S. Sosii *sic concinnaret, ut Actis* S. Januarii *planè essent consona. Certè Joannes diaconus hoc fecit, &, ubicumque dissonant Acta vetusta* S. Januarii *ab illa scriptura de* S. Sosio, *quam nuper luci dedit Mazochius*, S. Januarii *Acta secutus est Joannes, omissâ illâ scripturâ. Nam secundum hanc scripturam sub Dracontio judice coronati sunt Sancti. At secundum Acta* S. Januarii, *cui assentitur Joannes diaconus, Sancti omnes sub Timotheo præside ad coronam pervenerunt; licèt* S. Sosius *cum tribus Puteolanis jam in carcerem esset conjectus à Dracontio, priusquam Timotheus administrationem Campaniæ obtineret. Rursum Joannes diaconus potiùs secutus est Acta* S. Januarii, *quàm* Sosii, *in referenda occasione & loco, quo captus est* S. Januarius, *quôque deinde comprehensi sunt* Festus & Desiderius, *ac etiam in tempore, quo* Proculus, Eutyches & Acutius *in manus persecutorum pervenerunt. Demum in expositione Sanctorum ad bestias & in omnibus aliis factis, in quibus Acta* S. Januarii *ab Actis* S. Sosii *differunt, priora secutus est Diaconus, relictis posterioribus.*

Videntur illa jam exstitisse seculo VII *aut* VIII.

22 *Non diffitebitur, opinor, ipse Mazochius, Joannem diaconum ubique inhæsisse Actis* S. Januarii, *quando hæc cum suis* S. Sosii *Actis conciliari nequeunt. Idem observari potest de Raynerio infrà memorando, qui scripsit translationem* SS. Eutychetis & Acutii. *Hisce adjunge collectorem Actorum* S. Proculi, *qua habeo scripta, & in omnibus conformia prioribus* S. Januarii *Actis. Quid igitur, inquiet aliquis, ex Actis Mazochianis Joannes diaconus, aliique medio ævo adoptârunt? Respondeo, me apud alios mox laudatos parùm aut ferè nihil reperire, quod ex illis Actis profluxerit. At Joannes diaconus ex illis accepisse videtur omnia illa, qua de* S. Sosio *narrat ante comprehen-*

sio-

ſionem, & de mutua inter ipſum & S. Januarium *amicitia. Ex iiſdem veriſimiliter Actis didicit nomen Dracontii judicis, cujus juſſu captus eſt* S. Soſius, *uti & alia nonnulla in Annotatis aſſignanda. Hæc autem ſufficiunt, ut credamus, Acta illa Joanni diacono præluxiſſe, præſertim cùm antiquiores ipſo martyrologi Latini elogia ſua, data num.* 5, *de* SS. Januario *& Sociis, uti & ſeorſum de* S. Soſio, *ex iiſdem Actis compoſuerint, ut minimè dubitandum ſit, quin illa Acta ſeculo* VII *aut* VIII *exſtiterint. Verùm modò propiùs inveſtigandum eſt, an illa videantur prima* S. Januarii *Acta, noſtraque ex iis compoſita, quemadmodum credidit Mazochius: nam mihi contrarium potiùs verum videtur & certum. Accipe igitur, lector ſtudioſe, Actorum comparationem, & argumenta illa, quæ mihi perſuadent, Acta* S. Januarii, *qualia habentur in codice noſtro, antiquiora eſſe Actis à Mazochio editis.*

23 *In Actis noſtris nulla legitur corporum tranſlatio: ſed ultima Actorum verba in codice noſtro hæc ſunt:* Ubi poſtea dignam beati Januarii martyris baſilicam condiderunt. *Eodem modo finiuntur in codice Rubea Vallis, ut omnino veriſimile ſit, Acta fuiſſe conſcripta ſeneſcente ſeculo* IV *aut ineunte* V, *ante tranſlationem corporis* S. Januarii. *At in Actis Mazochii, in quibus eadem verba de condita* S. Januarii *baſilica pag.* 278 *leguntur, mox adduntur plura, nimirum tranſlatio* S. Januarii *Neapolim, & dies, quo feſtivitas ipſius celebratur; ex quibus videtur inferendum, Acta illa fuiſſe conſcripta poſt tranſlationem. Quòd verò ſuſpicatur Mazochius, poſteriora illa de corporis tranſlatione Actis antea Græcè conſcriptis addita eſſe, quando reddita ſunt Latina, admodùm incertum eſt duplici ex parte. Quippe, licèt Mazochius multùm*

In Actis Mazochii, quæ incertis argumentis Græcè ſcripta cenſet,

tùm contendat, Acta illa primùm Græcè conſcripta eſſe, & ex Græcis facta Latina; multaque alleget ad id probandum, vehementer tamen dubito, an opinionem ſuam peritis lingua Græcæ ſit ita perſuaſurus, ut nullum remaneat dubium, imò etiam, ut eam pro vera aut magis probabili ſint habituri. Ego certè ſtylum Græcorum in Actis Mazochii reperire nequeo. Obſervationes verò ipſius tales eſſe credo, ut magis oſtendant, linguam Græcam Mazochio eſſe cognitam, quam Acta ad Latinum ſermonem ex Græco fuiſſe tranſlata: omnia enim illa, in quibus helleniſmos deprehendere ſe credit, auctoris aut exſcribentium menda facilè eſſe poſſunt.

refertur prima corporis tranſlatio, non item in noſtris:

24 *Verùm nolim prolixam hîc texere diſputationem ad examinandum, Actane illa fuerint primùm Græcè an Latinè ſcripta, cùm id nihil prodeſſe poſſit ad illorum fidem augendam aut minuendam, nihil conducere valeat ad majorem illorum aut minorem vetuſtatem deprehendendam. Sive enim Latinè ſive Græcè ſcripſerit auctor Actorum; fateor, addi potuiſſe ea, quæ in illis de tranſlatione* S. Januarii *leguntur; nec minùs fateri debet Mazochius, incertum eſſe, an illa fuerint addita, etiamſi Acta Græca fuiſſe credamus. Omiſſa igitur diſputatione de origine Græca aut Latina Actorum, quæ prolixa magis fieret, quàm utilis; ſolùm obſervo, nullum proferri codicem, in quo Acta ſine tranſlatione leguntur, & aliunde etiam probandum, non tam vetuſta eſſe Acta Mazochiana, ut tranſlatio* S. Januarii *nequeat eſſe primi auctoris.*

aliis rationibus oſtenditur, noſtra eſſe vetuſtiora;

25 *Aliud argumentum, quo evincam, Acta Mazochiana noſtris poſteriora eſſe, ex collatione utrorumque deſumo. Referunt Acta Mazochiana pag.* 272, *flammam ex capite* S. Soſii *emicantem à* S. Januario *eſſe viſam, indeque* S. Januarium *prædixiſſe*

dixisse, S. Sosium *martyrio coronandum. Factum hoc ejusmodi est, ut non minorem* S. Januario *laudem conciliet, quàm* S. Sosio, *cùm* S. Januarius *non modò solus dicatur flammam illam vidisse; sed etiam voce prophetica martyrium* S. Sosii *prædixisse. Hoc igitur factum non debebat omitti in Actis* S. Januarii, *si notum fuisset auctori. Ignotum verò esse non poterat, si ille ex Actis Mazochianis sua de* S. Januario *composuit. Itaque necessariò dicendum, Acta Mazochiana non fuisse visa à collectore Actorum* S. Januarii; *cùm hic nec posset nec deberet vaticinium istud* S. Januarii *omittere, si illud legisset in Actis, quæ ante se habebat, & magna ex parte exscribebat. Omittere similiter non debuisset, quæ de amicitia inter* Januarium & Sosium *in Actis Mazochianis referuntur. Nihilo magis inducere debebat Timotheum præsidem, si omnia coram Dracontio præside fuissent peracta, ut habent Acta Mazochiana. Itaque, cùm alter alterum exscripserit, ut ex collatione fit manifestum, necesse est, ut dicamus, Acta Mazochiana ex Actis* S. Januarii *fuisse composita, & aliunde partim aucta, partim corrupta à scriptore ignorante, aut certè minùs perito-*

26 *Existimabit fortasse Mazochius, telum hoc non minori efficacia repercutiendum in Acta nostra, cùm auctor Mazochianus plura etiam prætermiserit ex illis, quæ relata sunt in nostris. Prætermisit ille omnia, quæ* S. Januario *Nolæ accidisse leguntur. Omisit cæcitatem & mortem Timothei judicis, multaque* S. Januarii *& aliorum dicta amputavit. Scio hæc objici posse, nec dubito, quin eruditus Mazochius harum omissionum causâ in eam perductus sit opinionem, ut Acta sua sincera crederet, & aliis præferenda. Verùm infrà ostendam, plura in Actis Mazochianis esse improbabi-*

nec potest Mazochius easdem rationes

babilia, quàm in noſtris, ſi excipiamus dicta, in quibus Acta noſtra magis peccant. Nunc verò rationes aſſignabo, ob quas auctor Mazochianus omnia illa omittere poſſet, etiamſi Acta noſtra haberet pra oculis.

rectè contra noſtra allegare.

27 *Scribebat ille maximè de* S. Soſio, *ut ex initio colligitur, & confirmatur ex præfatione Joannis diaconi, cui Acta illa ad concinnandam* S. Soſii *Hiſtoriam tradita ſunt. Conſentientem hìc habeo Mazochium in Additamentis pag. 964, ubi de Actis ſuis ait:* Nam ſi huic Paſſioni veriſſimus titulus præmittendus fuiſſet; non is erat, qui nunc poſt tot ſæcula præſcribitur, ſed fermè hujuſmodi: "Paſſio SS. Soſii, Januarii, & Sociorum mar„tyrum. „ *Fuerit igitur auctor ex clero vel populo eccleſiæ Miſenenſis. Quare mirari non poſſumus, ipſum omiſiſſe ea* S. Januarii *geſta, quibus* Soſius *non adfuerat, cùm propter* Soſium *de* S. Januario *ſolùm ſcriberet. Ita in Actis* S. Proculi, *de quibus agam num.* 35, *multa prætermiſſa ſunt brevitatis gratiâ, quæ magis ad Socios martyres, quàm ad* S. Proculum *attinebant. Hæc ſola obſervatio ſufficit ad intelligendum, quare omiſſa ſint omnia geſta Nolana, nimirum quia* Soſius *ibi non fuit, nec ad ipſum ea ſpectabant. Eadem de cauſa potuit omittere cæcitatem, ſanationem, ac demum mortem Timothei tyranni, multaque* S. Januarii *& aliorum dicta, quia nihil horum pertinebat ad* Soſium. *Fortaſſe etiam poſteriora laudatus ſcriptor prætermiſit, quòd vera non crederet, aut ſaltem non ſatis certa. Nihil igitur prætermiſit Mazochianus auctor, quod non poſſet jure optimo prætermittere, etſi Acta noſtra haberet cognita, præſertim cùm videatur breviter ſcribere voluiſſe. At vaticinium* S. Januarii *non poterat ob ullam ex allatis rationibus omittere auctor Actorum noſtrorum, ſi pra*

oculis

oculis habebat Acta Mazochiana.

28 *Jam verò multa quoque facta diverſo modo in Actis illis referuntur, & non minùs certum eſt, ſecundum auctorem à primi veſtigiis non ratò deceſſiſſe, quàm ſit manifeſtum ex ſimilitudine multorum verborum unum ab altero fuiſſe viſum. Ambo quoque ſuos habuere ſectatores. Acta Mazochiana ſecutus eſt Beda aut Florus cum reliquis martyrologis Latinis, quorum elogia manifeſtè ex illis Actis profluxerunt, cùm* S. Januarium *Socioſque omnes, judice Dracontio, ad palmam perveniſſe ſcribant. Actis Baronianis aut noſtris inhæſerunt omnes martyrologi Graci, & cum iis Joannes diaconus, qui utraque Acta ſeculo x pre manibus habuit; ſed noſtra Mazochianis conſtanter pratulit, quemadmodum & Raynerius in Tranſlatione* SS. Eutychetis & Acutii. *Poſſum addere & alios, qui Acta* S. Januarii *nonnihil auxerunt, aut pro Breviariis legendas ex illis concinnârunt; ſed illorum auctoritatem non magni eſſe ponderis lubens agnoſco. Ex dictis facilè videbit lector eruditus, & partium ſtudio vacuus, non tantò eſſe majorem pro alterutra Paſſione auctoritatem, ut ea multùm valere poſſit ad unam alteri præferendam. Nam, quamvis Joannis diaconi judicium ceteris omnibus præponderare videatur. quandoquidem ipſe utraque vidit Acta & invicem contulit, quod veriſimiliter nullus fecit ex iis, qui Acta Mazochiana ſecuti ſunt, nequit tamen ſolum ipſius judicium mihi ſufficere ad Acta noſtra aliis præponenda, cùm inficiari non debeam, ea minimè videri in omnibus probanda, nec vitiis carere.*

In illis Actis quædam diverſo modo relata; ſingulaque ſuos habent ſectatores:

29 *Etenim in Actis noſtris diſplicent primò diſcurſus aliqui inter judicem & S. Januarium, quos auctoris potiùs eſſe, quàm illorum, omnino mihi perſuadeo, prout in Annotatis obſervabo.*

nonnulla in Actis noſtris ſuſpecta fidei;

vabo. Displicet non minùs S. Januarii *oratio contra tyrannum, qui ea oratione dicitur in cacitatem incidisse. Displicet, aut suspecta saltem est ea ipsa judicis cacitas, secutaque per preces* S. Januarii *sanatio. Suspecta demum est mors tyranni. Hæc omnia parùm fidei merereri, ultro agnosco & profiteor; præsertim cùm auctor non sit contemporaneus; sed medio saltem seculo, & forsan toto posterior. Etenim narrat, constructam fuisse* S. Januario *ecclesiam in loco sepultura, nec illius ecclesiæ constructionem refert ut novam, ut omnino verisimile sit, Acta fuisse conscripta non diu ante corporis translationem, sive vergente ad finem seculo* IV, *aut inchoato* V. *Hæc igitur, quæ jam recensui, fidem, saltem indubitatam, non merentur in Actis auctoris tanto tempore posterioris: neque illa leguntur in Actis Mazochianis. Quare hæc omnino præferenda essent, nisi in aliis peccarent, & ex variis indiciis viderentur seriùs scripta. Si autem constiterit, seriùs esse scripta; constat similiter, multa ex aliis desumpta, & iis meliora non esse.*

in Actis verò Mazochianis aliqua

30 *Accipe itaque, lector, non pauca, quæ in Actis Mazochianis videntur improbabilia. Primò* S. Sosius *dicitur captus, carcerique inclusus: deinde verò condemnatus ad mortem, & revera capite casus. Attamen nulla uspiam fit mentio de ipsius interrogatione, acsi planè inauditus ad mortem fuisset condemnatus & occisus. Hoc verò est contra omnem consuetudinem judicum Romanorum, qui Martyres ad mortem damnare non solebant, nisi interrogatos & auditos, præterquam in casibus extraordinariis. Quare incredibile est,* Sosium *sine ullo examine fuisse occisum. Quid ergo causa esse dicemus, quòd nihil scriptor ille habeat de interrogatione* Sosii, *de quo præcipue scribebat? Nullam*

aliam

aliam reperio cauſam, quàm quòd diu poſt ſcripſerit, nihilque ſingulare de Soſii *interrogatione invenerit in Actis prioribus: nam illorum auctor ſolùm generatim de* Soſio, *& tribus Martyribus Puteolanis dixit*, diverſis ſuppliciis maceratos, *fuiſſe detruſos in carcerem. Secundò quando narratur comprehenſio* S. Soſii, *non additur, qua in civitate fuerit captus, & utrùm Miſeni, an Puteolis fuerit carceri mancipatus: quod rurſus non erat ſilendum ab auctore ferè contemporaneo, qualem ſuum credidit Mazochius.*

31 *Tertiò improbabile eſt*, S. Januarium *cum* SS. Feſto & Deſiderio *veniſſe in carcerem, ibique publicè fuiſſe conqueſtos de* Soſii *captivitate, cùm in fervore perſecutionis ultrò ſe tyrannis tradere miniſtri eccleſiæ non deberent. Quartò magis etiam improbabile & planè ridiculum eſt, quod ibi in Actis ſequitur. Nam ſecundum Acta milites habebant mandatum de capiendo* Januario *& Sociis, cognoſcebant ipſos, nec tamen comprehendebant, ſed iis dimiſſis, judicem monebant. Quintò improbabile eſt, quod dicitur de arena parata, ut Sancti feris objicerentur, & de re tota omiſſa, quòd judex nonnihil tardâſſet. Cùm enim ad publica illa ſpectacula maximus eſſet hominum concurſus, non facilè omiſſum fuiſſet ſpectaculum. Et verò non defuiſſe tempus, abundè docerent ſequentia, quæ tamquam eodem die facta narrantur. Sextò parùm veriſimile eſt, quod dicitur de* Proculo, Eutychete & Acutio *captis, dum alii ad ſupplicium ducebantur, & juſſu præſidiis unà occiſis cum ipſis ſine ullo examine: ſi qui enim ſic occiſi aliquando fuerint, id ſaltem rariſſimum eſt, nec credendum auctori tali, cùm in aliis Actis diu antè capti referantur.*

non minùs ſunt improbabilia;

32 *Ex diſputatis colliget eruditus lector, longiſſi-*

aliaque invicem repugnantia,

gissimè abesse me ab opinione Mazochii, qui Acta sua commendavit ut pulcherrima, ut antiquitate, breviloquentiâ, simplicitate nec non gravitate se mirificè commendantia, *ac demum ut* sincera. *At, me judice, ea Acta non sunt* antiquitate *commendanda nec pulchritudine: sed hominis sunt longè posterioris, qui* S. Sosium *exornare voluit, ideoque initio de ipso narravit omnia, quæ dicebantur Misseni; cúmque* S. Sosii *martyrium referre non posset, nisi etiam de* S. Januario *& aliis mentionem faceret, ex Actis illius selegit, quæ voluit; alia verò aut omisit aut mutavit pro arbitrio. Hinc nec* breviloquentiâ *laudandus est, sed silentio suo de* S. Sosii *interrogationibus, & cruciatibus martyrio præviis, tam hujus quàm aliorum, apertè prodit, nihil sibi compertum fuisse de gestis in martyrio præter ea, quæ legebat in Actis* S. Januarii. *Si usus esset simplicitate ac gravitate debita, si inventa in Actis* S. Januarii *unquam mutare voluisset; non toties in brevi lucubratione assereret oppositæ & contraria. Apud Mazochium num.* 1 *asserit, Sanctos* propter metum paganorum non facilè in publicis locis *comparuisse, idque omnino probabiliter. At num,* 3 S. Januarium *cum* Festo *&* Desiderio *perducit ad carcerem, eoque modo loquentes inducit, ut non possent non innotescere. Sic num.* 5 Proculum *diaconum cum* Eutychete *&* Acutio *publicè de condemnatione Sanctorum facit conquerentes. Componat illa cum prioribus, & cum prudentia legibus, qui potest.*

ut postponenda hæc sint prioribus, ubi dissentiunt.

33 *Certè sex illorum Martyrum comprehensio satis verisimilis est, prout refertur in Actis* S. Januarii: *at non facilè credenda, prout narratur apud Mazochium, & prioribus illius scriptoris dictis contraria. Secum pugnantia esse militum verba num.* 3 *apud Mazochium, jam observavi. Nam*

di-

dicunt, veniſſe Januarium *& Socios ad carcerem, & ſibi mandatam fuiſſe eorum comprehenſionem: nec tamen ceperant. Rurſum num. 4 pugnantia loquitur auctor, dum ait, nimis ſerò fuiſſe ad Sanctos beſtiis exponendos; mox tamen refert, reductos ex amphitheatro Sanctos, ſententiam dictatam, Sanctos extra civitatem ductos ad locum ſupplicii, denuntiatos judici tres Chriſtianos, hoſque ejus juſſu captos, & cum reliquis occiſos. At hæc omnia plus temporis exigebant, quàm neceſſarium erat ad Sanctos ferarum morſibus objiciendos, ad quod omnia jam antea erant parata. Mitto alia in Annotatis aſſignanda, & ex omnibus concludo, ſtandum non videri Actis Mazochii, ſed Actis* S. Januarii, *ubi diſſentiunt.*

34 *Porrò laudata* S. Januarii *Acta etiam reperiuntur in bibliothecis quibuſdam Germaniæ cum nonnullo augmento & mutatione in principio, & cum tranſlationibus corporum & miraculis in fine. Initium Actorum in illis codicibus tale eſt:* Tempore, quo Carus cæſar monarchiam regni Romani tenuit *&c. Mox verò pergitur ad Diocletianum & perſecutionem ab eo excitatam, & de præſide, ſub quo* S. Januarius *aliique paſſi ſunt, paulò pòſt dicitur, miſſum à Diocletiano fuiſſe* Timotheum judicem, *qui* alio nomine Dracontius dicebatur. *Cetera omnia conſonant Actis* S. Januarii *primo loco edendis. Horum Actorum exemplar accepimus ex codice abbatiæ Richenovienſis in Suevia, miſſum anno* 1748 *à P. Mauritio Chardon S. J., de Opere noſtro optimè merito, & anno* 1753 *ad meliorem, ut ſperamus, vitam tranſlato. Aliud exemplar iſti conſonum dudum habuimus ex codice S. Maximini Trevirenſis. Nolim tamen ex dictis Mss. inferre, judicem, ſub quo paſſi ſunt Sancti, alio nomine* Timotheum, *alio* Dracontium *fuiſſe appellatum*

Acta priora in quibuſdam codicibus nonnihil mutata:

latum. Fuit ista conjectura illius, qui medio ævo antiquis Actis novum assuere initium voluit, quòd judicem in Actis Timotheum, *alibi verò, in Martyrologiis, opinor,* Dracontium *invenerit nominatum; sed multò rectiùs Joannes Diaconus* Dracontium *facit Timothei decessorem. Nam Dracontius quatuor ex Martyribus nostris comprehendit, & carceri mancipatos reliquit. Tres verò alios comprehendi jussit successor ipsius Timotheus, cujus mandato omnes demum occisi sunt.*

alia S. Proculi nomine insignita.

35 *Neque solùm duo illi judices comparent in Actis Joannis Diaconi, de quibus mox agam; sed etiam Acta Mss,* S. Proculi *nomine insignita, Dracontium nominant, & deinde Timotheum, omniaque referunt eo ordine, sed breviùs, quo relata sunt à Joanne Diacono. Acta illa* S. Proculi *ex Mss. ecclesiæ Puteolanæ anno* 1639 *ad Majores nostros misit Antonius Beatillus, scriptis non paucis notus, & in Opere nostro frequenter laudatus. Edam brevia hæc Acta loco tertio, licèt parùm aut ferè nihil addant ad Acta* S. Januarii. *Ex illis perspiciet lector diligens, Puteolanos non inhæsisse Actis Mazochii, sed primis* S. Januarii *Actis. Observare nihilo minùs poterit, multa in Actis Puteolanis brevitatis gratiâ omitti, sicut non pauca omissa fuerunt in Actis Mazochii, quæ videntur fuisse ecclesiæ Misenensis; indeque ulteriùs concludet, non statim pro fictitiis habenda esse, quæ prætermissa fuerunt in Actis particularibus.*

§ III.

§ III. Acta à Joanne Diacono ex antiquioribus compoſita, unà cum Tranſlatione S. Soſii : plura tranſlationum Acta, & quo ordine omnia edenda : Acta Græca fabuloſa, Vitæ recentiores.

Joannes diaconus Neapolitanus, non circa 920.

ORdo rerum nos perduxit ad Joannem Diaconum, qui Acta Martyrum noſtrorum ſcripſit ſub initium ſeculi x, *quando corpus* S. Soſii *ex Miſenate caſtello Neapolim fuerat tranſlatum. Scriptores Neapolitani tranſlationem iſtam paſſim ſignunt anno* 920, *indeque ſequeretur, Acta à Joanne Diacono fuiſſe conſcripta eodem anno* 920, *aut non diu poſt: nam ſatis ipſe inſinuat, non longo poſt pradictam tranſlationem tempore Acta hæc fuiſſe compoſita. Verùm, ut obſervat Muratorius tom.* 1 *Scriptorum Italiæ part.* 2 *pag.* 287 *in Præfatione ad Chronicon Joannis Diaconi, aſſignatus ille tranſlationis annus nequit certo probari argumento. Imò credidit Muratorius, multò citiùs factam tranſlationem, ita ſcribens :* Fallitur Ughellus in aſſignando tranſlationis memoratæ anno, nihil enim in ea narratione occurrit, quod tempus indicet illius ſacri operis, idque longè antea factum opinari poſſumus. *Hæc quidem celeberrimus Muratorius, cui aſſentior, annum* 920 *non eſſe deſignandum. Nam ex collatis invicem duobus Opuſculis Joannis Diaconi ſatis erui poteſt, non longè anno* 910 *poſteriorem eſſe tranſlationem.*

sed non diu post annum 910 *Vitam & Translationem S. Sofii scripsit,*

37 *Etenim laudatus Joannes in Chronico pag.* 317 *hæc scribit in gestis S. Athanasii episcopi Neapolitani:* Eodem quoque tempore Misenatis ecclesia, peccatis exigentibus, à paganis devastata est. *De vastatione illius civitatis in translatione sic loquitur:* Nam sexaginta evolutos jam penè per annos ab Hismaëlitis (*id est, Saracenis*) erat demolitum oppidum illud, & ad solum usque prostratum. *Itaque ruina Miseni contigit in episcopatu S. Athanasii, & sexaginta ferè annis ante translationem. Episcopatum adeptus est S. Athanasius ultimis ferè diebus anni* 849. *Nam, teste Diacono, obiit anno* 872, *die* XV *Julii*, sedit *vero* annos XXII, menses sex, dies XXIV, *ut idem habet pag.* 316. *Itaque creatus est episcopus circa festa Natalis Domini anno* 849; *sedit que sub tribus ducibus Neapolitanis, videlicet sub Sergio I patre suo, sub Gregorio fratre, & sub Sergio II fratris filio, quemadmodum narrat Joannes Diaconus, ex quo Vita S. Athanasii apud nos data ad* XV *Julii. Destructum est Misenum Sergio I ducatum tenente: nam Sergius I bona ecclesiæ Misenatis destructa, rogante S. Athanasio, dedit Neapolitanæ. Attamen illa vastatio non videtur contigisse primo anno episcopatûs S. Athanasii, cùm ante illam alia quædam Athanasii gesta narrentur. Quare Miseni destructio videtur figenda uno alterove anno post annum* 850, *& consequenter translatio* S. Sosii, *annis ferè sexaginta posterior, non diu post* 910. *Muratorius in Annalibus Italiæ ad annum* 845 *refert, Misenum à Saracenis fuisse captum, ut etiam habet Joannes Diaconus in S. Joanne episcopo, decessore S. Athanasii. Itaque Saraceni eam civitatem aliquot annis possederunt, & demum destruxerunt.*

38 *Porrò laudatus Joannes plura scripsit Opuscula, ut ipse etiam innuit primis prologi sui verbis:*

Post

Poſt nonnulla tyrocinii mei Opuſcula &c. *Ex his apud nos tom.* 1 *Januarii in Appendice pag.* 1098 *edita eſt Tranſlatio S. Severini, conſcripta ad preces Joannis abbatis, quo ſimiliter rogante & Stephano epiſcopo impellente, Acta & Tranſlationem* S. Soſii *conſcripſit. Verùm illa S. Severini Tranſlatio non fuit ex tyrocinii Opuſculis, ſed veriſimiliter ſcripta eſt anno* 909 *aut* 910, *quando contigit, aut non din poſt, certè ante hanc Tranſlationem, in qua de illa auctor meminit, tamquam de re non din admodùm præterita. At inter priora Joannis Diaconi Opuſcula certò eſt Chronicon epiſcoporum Neapolitanorum, ex quo jam varia apud nos datæ ſunt Sanctorum Vitæ, & quod totum edidit Muratorius loco jam aſſignato. Perduxit autem Chronicon iſtud uſque ad S. Athanaſii mortem, ſive uſque ad annum* 872, *& ſubinde inſinuat, ſe juvenem fuiſſe, dum illud ſcribebat. Alia illius Opuſcula enumerantur in Præfatione ad Chronicon.*

poſt plura alia Opuſcula, & Chronicon diu antè ſcriptum:

39 *Hic tamen cum aliis obſervandum, non duos fuiſſe Joannes eccleſiæ Neapolitanæ diaconos illorum Opuſculorum auctores, ut nonnulli crediderunt. Fundamentum illius opinionis exponit Sabbatinus, modò epiſcopus Aquilanus, in Vetuſto Calendario Neapolitano, menſe Septembri pag.* 82, *in hunc modum. Erat jam in vivis Joannes Diaconus, quando epiſcopus erat S. Joannes IV, anno* 849 *defunctus. Quomodo ergo, inquiunt, anno* 920 *adfuit tranſlationi* S. Soſii? *Reſpondet Sabbatinus, non eſſe neceſſe, ut anno* 920 *multùm ſuperaverit annos octoginta. Hæc quidem ætas non eſt incredibilis; at mihi non videtur neceſſaria. Etenim nec anno* 920 *facta eſt tranſlatio, ut jam vidimus: nec invenio, an meliùs probatum ſit, Joannem Diaconum S. Joanni epiſcopo convixiſſe. Si tamen poſterioribus illius annis fuerit natus, tantùm erat ætatis mediæ in-*

nec geminus is Joannes, ſed idem:

inter annos ſexaginta & ſeptuaginta, dum facta eſt tranſlatio, non diu poſt annum 910 *figenda. Et ſanè qua ipſe de ſe narrat in illo Opuſculo, minimè inſinuant virum decrepitum. Quare ab ætate nullum planè eſt argumentum pro gemino Joanne; nec ullum eſt aliunde. Nam, ut obſervat Muratorius*, Utrobique conveniunt nomen, munus, patria, & diaconia, quandoquidem utriuſque Operis ſcriptor appellatur "Joannes diaconus ſancti „Januarii.„ *Hæc ſufficiunt ad minimè dubitandum, quin idem Joannes, qui juvenis Chronicon ſcripſit, deinde etiam Acta* S. Soſii *& reliquorum Martyrum noſtrorum, unà cum* Soſii *tranſlatione, in qua magnam habuerat partem, exaraverit. Quod autem uno alterove loco Majores noſtri collocaverint illum ſub finem ſeculi* V, *ut ſtudioſè obſervat Sabbatinus pag.* 83, *id factum ex lapſu memoria, cùm ſæpiſſimè ætatem ipſius rectè aſſignaverint.*

ſcripſit is Acta fideliter, ut apud antiquiores invenerat, & Tranſlationem viſam.

40 *Quod modò ſpectat ad fidem & criſim, quibus in ſcribendo uſus eſt Joannes; profitetur ille in Præfatione*, nihil irritum, nihil ambiguum *ſe ſcribere voluiſſe, ideoque nihil dixiſſe de parentibus* S. Soſii, *quia nihil de illis apud antiquos ſcriptum reperiebat. Nihil itaque ſcripſiſſe Joannem præter ea, quæ & apud vetuſtiores invenerat, & vera credebat, omnino mihi perſuadeo, quia revera nihil apud ipſum invenio, quod antiquiores non habent. Uſus etiam eſt aliqua ſaltem criſi in ſcribendo, ut ſibi mandatum fuiſſe à Stephano epiſcopo Neapolitano teſtatur. Nam Stephanus detrectanti ſcribere, ne falſa narraret, non modò Scripturam aliquam de* S. Soſio, *cum Actis vetuſtis* S. Januarii *conferendam, ſuggeſſerat, ſed etiam dixerat:* Superflua reſeca, neceſſaria ſubroga, inepta abjice. *Hoc mandatum ſpectat non ſolùm ad Acta* Soſii, *per Mazochium edita, ſed etiam ad alia omnia, qua Joan-*

anni præluxerunt: ex omnibus enim nonnulla reſecta video. Retinuit igitur ea dumtaxat Joannes, quæ ceteris meliora & probabiliora credidit: reſecuitque nonnulla in variis etiam lucubrationibus inventa, ut oſtendam in Annotatis. Hiſce de cauſis non eſt contemnendum hujus ſcriptoris judicium, cùm quia pro ævo ſuo doctus fuit, tum quia in ſcribendo Chronico monumenta omnia eccleſiæ Neapolitanæ perluſtrare debuit. Vel ſic tamen inficiari nolim, in hac etiam Joannis Lucubratione reperiri facta nonnulla, quæ pro certis haberi nequeunt, tum quia carent auctoritate ſcriptoris alicujus contemporanei, tum quia talia ſunt, ut difficulter fidem inveniant, niſi certo fulciantur teſtimonio. Hæc de Actis martyrii: Inventio verò & tranſlatio corporis ſancti Soſii, *cujus teſtis oculatus eſt Joannes, fidem meretur indubitatam. Dabimus laudata Acta ex Mss., altero Neapolitano, per Beatillum anno* 1638 *huc miſſo, altero Romano, quod in tabulario Vaticano exſcribendum curavimus, & cum codice ipſi contulimus; editionem verò Surii cum Mss. conferemus.*

Tranſlatio Eutychetis & Acutii à Raynerio ſcripta:

41 *Præter Acta hactenus memorata, Falconius varia etiam edidit Acta tranſlationum, quæ recenſebo eodem ordine, quo dantur ab ipſo. Prima ex his pag.* 181 *edidit Martyrium & tranſlationem* SS. Eutychetis & Acutii, *quorum corpora ſeculo* VIII *dicuntur Puteolis Neapolim tranſlata. Auctor ſe vocat* Raynerium exiguum, *quem aliunde ignotum eſſe fatetur Falconius. Attamen hic ipſum dicit contemporaneum; ſed hoc ego invenire nequeo. Certè multis ſeculis abfuit à martyrio Sanctorum, & de iis revera tam pauca refert, ut præter verba, & craſſos aliquot errores, vix aliquid addat ad ea, quæ de* Eutychete & Acutio *in primis Actis referuntur. Illam itaque partem omittam, licèt totam Ray-*

nerii lucubrationem etiam habeam ex Ms. Neapolitano collectionis Antonii Caraccioli. Solam Translationem cum miraculo poſtea ſecuto edidit laudatus Caracciolus in Monumentis eccleſiæ Neapolitanæ, & deinde Ughellus. Hanc ſimiliter ex omnibus inter ſe collatis dabo. Non auſim tamen aſſerere cum Falconio, Raynerium fuiſſe contemporaneum, aut non longè ab eo tempore *vixiſſe, ut credidit Caracciolus. Nam magis jejunè tranſlationem narrat, quàm faceret ſcriptor contemporaneus. Præterea Actis inſerit duodecim verſus Leoninos, qui non congruunt octavo aut nono ſeculo, ſed magis duodecimo. Et ſanè occaſio ſcribendi orta eſt ex ſanatione nobilis mulieris, ad cujus preces ſcripſit de Sanctis illis Raynerius, aliquot fortè ſeculis poſt tranſlationem peractam.*

alia Januarii; alia Feſti & Deſiderii, aliaque non edenda.

42 *Sequitur apud Falconium pag.* 189 *Tranſlatio* S. Januarii *Beneventum. Hæc tranſlatio ſeculo* IX *facta, & à ſcriptore anonymo, ſed ſynchrono, qui rebus geſtis adfuerat, enarrata eſt. Miracula etiam aliqua pòſt facta referuntur. Hanc Lucubrationem jam antè edidit Caracciolus. Ego illam etiam habeo ex Ms. Vaticano, nimirum ex codice* 6074, *quocum exemplar exſcriptum nos ipſi anno* 1753 *contulimus. Hoc itaque exemplar edere volui, Annotatiſque jam illuſtraveram, quando Neapoli huc allata eſt collectio Ms. Chioccarelli. Dum autem adverti, Ms. exemplar Chioccarelli, cum aliis etiam Neapolitanis collatum, utcumque correctius eſſe, hoc tam pro tranſlatione Beneventana, quàm pro Homilia de Miraculis memoranda, præferendum cenſui, Annotataque omnia eatenus mutanda. Dabo igitur Tranſlationem ex Ms. Chioccarelli, cum aliis Mss. & editionibus collato. Alia rurſum pag.* 196 *apud laudatum Falconium Tranſlatio legitur; nempe* SS. Feſti & Deſiderii *Be-*

ne-

neventum, conſcripta ab auctore non ſolùm anonymo, ſed longè etiam poſteriore, qui multum fidei non meretur. Demum poſt Tranſlationem Soſii *jam memoratam, Falconius pag.* 215 *edidit Carmen Italicum Bernardini Siculi, Ordinis Minorum, quod compoſuit de ultimis* S. Januarii *tranſlationibus, nimirum Benevento ad Montem-Virginis & è Monte-Virginis Neapolim. Hic poëta, qui poſteriori tranſlationi adfuerat, ſolùm uſui eſſe poterit in Commentario, in quo aſſerta ipſius tam de tranſlationibus, quàm de factis aliis examinabuntur.*

43 *Præter hactenus enumeratas tranſlationes, Falconius pag.* 153 *edidit Miracula, ab Anonymo ſcripta, antè jam edita à Caracciolo cap.* 20 § 25, *ſive Homiliam de miraculis ſancti* Januarii, *in ipſius feſtivitate dictam, de qua etiam meminit Baronius in Annotatis ad Martyrologium. Nos eamdem anno* 1753 *exſcribendam curavimus ex codice Vaticano* 6074, *& apographum cum codice contulimus. Eamdem rurſum Neapoli accepimus ex Collectione Mſ. Chioccarelli, in qua correctior eſt, quàm in codice Vaticano ſæpe mendoſo. Conſcripta fuit hæc Lucubratio, quando corpus* S. Januarii *adhuc erat Neapoli, ſive ante tranſlationem Beneventanam poſt annum* 817 *factam. At propiùs tempus ex nullo indicio inveſtigare poſſumus. Dabo & hanc Relationem ex Mſ. Chioccarelli, collatam cum altero Mſ. & editione gemina. Ceterùm non recenſeo Officia & alia quædam minoris momenti documenta, & auctaria Actorum, ſive edita apud Falconium, ſive tranſmiſſa nobis manuſcripta: ſi quid tamen in illis per decurſum occurrerit, quod poſſit conducere ad geſta* S. Januarii *aut Sociorum illuſtrandum; docebo, unde ſingula, quæ afferentur, ad nos pervenerint. Nunc verò ordinem omnium edendorum breviter ſubjungo.*

Homilia de miraculis S. Januarii.

Ordo omnium de his Martyribus edendorum.

44 *Primò edam Acta* S. Januarii *& Sociorum, qua reliquis omnibus vetuſtiora credo, & compoſita ſub finem ſeculi quarti aut initium quinti. Hæc autem ſic dabo ex Mſs. noſtris duobus, ut vitia nonnulla grammaticalia correcturus ſim ex aliis Mſs. & editis, quantum expedire videbitur. Dabo & Appendicem horum Actorum. Secundò recudam Acta Mazochii, tamquam Acta* S. Soſii, *cujus gratiâ videntur compoſita ab aliquo Miſenate, ac veriſimiliter pro Officio* S. Soſii, *adulto forſan ſeculo* V *aut etiam ſeriùs. Objectiones Sabbatini, qui contendit ſeculo* XII *aut* XIII *concinnata eſſe, quia tunc conſcriptus eſt codex, in quo reperta ſunt, non moror: neque enim Acta dicuntur compoſita, quando in codicem aliquem illata ſunt. Tertiò edam ex Mſs. Acta particularia* S. Proculi, *qua primis planè conformia, & incerto tempore veriſimiliter pro Officio concinnata. Quarto loco ponam Acta per Joannem Diaconum ex illis omnibus collecta, & recentiora quidem aliis, pleniora tamen, unà cum Tranſlatione* S. Soſii. *Poſt Acta ſequentur Tranſlationes reliquæ & Miracula ſuo ordine. At, cùm Tranſlatio* SS. Feſti & Deſiderii *ex loco ſepultura Beneventum, ſatis legatur in Appendice ad Acta prima, non dabitur altera paulò prolixior relatio, quia fabuloſa videtur. Verùm poſt Vitas ſtatim edetur Homilia de Miraculis* S. Januarii, *factis Neapoli. Deinde Tranſlatio* SS. Eutychetis & Acutii *Neapolim, auctore Raynerio. Tertiò Tranſlatio* S. Januarii *Beneventum cum miraculis ſubſecutis. Tranſlationes verò illas, qua non reperiuntur Latino ſermone conſcripta, in Commentario elucidabimus.*

Scripturam Græcam, quam ſæpe allegavit Falconius,

45 *Reſtant aliqua dicenda de Mſs. Græco, quo multùm uſus eſt Falconius in concinnanda Hiſtoria de geſtis* S. Januarii. *Non edidit quidem laudatus ſcriptor Vitam illam Græcam, quam potiùs*

ùs fabulam vocabimus, Vitam tamen S. Januarii *totam ferè ex illa compoſuit, & verba illius Græci Ms. perpetuò in Annotatis recitavit ad confirmandam Hiſtoriam ſuam, imò & promiſit, poſtea ſe Vitam illam editurum in Opuſculo aliquo ſeparato. Verùm propoſitum illud mutavit, opinor, quia ſtatim intellexit, Vitam illam Græcam, quam nimis facilè pro legitima adoptaverat, eruditis multùm ſuſpectam eſſe. Certè, ubi Falconius anno* 1713 *Opus ſuum ediderat, ſtatim ſequenti anno* 1714 *prodiit Opuſculum Italicum ſcriptoris anonymi, in quo Vita illa Græca exploditur ut fabuloſa, & pro fœtu recentioris cujuſdam impoſtoris non immeritò rejicitur. Nec dubitat anonymus ille aſſerere pag.* 3, *doluiſſe totam urbem Neapolitanam de tot fabulis Vitæ* S. Januarii *ex Græco illo ſcripto infartis. Imò Falconium ipſum pœnituit, uſum fuiſſe ſe Græca illa Lucubratione, & agnovit, nimiam ſe illi fidem in ſcriptis ſuis dediſſe. Nam anno* 1714 *exemplar dictæ Lucubrationis Græcæ ad Majores noſtros miſit ope illuſtriſſimi domini Dominici de Georgio, & prolixam adjunxit epiſtolam, in qua mentem ſuam de Græco illo ſcripto apertiſſimè declarat, & nonnulla allegat argumenta ad oſtendendum, non pauca in eo haberi fabuloſa. Quin & nos rogat, ut ſententiam ſuam de fabulis in ſcripto illo contentis in Opere noſtro vulgemus, & rationes, quas habuit, ad non exponendas dubitationes ſuas de variis factis in illo contentis.*

46 *Verùm parùm intererit lectoris cognoſcere, ſuone judicio an alieno fabuloſa pro veris habuerit Falconius. Sufficerit indicâſſe, ipſum poſtea meliùs fuiſſe edoctum, multaque ex iis, quæ tamquam vera adoptaverat, pro falſis & fictitiis habuiſſe. Vel ſic tamen noſtrum de illo ſcripto judicium non omnino conſentit cum poſteriore Falconii. Credidit*

quamque ipſe poſtea fabulis fœdatam agnovit,

ille in Præfatione Operis ſui, Legendæ illius auctorem eſſe Emmanuelem quemdam monachum Baſilianum, eumque ſcripſiſſe circa annum Chriſti 500, *jubente Stephano I epiſcopo Neapolitano, prout revera ex fine utcumque colligeretur, ſi nulla fraudis eſſet ſuſpicio. Ante Vitam leguntur hæc:* Exſcripſit Gregorius monachus patris noſtri Baſilii ex pervetuſto codice primigenio ancillarum Dei aſceterii beati Marcellini Neapoleos, Calliſti Papæ III anno 1. *Creatus eſt Papa Calliſtus III anno* 1455, *eoque anno Legendam à Gregorio ex authentico Emmanuelis exſcriptam credidit Falconius. At in Epiſtola exiſtimavit, Lucubrationem Emmanuelis fuiſſe à Gregorio interpolatam, factiſque fabuloſis auctam. Ego magis credo, nec Emmanuelem eſſe auctorem, nec exſcriptorem aut interpolatorem fuiſſe Gregorium; ſed partum eſſe planè ſuppoſititium. Hoc mihi perſuadent varia.*

totam credimus ſuppoſititiam;

47 *Primò ſtylus non eſt hominis Græci, ſed Latini, qui Græcum ſermonem utcumque didicerat, quique ſic noverat præcepta linguæ Græcæ, ut Græcis verbis dictionem Latinam exprimeret. Nam nec Græcorum antiquorum eſt ſtylus, nec recentiorum; ſed potiùs adoleſcentis Græca diſcentis, qui ne præcepta quidem exactè novit. Qua de cauſa nec Gregorium monachum, qui Vitam exſcripſiſſe dicitur, Vitæ auctorem facilè crediderim, nec alium iſtius temporis Græcum. Secundò non eſt veriſimile, Legendam iſtam fuiſſe conſcriptam ante Joannem Diaconum, cùm hic eam prorſus ignoraverit, nec facilè ignorare potuerit, ſi exſtiterit Neapoli. Eamdem ignorârunt omnes ſcriptores Neapolitani poſteriorum ſeculorum, quod ſatis mirabile eſt, ſi exſcripta eſt anno* 1455 *à Gregorio monacho, præſertim cùm illud ipſum ſcriptum Gregorii non fuerit productum, ſed aliud recentius, ut nobis in litteris teſtatur ipſe Fal-*

co-

conius. Tertiò omnes Eccleſiæ conſuetudines, de quibus in illa Legenda ſit mentio, inſinuant ſcriptorem poſteriorum ſeculorum, non ſeculi V, *ut latè probavit auctor anonymus Apologiæ antè laudatæ. Quartò tam multa minutatim de* S. Januario *aſſeruntur in illo ſcripto, ut auctor contemporaneus vix poſſet omnia alicujus geſta tam enucleatè referre. Emmanuel tamen dicitur ſcripſiſſe circa annum* 500, *id eſt, ducentis ferè annis poſt mortem Sancti; nec ullus antè vel poſt ſimilia de* S. Januario *ſcripſit. Quapropter pro fabuloſa habenda eſſet Vita, etiamſi conſtaret, ſcriptam fuiſſe circa annum* 500 *ab Emmanuele, quam perſonam fictitiam eſſe omnino exiſtimamus.*

48 *Ex dictis concludo, Actorum illorum Græcorum nullam prorſus habendam eſſe rationem, gaudeoque vehementer, ipſos eruditos Neapolitanos continuò ſe fabulis iſtis oppoſuiſſe, ſcriptoreſque Falconio poſteriores, quos mihi videre licuit, uno animo ab Actis illis fabuloſis & ſuppoſititiis abſtinuiſſe. Nam eo conſilio evidenter demonſtrârunt, ſe ita ſtudioſos eſſe honoris & gloriæ* S. Januarii, *ut nolint tamen ineptis eam figmentis promovere, ne dicam obſcurare. Qui verò ineptias illius ſcripti pluribus refutatas videre deſiderat, adire poterit jam laudatam Apologiam pro miraculis* S. Januarii, *anno* 1714 *Neapoli Italicè impreſſam, cujus pars prima unicè conducit ad omnem iſti ſcripto fidem detrahendam. Poſſent tamen eidem ſcripto fabuloſo longè etiam plura opponi; ſed conſenſus illud reprobantium facit, ut id neceſſe non ſit. Hæc ſufficient de Actis quibuſcumque* S. Januarii *& Sociorum. Reſtat, ut pauca dicamus de ſcriptoribus aliquot neotericis, qui aut Vitas conſcripſerunt, aut geſta* S. Januarii *& Sociorum reliquis prolixiùs elucidârunt.*

& omnino abjiciendam.

Scriptores de S. Januario recentiores, inter quos Camillus Tutini,

49 *Vitam* S. Januarii *ediderunt recentiores plures vario idiomate. David Romæus Opuſculum compoſuit Latinum, anno* 1571 *Neapoli impreſſum, de Septem ſanctis patronis urbis Neapolitanæ, in eoque dat primo loco Vitam* S. Januarii *& ſex Sociorum. Ejuſdem* Januarii *& Sociorum Vitam Italicè edidit Paulus Regius, epiſcopus Vici Equenſis in Opuſculo Italico de Septem patronis, & rurſus in Opere de Sanctis regni Neapolitani part.* 1 *pag.* 507. *Hi ambo uſi ſunt ſtylo liberiore, & frequenter eſſent corrigendi, niſi nimiæ prolixitatis videretur ſingulos ſingulorum lapſus ubique aſſignare. Vitam deinde Sanctorum noſtrorum Italicam anno* 1632 *typis dedit Julius Gazella, primùm canonicus Neapolitanus, & demum eccleſiæ parœcialis rector, qui etiam Vitæ ſubjunxit carmina quædam, hymnos, aliaque in laudem S.* Januarii *compoſita. Anno ſequenti* 1633 *Opuſculum Italicum de* S. Januario *impreſſit Camillus Tutini Neapolitanus, illudque inſcripſit* Monumenta de vita, miraculis & cultu S. Januarii. *Majori in ſcribendo cura & diligentia uſus eſt Tutinus, quàm præcedentes, eaque de cauſa majorem quoque nobis afferet utilitatem.*

& Antonius Caracciolus magis uſui nobis erunt.

50 *Contrà minùs uſui nobis eſſe poterit Oratio panegyrica, quam anno* 1637 *in feſto* S. Januarii *Italicè dixit & imprimendam dedit Carolus Pecorari, canonicus Regularis Lateranenſis: in ea enim facta Sancti breviter magis perſtringuntur, quàm exactè enarrantur. Ut Chiocarellum, multoſque hiſtoriographos, ſuis locis nominandos, ubi fuerit operæ pretium, brevitatis causâ omittam; multa de* S. Januario *Latinè ſcripſit ac diſſeruit Antonius Caracciolus, clericus Regularis, in Monumentis eccleſiæ Neapolitanæ: quod Opus poſthumum Franciſcus Bolvitus, ejuſdem Ordinis, correxit, auxit,*

xit, typiſque Neapolitanis anno 1645 in lucem edidit. Laudatus Caracciolus jam anno 1634 Opuſculum Latinum, anno 1637 aliud Opuſculum Italicum edidit, in quibus de patria S. Januarii *contra Beneventanos diſputat. Beneventani quoque ſuos habuerunt defenſores, poſtmodùm recenſendos.*

Vita Italica Hieronymi M. à S. Anna: Nicolaus Carminius Falcone

51 *Omiſſis, ut jam dixi, aliis Hiſtoriis Neapolitanis, quas tamen ſubinde conſulam, & ſuis locis laudabo, tranſeo ad noviſſimos Vitæ* S. Januarii *ſcriptores, qui noſtro ſeculo floruerunt. Inter hos primo loco memorandus venit Hieronymus Maria à S. Anna, Carmelita Excalceatus, qui anno 1707 Italicam edidit* S. Januarii *Vitam, eamque diligenter compoſitam: nam in ea non modò de patria, geſtis & martyrio Sancti differitur; ſed etiam de tranſlationibus, miraculis, cultu ac patrocinio ejuſdem, & de omnibus demum ad gloriam poſthumam* S. Januarii *ſpectantibus. Recuſa fuit hæc Vita cum nonnullis augmentis partim ejuſdem auctoris, partim alterius, anno 1733. Utramque editionem ante me habeo, uti & Vitas omnes antè recenſitas. Secutus eſt poſt reliquos biographos Nicolaus Carminius Falconius tunc presbyter Neapolitanus, poſtea Marturanenſis epiſcopus, nunc archiepiſcopus S. Severinæ, jam frequenter laudatus, qui de* S. Januario *volumen juſtæ molis in folio anno 1713 edidit, & ſic Italicè ſcripſit, ut Latina multa & Græca non pauca Operi ſuo inſeruerit. Adjutorem habuit Hilarionem à S. Petro, Ordinis Excalceatorum B. M. V. Redemptionis captivorum. Titulus Operis Italicus eſt, qualem Latinè reddo:* Integra hiſtoria de ſtirpe, vita, miraculis, tranſlationibus & cultu glorioſi martyris S. Januarii, epiſcopi Beneventani, civis & primarii protectoris Neapolis.

52 *Propoſuit ſibi Falconius, ut ait pag. 127,*

magnum de S. Januario volumen edidit,

ita omnia de S. Januario *congerere & elucidare, ut nihil nos inveniremus addendum, ſed ut ſolùm tranſcribenda nobis eſſent, quæ lib.* 2. *edidit. Gratum revera & jucundum mihi eſſet, ſi edita à Falconio talia eſſent Acta, ſi Actorum ſingulorum auctoritatem ſic expendiſſet, ſi iis annotatis obſcura elucidâſſet, ut nihil addendum aut reſecandum, nihil de valore Actorum ulteriùs inquirendum, nihil demum magis elucidandum inveniſſem. Verùm quanto magis eruditi aliàs viri Opus pervolvo, tanto magis perſpicio, pauca in eo eſſe, quæ adoptare poſſumus; plurima, quæ neceſſariò ſunt reſecanda.*

in quo plura ſunt inutilia.

53 *Totum Opus in quinque diviſum eſt libros. Primus liber prolixè agit de familia Januaria, eamque ad Janum deducit, ut oſtendatur nobilitas* S. Januarii, *à Jano originem trahentis. At non minùs inutilis fuit labor ille, quàm inutiliter laborarent operarii, ſi lapides è baliſta in montem jaculando pulchrum & firmum tentarent conſtruere edificium. Quare totus ille liber mihi prorſus eſt inutilis. Secundus liber exhibet varia Acta* S. Januarii *& Sociorum: quæ ferè omnia ex Collectione Ms. Chioccarrelli nuper Neapoli fuerunt miſſa. Præterea planè omnia, quæ edenda cenſeo, aliunde etiam habemus, & alia quædam Falconio incognita, ut ſuo loco eſt expoſitum. Itaque ex eo libro illud habemus ſubſidium, ut Acta edenda cum iis conferre poſſimus, & ex aliis nonnulla excerpere, ubi videbitur operæ pretium. Liber tertius continet Vitam* S. Januarii *uſque ad epiſcopatum; quartus reliqua Sancti geſta unà cum martyrio ipſius & Sociorum; quintus denique ſepulturam, miracula, tranſlationes, aliaque ad gloriam poſthumam pertinentia. Tres hoſce libros idiomate Italico concinnavit Falconius, multiſque annotatis auxit. At dolendum vehementer, tantos illuſtriſſimi Viri labores planè inu-*

inutiles esse redditos, quia pro fundamento habent fabulosum illud scriptum Græcum, quod sine ullo damno poterant blatta penitus corrodere, aut ignis consumere.

54 *Multa quoque de* S. Januario *& Sociis disseruerunt duo scriptores nostri temporis, qui ambo illustrârunt vetustum ecclesiæ Neapolitanæ Calendarium, alter sermone Latino, alter Italico. De Alexio Symmacho Mazochio canonico Neapolitano, variis Opusculis eruditè scriptis illustri, abundè jam egi, quando examinavi Acta ab ipso primùm edita. Alter est Ludovicus Sabbatini, presbyter primùm Congregationis Piorum operariorum, & nunc episcopus Aquilanus. Hic variis quoque locis de* S. Januario *ant Sociis agit, & maximè tom. 9 ad* XIX *Septembris, ubi à pag* 64 *prolixè admodùm disputat contra Mazochium, contenditque, Acta ab ipso edita omnium esse deterrima. Ego, licèt totam Dissertationem studiosè pervolverim, & aliam Ms. nuper acceperim, rectiùs compositam contra Acta Mazochiana; nolui antea disputatis aliquid addere. Neque enim Actis illis possum esse adeo infestus: neque existimo, composita esse seculo* XII *aut* XIII, *quamvis reperta fuerint in codice illius seculi. Etenim ætas Actorum non est eadem, quæ codicis; cùm scriptores codicum Vitas aut alia Opuscula ex antiquioribus exscriberent. Prætermitto alios de* S. Januario *& Sociis scriptores plurimos, eosque præsertim, qui solùm vel de patria Sancti, aut solùm de prodigioso ipsius sanguine differuerunt. Hos tamen partim suis locis enumerabo.*

Novissimi duo scriptores, qui variis locis de S. Januario agunt.

§ IV.

§ IV. Acris de S. Januarii patria est controversia inter Beneventanos & Neapolitanos: priorum argumenta expenduntur.

Lis de patria S. Januarii anno 1632 orta: primi

DE *patria* S. Januarii *acris controversia inter Neapolitanos & Beneventanos præterito seculo exorta est, qua multorum fatigavit calamos. Occasionem cœptæ contentionis exponit Joannes de Nicastro in Gladio Salomonis pag. 6, ubi testatur, Religiosum quemdam in Oratione panegyrica, anno* 1632 *Neapoli habita, dixisse* coram conferta auditorum multitudine, Januarii patriam Beneventum fuisse. *Hoc oratoris assertum, teste Antonio Caracciolo in Monumentis sacris ecclesiæ Neapolitanæ cap.* 20 *Sect.* 2, *ingentem auditorum excitavit strepitum, & eruditos Neapolitanos commovit ad* S. Januarium *urbi suæ vindicandum. Certè anno* 1633 *Vitam* S. Januarii *edidit Tutinus cum dissertatione cap.* 17 *ad natales Sancti vindicandos Neapoli. Eodem anno laudatus Caracciolus libellum edidit, hoc titulo insignitum:* Historica demonstratio, quòd S. Januarii patria Neapolis fuit. *Uter illorum suam Lucubrationem primus in lucem emiserit, multis hic inquirere non lubet.*

Neapolitanorum & Beneventanorum patroni,

56 *At Caracciolus testatur*, Anonymi *quoddam* auctoris scriptum in Beneventanorum favorem *per manus fuisse circumlatum, antequam suum ipse absolverat. Anonymum verò illum fuisse Marium de Vipera, archidiaconum Beneventanum, ait declaratum*

tum fuiſſe ab Octavio Bilocta. Hic autem Bilocta, Italis Bilotta, anno 1636 edidit ſermone Italico Diſcurſum hiſtoricum, quo contra Neapolitanos, & maximè contra Caracciolum, Beneventanorum ſententiam defendere nititur. In eo Diſcurſu nullibi declarat, Anonymum opinionis Beneventanæ vindicem fuiſſe Marium de Vipera: ſed potuit idem alio modo, verbis nimirum aut litteris, inſinuare. Caracciolus, qui Latinè priùs ſcripſerat, mox anno 1637 Diſcurſum Italicum Bilocta Diſſertatione Italica refutavit, & huic Opuſculo titulum dedit: L'epitafio Beneventano delli ſanti Gianuario, Feſto è Deſiderio.... conſiderato è riprovato. Epithaphium Beneventanum SS. Januarii, Feſti & Deſiderii... conſideratum & improbatum. *At tamen non ſolùm Epitaphium, quod pro ſua opinione allegant Beneventani, ſed alia quoque eorumdem argumenta ibidem refellit.*

profectio controverſiæ & poſteriores de ea ſcriptores.

57 *Plura de his meditabatur Caracciolus in lucem dare in Opere majore, cui anno 1642 immortuus eſt, quodque Franciſcus Bolvitus perfecit, & anno 1645 edidit, ut jam dixi num.* 50. *Ex parte Beneventanorum nihil deinde prodiit uſque ad annum 1698, quo Carolus Criſconius Orationem habuit Beneventi, quam typis vulgavit ſub titulo:* La lite compoſita frà le due agulte metropoli Napoli, è Benevento *&c.* Lis compoſita inter duas auguſtas metropoles, Neapolim & Beneventum. *Hic autem Orator litem ita componere ſtuduit, ut Sanctum origine dixerit Beneventanum, aggregatione Neapolitanum. At ejuſmodi compoſitio non placuit Neapolitanis, pro quorum opinione anno 1707 rurſum ſcripſerunt Hilarion à S. Petro, Ordinis Excalceatorum B. M. V. de Mercede Redemptionis captivorum; & Hieronymus à S. Anna, Carmelita excalceatus, in Vita Italica, eodem an-*

no 1707 *impreſſa. Contra hos alioſque Neapolitanos pro Beneventanis in arenam deſcendit Joannes de Nicaſtro, patricius, legum doctor, & tunc archidiaconus Beneventanus, poſtea verò Claudiopolitanus epiſcopus, qui de hac controverſia omnium prolixiſſimè ſcripſit ſermone Italico, & præcedentium argumenta collegit in Opere Beneventi excuſo anno* 1710, *cui titulus:* La Spada di Salomone *&c*, Gladius Salomonis *&c. Profitetur ille in Introductione pag.* XI, *velle ſe modeſtam pro Beneventanis Apologiam concinnare contra Tutinum, Caracciolum, Hilarionem à S. Petro, Hieronymum à S. Anna, alioſque omnes, qui S.* Januarii *natales fixerunt Neapoli: idque revera fecit prolixè magis quàm acutè. Tandem anno* 1713 *prodiit Opus Falconii, jam ſæpe laudati, qui in eo pag.* 221 *& ſequentibus fusè diſſerit pro vindicandis Neapoli natalibus* S. Januarii. *Eumdem quoque in finem nonnulla diſſeruit Sabbatinus, jam ſæpiùs laudatus. Noviſſimè demum ad tuendam Beneventanorum cauſam acceſſit vir clariſſimus Joannes de Vita, Beneventana eccleſiæ canonicus, qui anno* 1754 *typis Romanis edidit Theſaurum antiquitatum Beneventanarum, illudque Opus confeſtim liberali dono ad nos miſit, anno ſequenti huc perlatum, quando Commentarium hunc ferè abſolveram. Eruditus auctor cauſam Beneventanorum longè meliùs prudentiúſque defendit brevi diſcurſu, quàm fecerunt integris libris præcedentes, videoque illa ipſa ab eo electa eſſe argumenta, qua ſola pro cauſa Beneventanorum valere judicaveram, Opere necdum viſo; prætermiſſa verò alia, qua mihi quoque nihil valere ſunt viſa.*

58 *Jam verò ex enumeratis ſcriptoribus, quorum rationes expendi, abundè perſpiciet prudens lector, non deeſſe mihi documenta ad argumenta utri-*

triusque partis intelligenda & expendenda. Itaque ad illa breviter examinanda sine ullo præjudicio accedam, eaque sine amore & odio proponam. Ignoscent mihi, spero, tam Neapolitani quàm Beneventani, si nonnulla ipsorum argumenta non tanti fecero, quanti forsan ipsi ea facienda credunt: nam unicè verum investigo, falsum unicè fugio. Nec ab hoc proposito recedere umquam debeo, ut omnes facilè admittent, imò ejusmodi consilium omnes etiam laudabunt, dum agitur de rebus ad se minimè spectantibus. Si qui verò conquesti fuerint, non satis à me suis opinionibus delatum, consolabitur me saltem mea conscientia. Exordiar autem ab argumentis Beneventanorum, quorum episcopus fuit Januarius; *ut deinde transeam ad rationes Neapolitanorum, qui corpus Sancti diutiùs possederunt, & etiamnum possident.*

Argumenta utriusque partis breviter expendenda.

59 *Joannes de Nicastro lib. 2 cap. 1 argumentum primum pro Beneventanis petit ex traditione, idque dicit esse præcipuum & firmissimum. Nam (si lubet credere asserenti) traditio est constans* quindecim seculorum, *eaque numquam mutata*, S. Januarium *Beneventi natum esse. Hoc argumentum prolixè exponit, sed planè inutiliter. Etenim ut credere possemus, eam traditionem fuisse captam à morte* S. Januarii, *& usque ad ætatem scriptoris, non per* quindecim, *ut malè computavit, sed per* quatuordecim *secula continuatam; adducendi essent testes satis antiqui, quorum auctoritate constaret, talem seculo quarto, quinto, & sequentibus apud Beneventanos traditionem viguisse. At nullus profertur scriptor, qui ante Bernardinum Siculum asseruit*, S. Januarium *Beneventi natum esse. Cùm autem Siculus ille scripserit sub finem seculi* XV; *quis prudenter testimonio scriptoris tam recentis, & quorumdam deinde*

Beneventani allegant traditionem, quæ nullum habet pondus;

ſecutorum, admittat, traditionem viguiſſe à ſeculo IV *de nato Beneventi* S. Januario ? *Imò quis artis critica utcumque peritus non potiùs exiſtimet, ſilentium antiquorum & medii avi ſcriptorum de Benevento* S. Januarii *loco natali, non aliunde ortum eſſe, quàm quòd nulla apud Beneventanos vigeret traditio de Sancto ibidem nato ? Quare argumentum ex traditione petitum nequit prodeſſe Beneventanis, & tutò ab ipſis omitti poteſt ſine ulla cauſæ ſuæ jactura. Nam quod ſcripſerat Bernardinus Siculus, libenter procul dubio credidérunt Beneventani; & ſic duorum ſaltem ſeculorum erat traditio, quando ſcribebat Nicaſtrius. Verùm illa traditio non habet plus auctoritatis, quàm ſcriptor ipſe Siculus. Vetuſtiorem verò fuiſſe traditionem, nec ab ullo probatum vidi, nec ipſe probare poſſum.*

domum oſtendunt, in qua Sanctus creditur natus : at nec hæc traditio

60 *Secundum Nicaſtrii argumentum petitur à domo, quæ apud Beneventanos oſtenditur, & habetur pro domo, in qua natus eſt* S. Januarius. *Vellem ſanè, ut ſimul auctor docuiſſet, quàm antiqua ſit traditio de domo Beneventana* S. Januarii : *ſed id ipſe veriſimiliter planè ignoravit. At nos interim non ignoramus, quàm levi aut nulla ratione naſcantur aliquando opiniones populares, quæ paulatim fiunt traditiones, præſertim quando nata ſunt honorem gloriamque populo alicui aut civitati conciliare. Ejuſmodi traditionibus popularibus abundant omnes regiones, ita ut parùm aut nihil potiùs ex illis inferre poſſimus, niſi priùs probetur, tam eſſe vetuſtas, ut idonea ſint ad fidem ſibi conciliandam. Omnes, (aiunt Beneventani) credunt in illa domo natum fuiſſe* S. Januarium. *Liceat mihi hìc quærere, utrùm conſtet, vel unum in ea fuiſſe opinione ante annos ducentos ? Nam ſilentium antiquorum omnium de illa*

domo

domo mihi magis perſuadet, opinionem aut traditionem illam non fuiſſe exortam, niſi poſt alteram, quâ Beneventani credunt, Sanctum in civitate ſua mundo datum eſſe. Caracciolus cap. 20 ſect. 2 § 6 argumentum iſtud latè refutat; ſed brevior ego eſſe cogor. Quare pauca tantùm ex ipſo ſeligo. Extat, *inquit*, Beneventi domus quædam, quam dictitant illam eſſe, in qua mater S. Januarii... beatum ſpiritum exhalavit. Neque hìc ſiſtunt Beneventani. Sed, ut refert Anonymus, id inſuper ex traditione ſe habere affirmant, videlicet in ea domo B. Januarium fuiſſe natum. Nullum tamen ſcriptorem proferunt, qui hoc aſſerat. *Tum obſervat, non tam vetuſtam videri domum illam, quam ipſe cum aliis conſideravit cominus, ut credibile ſiat, illam ipſam ſtetiſſe tempore* S. Januarii. *Non inficiatur Nicaſtrius pag. 68, difficulter credi poſſe domum illam ſine immutatione aut reſtauratione ſtetiſſe à tempore* S. Januarii; *ſed contendit, illam eodem loco ſtetiſſe, quo ſteterat domus natalitia* S. Januarii. *Verùm non poſſum non obſervare, traditionem totam carere ſolido fundamento, cùm antiqui omnes aquè ſiluerint de domo illa natalitia Sancti, ac de natalibus ipſis Beneventanis.*

61 *Praterea, etiamſi ſcriptores à pluribus ſeculis, imò à mille annis, aſſeruiſſent, domum aliquam oſtendi à Beneventanis, in qua natum crederent* S. Januarium; *vel ſic ex traditione illa, tunc vetuſtâ certò futurâ, ſolidum non haberetur argumentum ad natales Sancti ſigendos Beneventi. Cùm enim traditiones populares vera falſis miſceri ſoleant, & non minùs, quàm fama, labente tempore vires ſumant & creſcant; timendum eſſet, ne domus, in qua Sanctus tempore epiſcopatûs habitâſſet, paulatim haberi cœpta eſſet prò domo natali. Dubitandum etiam eſſet, an domus iſta*

idoneum habet fundamentum aut teſtimonium veteſtum.

non fuiſſet potiùs Januarii II, *qui epiſcopus Beneventanus fuit circa medium ſeculi* IV, *quàm* Januarii *epiſcopi & martyris, quo de agimus. Verùm, omiſſis iſtis, aliiſque obſervationibus, quas circa domum illam formârunt Neapolitani, vel ſola obſcuritas traditionis facit, ut ex ea nihil concludere, nihil inferre ſuſtineam. Quippe ſi vetuſta foret illa traditio, non ſiluiſſent de ea omnes medii ævi ſcriptores. Si fidem inveniſſet apud principes & epiſcopos Beneventanos; quâ in* S. Januarium *ferebantur reverentiâ, non videntur relicturi fuiſſe domum ipſius natalitiam ſine honore & gloria, ſed vel ſacram baſilicam ex ea ſtruxiſſent, aut certè ſacellum aliquot in domo erexiſſent, ad memoriam natalium Patroni ſui continuandam & honorandam. Poterunt id negare Beneventani, ſed numquam poterunt prudentibus criticis perſuadere, domum illam quatuordecim ſeculis pro domo natalitia* S. Januarii *habitam & cognitam fuiſſe, nec tamen ullum tot ſeculis fuiſſe epiſcopum aut principem, qui eam ſacris uſibus aptandam crederet. Quare ab illis argumentis meritò abſtinuit laudatus De Vita.*

Melius habent argumentum ex gente Januaria & Januario II.

62 *Pro tertio argumento Nicaſtrius affert inſcriptiones antiquas, quibus evincere nititur, gentem Januariam floruiſſe Beneventi. Idem argumentum pro ſua urbe afferunt Neapolitani. Tale illud eſt, ut aliquid veriſimilitudinis producat, certitudinis nihil. Veriſimile admodùm eſt,* Januarii *nomen eſſe nomen gentis Januariæ, aliudque Sanctо fuiſſe prænomen, & fortaſſe aliud agnomen: qua excidere potuerunt, ut contigit de aliis non paucis. Verùm cùm Januaria gentis inſcriptiones reperiantur plures Romæ, Neapoli, & in aliis Italiæ locis, imò etiam in variis provinciis extra Italiam, ex nomine illo ſolo pro figendo loco natalitio nihil certi poteſt erui. Verùm argumento a-*

linn-

liunde pondus addidit eruditiſſimus Vita, nimirum ex ipſo epiſcopatu Beneventano. Cùm enim conſtet de gente Januaria, quæ Beneventi ſedes habuit prioribus æræ Chriſtianæ ſeculis, verisimilius ſit, ex ea fuiſſe Januarium *epiſcopum Beneventanum, quàm ex gente Januaria, quæ habitabat Neapoli.* His addam quoque, *inquit*, quod rem omnino conficere videtur, inſigne alterum, ac omnium præclariſſimum monumentum, ex eccleſiæ Beneventanæ faſtis optima fide depromptum, in quibus ante medium ſeculum quartum, cujus planè ſeculi initio S. Januarius epiſcopus & martyr extitit, adhuc S. Januarius alter epiſcopus & confeſſor floruit, de quo in Diſſert. IV plura à me dicta invenies. An verò ex gente Januaria Neapolitana, ſuis omnino neglectis civibus, poſteriorem hunc Januarium adhuc ſibi epiſcopum accerſere Beneventani voluerint? Non id certè Neapolitani ſibi tribuunt, qui, dummodo priorem ſibi vindicent, poſteriorem Januarium Beneventanis libenter concedunt. At cùm liberales in altero videri volunt, alterum vel nolentes coguntur amittere. Ex hoc enim Januario altero, quem Beneventanum civem Neapolitani omnino admittunt, quique à priore vix quadraginta annorum ſpatio remotus fuit, jam tutò affirmari poteſt, non ſolùm Januariam gentem ſatis illuſtrem Beneventi extitiſſe; verùm etiam poſteriorem hunc Januarium, tum prioris gentilis ſui meritis, tum ſuis virtutibus ſatis probatum, ad epiſcopale patriæ munus à ſuis civibus electum fuiſſe. *Hactenus laudatus canonicus, cujus ratio, petita à Januario II, multùm verisimilitudinis habet & probabilitatis. Subſcripſit Januarius II anno* 347 *concilio Sardicenſi. An gaudeat cultu legitimo, hactenus me latet, etſi* Sanctum *vocari à nonnullis videam.*

63 *Quartum argumentum ſumit Nicaſtrius ex habitatione matris* S. Januarii: *nam Acta num.* 9 *habent, illam fuiſſe Beneventi commoratam, ibique defunctam, quando captus erat Sanctus. Reſpondent Neapolitani, matrem cum filio Beneventum ſe recepiſſe, ne ipſius ſocietate careret. Poteſt eſſe vera hac commorationis Beneventana ratio; at nec certa eſt, nec omnem tollit ſuſpicionem Beneventanis favorabilem. Certè graviſſima vigebat contra Chriſtianos perſecutio, eâque præ ceteris in diſcrimen adducebantur epiſcopi. Itaque non videbatur expedire, ut eo tempore mater cohabitaret* S. Januario, *cui neceſſe erat latebras quærere. Quare non videtur futura fuiſſe Beneventi, ſed Neapoli, ubi perſecutio minùs viguit, ſi Neapolitana fuiſſet, & non Beneventana. Quidquid dixerint Neapolitani, non omnem amolientur ſuſpicionem opinioni ſuæ contrariam. Imò Nicaſtrius contendit, matrem* S. Januarii *cum eo in eadem domo non habitâſſe, quia ſic Sancti comprehenſionem, quam ei aliquo tempore ignotam fuiſſe Acta innuunt, ſtatim cognoviſſet. Reſpondeo, obſervationem illam revera accuratam fore, ſi conſtaret, Beneventi captum eſſe Sanctum; ſed in Annotatis obſervabo,* Januarium *probabiliùs Nolæ fuiſſe, cùm caperetur. Laudatus Vita eodem rurſum argumento utitur, ex eoque colligit,* univerſam S. Januarii familiam Beneventi conſediſſe. *Obſervat autem, commorationem illam matris* S. Januarii *in civitate Beneventana etiam aſſeri in Actis Mazochianis, quæ reliquis omnibus præfert cum Mazochio. At in hac criſi me non habebit conſentientem; cùm exiſtimem, illa Acta ex prolixioribus eſſe compoſita de* S. Soſio *in eccleſia Miſenate; & minorem, ubi diſſentiunt, fidem mereri, quàm prolixiora.*

alterumque ex commoratione matris S. Januarii,

64

64. *Si quis igitur meam de illo argumento ſententiam audire voluerit, dico illud favere Beneventanis, ſed factum ipſum, ex quo ſumitur, non eſſe certum, ideoque ex eo nihil certi poſſe concludi; nec certam fore concluſionem, etiamſi factum eſſet certiſſimum, quia mater Filium ſequi potuit ob rationes nobis ignotas. Caracciolus in Tractatu 2 contra Biloctam pag. 19 ex ipſis verbis loci objecti oſtendere nititur, matrem* S. Januarii *non habitâſſe Beneventi, ſed ibi ſolùm ad tempus fuiſſe commoratam. Verba Actorum hæc ſunt:* Mater quoque S. Januarii, in civitate Beneventana poſita, ante triduum, quàm Filius ejus pateretur, tale ſomnium vidit *&c. Caracciolus autem contendit, verbo* poſita *ſignificari, non habitationem fixam, ſed commorationem temporaneam. At ea obſervatio mihi magis videtur ſubtilis, quàm ſolida: neque enim ſcriptor Actorum tam ſcrupulosè ad verba ſua attendit, ut credibile ſit, eum aliud inſinuare voluiſſe, quàm matrem* S. Januarii *tunc fuiſſe Beneventi, quando Filius Nolæ erat captivus. Quare, etſi vox* poſita *habitationem non ſignificet, ſed intelligi revera poſſit de commoratione brevis temporis; multò veriſimilius in rerum adjunctis de habitatione, quàm de brevi commoratione intelligetur. Nam ſi habitâſſet Neapoli, ratio nulla erat inviſendi Filium, ſæviente graviſſima perſecutione. Nihilo magis videtur Filius ad alias civitates profecturus fuiſſe, ut ab eo ante comprehenſionem factum Acta innuunt, ſi mater Beneventum veniſſet, ut modico tempore cum Filio commoraretur. Acta igitur potiùs exponenda videntur de habitatione; quamvis lubens fatear, neque certam eſſe hanc expoſitionem, neque omnino certa videri, quæ de matre in Actis narrantur; neque ex habitatione illius temporis tutò inferri poſſe, matrem*

quæ Beneventi fuiſſe dicitur, dum ille captus eſt:

S. Januarii *ſemper Beneventi habitâſſe, ibique Filium peperiſſe. Itaque habent Beneventani ex illo argumento aliquid veriſimilitudinis pro ſua opinione, at nihil certi.*

item epiſcopatus Beneventanis veriſimili ratione favet.

65 *Tale etiam eſt quintum argumentum Beneventanorum apud Nicaſtrium, ut natales Sancti Beneventanos faciat veriſimiles, quamdiu graviora in contrarium non opponuntur, ſed minimè certos. Fuit Epiſcopus Beneventanus. Veriſimile igitur eſt, Beneventi natum eſſe, quandoquidem clerus & populus, quorum electione tunc epiſcopi creabantur, magis ſolerent propendere ad civem & clericum eccleſiæ ſuæ eligendum, quàm alienum. Poteſt argumentum ſic etiam formari. Electus eſt* S. Januarius *epiſcopus Beneventanus: veriſimiliter ergo ibi erat clericus. Si autem clericus fuit Beneventanus; veriſimile rurſum eſt, civitatis ejuſdem fuiſſe incolam; non verò Neapolitanæ. Cur enim Neapolitanus aggregari maluiſſet clero Beneventano, quàm Neapolitano? Sic, inquam, diſcurrere poſſunt Beneventani ratione admodùm veriſimili: & ad confirmationem adjungere, pleroſque illorum temporum epiſcopos haberi pro Beneventanis. Quæ ulteriùs adjungit ad hoc argumentum Nicaſtrius, omitto brevitatis causâ, utpote nihil profutura: neque enim eo argumento patriam* S. Januarii *certam facere poſſunt, ſed ſolùm veriſimiliter ſibi adſcribere, niſi veriſimilis hac ratio graviori elidatur. Reſpondent quidem Neapolitani, non rarò contigiſſe, ut epiſcopi eligerentur exteri aut peregrini, & nonnulla adducunt exempla. Verùm hæc reſponſio non tollit veriſimilitudinem Beneventanis faventem, quæ oritur ex plerumque contingentibus. Vita hoc etiam argumento rectè utitur tamquam præcipuo. Fortiùs urgeret, ſi probari poſſet, alios ante* S. Januarium *fuiſſe Beneventi epiſcopos cum clero, benè*

in-

inſtituto. Sic enim minùs fieret veriſimile, Beneventanis ex alia civitate datum eſſe epiſcopum.

66 Nicaſtrius cap. 6 pro ſexto argumento laudat Acta S. Januarii, *& Breviaria nonnulla. Verùm, quod ſpectat ad Acta, magis ſe defendere cogitur, quàm oppugnare Neapolitanos valeat, cùm ex Actis pro ſua opinione nihil habeat, imò nihil etiam ex vetuſtis Breviariis Beneventanis. Ex hodierno Breviario Romano ſubtili diſputatione aliquid pro ſua opinione exſculpere conatur; ſed Breviarium Romanum revera neutri parti favet, cùm in eo de patria* S. Januarii *nihil dicatur. Demum ex Antiphonario Mſs. Beneventano producit hanc Antiphonam ad Magnificat:* Salve defenſor patriæ, Januari ſanctiſſime, *&c., velletque, ut ex ea concluderemus, patriam* S. Januarii *Beneventum dici. Verùm reſpondeo primò, non indicari ætatem illius antiphonæ, quæ certò ſatis vetuſta non eſt ad cauſam Beneventanorum multùm promovendam. Secundò ſenſus antiphonæ eſt ambiguus: nam æquè aut magis defenſor Neapolis, quàm Beneventi, eſt* S. Januarius. *Dicit Nicaſtrius, antiphonam illam fuiſſe recitatam in feſto tranſlationis, quâ corpus Neapoli delatum eſt Beneventum. At Acta illius tranſlationis infrà edemus. In his Beneventani nulla voce inſinuant, patriam Sancti fuiſſe Beneventum. Itaque, niſi antiphona circa finem ſeculi* XV *aut ſeculo* XVI *fit compoſita, non facilè crediderim, voces illas,* defenſor patriæ, *exponendas eſſe* defenſor Beneventi; *ſed vel,* defenſor Neapolis, *ſi ex Officio Neapolitano verba ſint accepta; vel* defenſor totius regionis, *monti Veſuvio vicinæ. Quidquid ſit, nihil Beneventanor. . . cauſam juvare poſſunt allegata verba; nec ipſis prodeſſe poteſt novum Officium, vigente controverſia compoſitum, in quo primùm initio hujus ſeculi* S. Januarius *apertè dicitur*

Nihil habent Beneventani pro ſe ex Actis aut Breviariis vetuſtis;

civis Beneventanus.

Inſcriptio, quam Beneventani allegant proſe,

67 *Ultimum Beneventanorum argumentum petitur ab inſcriptione, quæ anno* 1624 ſub imis terræ *dicitur reperta, teſtibus Caracciolo* § 7, *& aliis: Illam primus edidit Marius de Vipera, archidiaconus Beneventanus, & impreſſit hoc modo:*

D. M.
IANVARIO, et FESTO:::: IDERIO BEN;
VT QVOS IVNXIT VNA
AMOR, PATRIA, ET MORS
SERVARET MONVM.
:::::CYPH. S. EXORATA PLE
M. P.

De hac inſcriptione, ubi prodiit, acris orta eſt diſceptatio. Beneventani illam ut vetuſtiſſimam, & à Cyphio ſenatore poſitam ſeculo IV, *fidenter propugnârunt. Neapolitani eamdem ut ſuppoſititiam ac fictitiam acriter impetierunt. Caracciolus, cùm in Opere Italico, tum in Monumentis eccleſia Neapolitanæ, multa congeſſit, ut ſuppoſititiam oſtenderet. In hoc Opere cap.* 20 *Sect.* 2 § 7 *ita ordiur:* A quonam & quando fictitium hoc epitaphium compoſitum ſit, ac in marmore ſculptum, & parieti eccleſiæ S. Luciæ affixum, prorſus ignoro. Suſpecta tamen res eſt, ſi obſervemus, Viperam in ſua cenſura contra Neapolitanos nullam prorſus hujus epitaphii mentionem feciſſe; cùm illam ediderit anno MDCXXXIII, & epitaphium dicatur inventum die XV Julii anni MDCXXIV in publicis tabulis notarii, cujus hæc ſunt verba: Repertum, ut dicunt, ſub terræ imis. *Ex illo ſilentio Viperæ & aliorum primum contra inſcriptionem ſumit argumentum, quod ut minùs validum prætermitto.*

68 *In expoſitione illius inſcriptionis variârunt*

Bene-

Beneventani. Litteras D. M., *quæ apud gentiles ſignificabant*, diis manibus, *primò explicuerunt*, Divis martyribus, *deinde*, Deo Maximo. *Sequentia verò verba, impleto hiatu, exponuntur hoc modo:* Januario & Feſto & Deſiderio Beneventanis, ut quos junxit unà amor, patria & mors, ſervaret monumentum, Cyphius ſenator (*aliàs* ſacerdos) exorata plebe. *Tum in litteris* M. P. *mirè rurſum variatur. Apud Nicaſtrium enim pag.* 198 *aſſeruntur quatuor hæ expoſitiones:* Merentibus poſuit, Monumentum poſuit, Memoriam poſuit, Menſam poſuit. *Tanta expoſitionum varietas oſtendit, nullam eſſe ſatis probabilem, prout revera in adjunctis rerum nulla mihi probabilis apparet. Verumtamen nolim longa oratione ſingula inſcriptionis illius vitia inveſtigare. Solùm breviter inſinuabo, quanam exagitaverit Caracciolus, cui parùm aut nihil alii addiderunt. Improbat primò Caracciolus litteras illas* D. M.; *quæ in omnibus paſſim gentilium epitaphiis leguntur ſuperiùpoſitæ eo modo, quo in hac inſcriptione, & explicantur* diis manibus. *Beneventani quidem reſponderunt, litteras hîc eſſe exponendas* divis Martyribus *aut* Deo Magno *vel* Maximo. *At*, (*ut alia brevitatis causâ mittam*) *non ſit mihi veriſimile, ab homine Chriſtiano uſitatas fuiſſe litteras illas gentilium, ut iis aliam ſignificationem attribueret, quàm communem eo tempore. Qui enim ſeculo* IV *legiſſent illas litteras, communem interpretationem facilè fuiſſent ſecuti: quod ſtudiosè cavendum erat Chriſtianis, ne mores gentilium ſequi viderentur, præſertim cùm in tota inſcriptione nihil habeatur, quo Chriſtiana potiùs, quàm gentilis, videri poſſit.*

à Neapolitanis acriter impugnatur,

69 *Secundò expoſitionem* divis martyribus *reprobat, quia vox* divus *gentilium erat, nec erat*

ut ſuppoſititia ; eam tamen defenderunt Beneventani :

uſitata antiquis Chriſtianis pro voce Sanctus. *Tertiò obſervat, redundare particulam* et *ante nomen* Feſti: *nam ea inſcriptionem facit minùs elegantem. Quartò inuſitatum eſſe illud* Ben. *pro* Beneventanis. *Quintò advertit, virgulas vocibus interjectas non eſſe uſitatas in vetuſtis inſcriptionibus. Sextò dicit, frigidam eſſe ac pendere locutionem iſtam:* Ut quos junxit amor, patria & mors, ſervaret monumentum, *cùm dicendum fuiſſet*, idem monumentum. *Septimò obſervat, Cyphii, qui monumentum poſuiſſe dicitur, nomen decurtatum eſſe; vultque nomen poſitoris non ſolere decurtari, maximè quando ille magis obſcurus eſt, quàm notus. Addit, illud* S. *pro deſignando ſenatore vix etiam inveniri. Octavò Caracciolus multùm exagitat illud*, exorata plebe: *exiſtimatque, plebis conſenſum minimè fuiſſe neceſſarium ad illud, quod agere volebat Cyphius. Nonò reprehendit, quòd nulla in inſcriptione fiat mentio* ſanctitatis, aut dignitatis, aut martyrii. *Hoc ſanè mirum apparet. Demum addit aliud argumentum, quo oſtendit, inſcriptionem à vero aberrare, quodque mox latiùs deducam. Nicaſtrius cap.* 8 *argumenta Caraccioli & aliorum conatus eſt enervare, ſubditque pag.* 181 *Examen Bartholomæi Riceputi, qui ſimiliter ad argumenta Caraccioli reſpondet. Verùm nolim ego tam prolixus eſſe, quàm eſſe revera deberem, ſi ſingula reſponſa novo examini ſubjicerem. Solùm obſervo, ad ſingula argumenta aliquid reſponderi, & ita reſponderi, ut ſingula nequeant evincere, inſcriptionem eſſe fictitiam. Vel ſic tamen non poterimus non mirari, tam multas difficultates & ineptias in una, eaque brevi inſcriptione, accumulatas eſſe; & ſemper ſuſpicabimur, non aliunde id factum eſſe, quàm quòd ſit novellum inventum hominis non ſatis docti ad imitandum vetuſta monumenta, præſer-*

ſertim cùm illa inſcriptio alio argumento, quod modò elucidabo, ſatis evertatur.

70 *Inſcriptio, ſi vera eſt, dicit, monumentum, quo ſimul ſervarentur, à Cyphio ſenatore erectum eſſe* SS. Januario, Feſto & Deſiderio. *Monumentum illud poteſt eſſe ſepulcrum magnificum, ſive mauſolæum. Si voluerint Beneventani, ut revera contendit Nicaſtrius pag.* 162, *eccleſiam intelligi, illud ultrò concedam. Si maluerint cum Riceputo ibidem pag.* 194, *altare fuiſſe erectum à Cyphio, & ultimas litteras* M. P. *explicuerint* Menſam (*id eſt, altare*) poſuit, *ne hanc quidem expoſitionem admittere detrectabo. At ſive tumba aut mauſolæum, ſive eccleſia, ſive altare intelligatur; illud certiſſimum eſſe debet, monumentum illud factum dici, ut ſervaret* Januarium, Feſtum & Deſiderium, *ſive trium horum Martyrum corpora. Cùm autem inſcriptio non ponatur, niſi poſt erectum monumentum; monumentum verò iſtud erectum non fuerit, niſi poſt accepta à Cyphio corpora; voces,* ut ſervaret monumentum, *eamdem vim habent, ac ſi tres laudati Martyres illo monumento dicantur fuiſſe ſervati. Sit modò eccleſia, ſit altare, ſit ſepulcrum, ſemper falſum erit,* S. Januarium *eo monumento fuiſſe ſervatum, cùm corpus* S. Januarii *numquam Beneventi fuerit ante ſeculum* IX, *quo tranſlatum eſt à Sicone principe. Quare non poſſumus illam inſcriptionem Cyphio attribuere, niſi ipſum velimus mendacem facere. Nicaſtrius pag.* 178 *vidit difficultatem, licèt breviùs propoſitam, & reſpondit aliqua, ne videretur ſiluiſſe. Primò dicit, forſan inſignes reliquias* S. Januarii *fuiſſe à Cyphio obtentas. At hoc nec veriſimile eſt, nec ab ullo antiquo dictum, nec tolleret difficultatem. Nam integra* Feſti & Deſiderii *corpora habebat Cyphius. Non debebat igitur de illis & de* S. Januario *eadem*

at oſtenditur, mendacem eſſe inſcriptionem, ſi poſita ſit ſeculo IV 5

eadem

dem afferere. Altera ipſius reſponſio æquè inepta eſt. Nam obſervat voce monumentum *varia ſignificari: quod prodeſſe nequit. Non enim tantùm dicitur erectum fuiſſe monumentum, ſed monumentum, quod ſervaret illos, quos amor junxerat, id eſt, corpora ipſorum. Itaque ſemper erit mendax inſcriptio & rectiùs numquam fuiſſet producta, prout nullam de ea mentionem facit clariſſimus Vita.*

nam attribuit Cyphio ſenatori, quod ſeculo IX *fecit Sico princeps:*

71 *Tranſlatio corporis* S. Januarii *Beneventum, quæ auctorem habet Beneventanum & contemporaneum, ſatis oſtendit, ignotam tunc Beneventanis fuiſſe inſcriptionem illam, imò etiam, Beneventanos tunc minimè cogitâſſe de natalibus* S. Januarii *civitati ſuæ attribuendis. Etenim num* 7 *de tranſlato in urbem* S. Januario *dicitur:* Quem in baſilica ſui beatiſſimi diaconi Feſti poſuerunt, donec illi ſummo cum honore locus in ſua ſede pararetur. *Nulla igitur tunc* S. Januarii *eccleſia erat Beneventi. Illam tamen* S. Feſti *eccleſiam* SS. Januario, Feſto & Deſiderio *dicatam fuiſſe, ibique inſcriptionem à Cyphio poſitam, contendit Nicaſtrius pag.* 163, *ſed prorſus improbabiliter. In Appendice ad Acta prima narratur tranſlatio* SS. Feſti & Deſiderii *Beneventum ſine mentione ulla de* S. Januario, *& paulò pòſt de Cyphio ſubjungitur:* Et memoratis Sanctis baſilicam fecit, *nimirum* Feſto & Deſiderio, *ſed illa erat extra urbem. Quod autem mendax inſcriptio malè attribuit Cyphio, factum eſt ſeculo* IX, *curante Sicone principe Beneventano, & deponente corpora* SS. Januarii, Feſti & Deſiderii *in eccleſia antiqua, Siconis juſſu inſtaurata, Gucto epiſcopo, ut legitur in laudatis illius tranſlationis Actis num.* 8, *ubi etiam leguntur ſequentia:* Itaque venerabilis Gucti præſul cum omni multitudine populi ad locum, in quo ſenator Cyphius beatiſſimum Feſtum & Deſiderium locaverat,

rat, pergens, eoſdem in urbem ad ſuum Pontificem tranſvexit, ut eorum corpora uno ſub tegmine locarentur, quorum ſpiritus una Domini gratia univit. *Itaque conjuncta ſunt corpora* SS. Januarii, Feſti & Deſiderii *in eadem eccleſia, non ſeculo* IV *per Cyphium, ſed ſeculo* IX *per Siconem.*

72 *Conjuncta autem ſunt eorumdem corpora, non quia eamdem habebant patriam, ſed quia unâ Domini gratiâ eorum ſpiritus fuerant uniti. Mirum ſanè eſſet, Beneventanos ſeculo* IX *prorſus ignorâſſe inſcriptionem illam Cyphii, ſi antea fuiſſet poſita. Non minùs mirandum, patriam Sancti in dictis Actis nullo verbo fuiſſe memoratam, ſi illa fuiſſet dudum ex illa inſcriptione, aut ex natalitia Sancti domo Beneventanis cognita. Auctor tranſlationis circa initium ſtatim ait, ſe narraturum, quomodo* S. Januarii *corpus* ad ſuam ſedem *fuerit reductum, nullibi* ad ſuam patriam. *Similiter in iiſdem Actis* S. Januarii *bis vocatur* pater *Beneventanorum, numquam* civis; *dicitur* pontifex *ſanctorum* Feſti & Deſiderii, *at minimè* concivis. *Idem eſt ſilentium de nato Beneventi* S. Januario *in lectionibus vetuſtis eccleſiæ Beneventanæ, quas edidit Falconius pag.* 156; *imò in lectionibus illis ſub finem ea leguntur de* S. Januario, *ut ipſi Beneventani tunc videantur agnoviſſe, patriâ fuiſſe Neapolitanum, ſicut latiùs loco ſuo oſtendam.*

eo autem tempore Beneventani non videntur Januarium pro cive ſuo habuiſſe;

73 *Ceterùm Nicaſtrius cap. 7 inter argumenta Beneventanorum etiam computat auctoritatem ſcriptorum, qui aſſeruerunt,* S. Januarium *Beneventi natum eſſe. Poterat ſanè paucioribus verbis totum illud caput abſolvere, cùm nihil haberet, quod magnopere ad propoſitum noſtrum conduceret. Etenim primus auctor, quem allegat, eſt Bernardinus Siculus, quem dicit floruiſſe anno* 1496. *Scripſit revera Bernardinus circa illud tempus, uno tamen*

quod nullus aſſeruiſſe ſcitur ante Bernardinum Siculum.

alterove anno ſeriùs, ultimam tranſlationem S. Januarii *carmine Italico, dicitque Sanctum Beneventi natum eſſe. Non inquiro, unde ſcriptor ille Siculus in eam opinionem deductus ſit. At ſolùm obſervo, totis duodecim ſeculis poſteriorem eſſe natalibus* S. Januarii, *ideoque auctoritatem ipſius in hiſce nullam prorſus eſſe. Idem planè dicendum de Davide Romæo, Paulo Regio, aliiſque poſterioribus. Nam nullus eorum probavit, quod de patria* S. Januarii *dixit: nullus tanta ab accurata criſi hiſtorica habet merita, ut defectum ætatis ſuæ utcumque ſuppleverit. Quapropter numerum illi tantùm facere poſſunt, non auctoritatem ullius momenti. Ad hoc igitur ſolùm valere videntur ſcriptores illi, nimirum ad excuſandos Beneventanos, quòd opinionem aliquam antiquis Beneventanis, quantùm apparet, prorſus incognitam, poſterioribus ſeculis ſuſcitare & defendere cœperint. Etenim non miramur, quòd opinionem patriæ ſuæ honorificam, ab externis ſcriptoribus primò aſſertam, & ob epiſcopatum* S. Januarii *primo intuitu admodùm veriſimilem, ſtudiosè ſuſceperint defendendam. Si tamen monumenta Neapolitanorum longè præponderaverint, quod modò examinare aggredior, rectè omnino facient, ſi maluerint rationibus acquieſcere, quàm perpetuam facere controverſiam.*

§ V.

§ V. Argumenta Neapolitanorum, diuturna traditione natales S. Januarii urbi ſuæ vindicantium: horum ſententia videtur ſequenda.

Primum argumentum pro Neapolitanis

NEapolitanorum argumenta fusè proponit Caracciolus § 9, breviùs Tutinus cap. 17, Hieronymus à S. Anna cap. 1: varia etiam affert Falconius lib. 2 cap. 12 & aliis locis, Sabbatinus ad XIX *Septembris Differt. 1, aliique plures, quibus nihil novi addiderunt Neapolitani in Commentario ad nos miſſo. Ego ex omnibus ea ſeligam, qua mihi ſolidiora videbuntur, eaque proponam meis plerumque verbis, ne diſſertationem prolixiorem faciam, quàm ſit neceſſe, ſi aliorum verbis uti voluero. Primum argumentum ſumitur ex Actis primis circa finem, ubi hæc leguntur:* Chriſtiani autem diverſarum urbium cuſtodiebant corpora Sanctorum (*poſt eorum martyrium*,) ut ea noctu raptim tollerent, & in civitatibus ſuis portarent. *Ita Acta, prout initio ſcripta videntur, & in codice noſtro leguntur. Deinde innuitur, ſublata eſſe noctu corpora ab incolis diverſarum civitatum. Non tamen additur in primis Actis, quarum fuerint civitatum incolæ, qui ſingulorum corpora rapuerunt. Verùm id adjungitur in Appendice Actorum poſtmodùm addita. Ex allegato autem loco argumentum deduci poteſt hoc modo. Qui corpora ſeptem illorum Martyrum ſuſtulerunt, fuerunt Neapolitani, Beneventani, Puteolani & Miſenates. Atqui reliqui omnes non a-*

tios ſuſtulerunt, quàm cives ſuos, Beneventani videlicet Feſtum & Deſiderium, *Puteolani* Proculum, Eutichetem & Acutium, *ac Miſenates* Soſium. *Cur igitur dicamus, alium à Neapolitanis fuiſſe raptum, quàm civem Neapolitanum, quando illi* S. Januarium *ſepultura tradiderunt?*

petitur ex ſepultura corporis per ipſos curata,

75 *Certè non novimus, ullo alio titulo Sanctum ad Neapolitanos ſpectâſſe, quàm natalium. Cur Neapolitanos dicemus veniſſe Puteolos, & ad vicinum martyrii locum, ut corpus* S. Januarii *tollerent, ſi hic peregrinus erat, & ad Beneventanos non minùs natalium quàm epiſcopatûs titulo pertinebat? Caritatis quidem & pietatis opus erat ſepelire Martyres; ſed opus item erat in ſævis illis perſecutionibus periculo plenum, quod raro legimus ab exteris peractum, ubi aderant noti, qui idem præſtare poterant, uti hîc aderant Beneventani. Itaque omnia inſinuant, non minùs Neapolitanum fuiſſe* Januarium, *quàm illarum civitatum, à quarum incolis ſublati ſunt, reliqui erant Martyres. Reſpondent quidem Beneventani, Neapolitanos tuliſſe corpus* S. Januarii, *quia divina revelatione erant moniti. At eo reſponſo vis argumenti non infringitur. Nam, ſi velimus eam revelationem, prout in Actis legitur, omnino ut certam admittere, facilis erit reſponſio. Certè* S. Januarius *non dicitur eos monuiſſe, ut venirent ad tollendum corpus ſuum; ſed, poſtquam hunc in finem venerant, uni eorum apparuiſſe, eumque monuiſſe, ut digitum ſuum abſciſſum unà quærerent. Itaque apparitio illa Neapolitanorum adventu poſterior eſt, & unicè ſpectat ad abſciſſum digitum. Manet igitur vis tota argumenti. Facilè etiam reſponderi poteſt ad aliam objectionem, à laudato antè Vita reliquis additam ex eo, quòd* S. Januarius *à Neapolitanis primùm in agro Marciano, deinde extra Neapolis mœnia fue-*

rit

rit ſepultus. Etenim ſecuti ſunt uſum eo tempore communem & legibus firmatum, quo non licebat mortuorum corpora intra urbem ſepelire. Alius uſus invaluerat ſeculo IX, *quo Beneventani corpus* S. Januarii *Beneventum tulerunt.*

& ex eo, quòd omnes reliqui à ſuis concivibus legantur ablati.

76 *In Appendice Actorum apud nos num.* I, *ubi enarratur, ad quas civitates ſingulorum Martyrum corpora fuerint deportata, hæc leguntur de ſublato* S. Januarii *corpore:* Noctu verò, cùm unaquæque plebs ſollicitè ſuos ſibi Patronos rapere feſtinarent; Neapolitani beatum Januarium ſibi patronum tollentes à Domino meruerunt. *Non dicitur hìc clarè,* S. Januarium *fuiſſe Neapolitanum. Cùm tamen aliæ civitates non alios ſibi patronos abſtulerint, quàm cives ſuos; cúmque Beneventani non legantur conqueſti de ablato ſibi corpore* S. Januarii, *quem ut epiſcopum & civem ſuum auferre potuiſſent, ſi fuiſſet Beneventanus, videntur Neapolitani eodem jure* S. Januarium *accepiſſe, quo reliquæ civitates Patronos ſuos, nimirum jure natalium. Itaque unaquaque plebs illos tollere ſtuduit, quos ad ſe pertinere, & aliquo titulo patronos ſuos eſſe credebant. Hæc expoſitio admodùm ſit veriſimilis ex eo, quòd nec Nolani, apud quos pati cœperant aliqui ex Martyribus, nec aliæ vicinæ civitates ullum ex dictis Martyribus ſibi ſuſtulerint. Neque enim facilè credemus, ſolos feciſſe Neapolitanos, quod nulla alia è vicinis Campaniæ civitatibus fecit; rapuiſſe videlicet corpus Martyris nullo titulo ad ſe pertinentis; nec obſtitiſſe Beneventanos. Hinc in Actis dicuntur* Chriſtiani diverſarum urbium *invigilâſſe, ut corpora raptim tollerent,* & in civitatibus ſuis portarent. *Hæc autem non aliter exponenda ſunt, quàm de civitatibus Martyrum, ut eventus docuit. Nam, ut omnes conſentiunt, ſex Martyres ad ſuas civitates delati ſunt, & de ſolo*

Januario *utcumque dubitatur. At, ſi Chriſtiani ſine diſcrimine ſuis civitatibus aliquod corpus tollere ſtuduiſſent, plures perveniſſent ad civitates alienas. Dicendum igitur eſt, aut conveniſſe inter Chriſtianos, ut corpora Martyrum traderent iis civitatibus, in quibus hi erant nati; aut certè Chriſtianos non fuiſſe intentos ad corpora aliorum, quàm civium ſuorum, tollenda.*

Altera ex ejus tranſlatione Neapolim.

77 *Aliud argumentum, idque minimè contemnendum, quod præcedentibus etiam robur addit, ſuggerit prima* S. Januarii *tranſlatio, quâ corpus è loco Marciano, ubi ſepultum erat, Neapolim tranſlatum eſt. In Appendice Actorum de ea tranſlatione hæc leguntur:* Poſtea verò, quieto jam tempore, venerabiles epiſcopi unà cum omnibus ex genere beatiſſimi martyris Januarii, cum plebe Dei ſancta, cum hymnis & laudibus corpus ejus tollentes, juxta Neapolim tranſtulerunt *&c. Idem narratur in fine quoque aliorum Actorum apud Falconium, & in Officio eccleſiæ Beneventanæ apud eumdem pag.* 161. *Verba hujus Officii ad propoſitum noſtrum huc tranſfero:* Poſtea verò, quieto jam tempore, venerabilis epiſcopus unà cum omnibus ex genere beatiſſimi martyris Januarii, & cum plebe Dei ſancta, cum hymnis & laudibus corpus ejus tollentes, juxta Neapolim tranſtulerunt, & poſuerunt in baſilica, ubi per longa annorum curricula requievit. *Hæc ipſi in Officio ſuo Beneventani, qui minimè cogitabant de attribuendis ſibi Sancti natalibus. Jam verò, cùm tranſlatio ſit Neapolitana, in qua epiſcopus Neapolitanus primas geſſit partes, ubi dicemus habitâſſe conſanguineos* S. Januarii, *qui omnes tranſlationi adfuerunt? Omnes certè, qui partium ſtudio ſunt vacui, exiſtimabunt, illos habitâſſe Neapoli, aut in ejus vicinia; & conſequenter ex hoc etiam loco veriſimillimum fieri,* S. Ja-

Januarium *fuiſſe Neapolitanum, ubi ipſius degebant conſanguinei. Si quis vitilitigator dixerit, ipſos eum in finem Benevento Neapolim venire potuiſſe; reſpondebo, id etiam addi potuiſſe in Actis, ſi factum eſſet, nec tamen adjunctum legi. Contrà, cùm* omnes *dicantur adfuiſſe, non eſt veriſimile, eos habitâſſe in civitate alia, quàm in Neapolitana. Quare credendum eſt, conſanguineos* S. Januarii *habitâſſe Neapoli, ut locus allegatus omnino inſinuat. Nam ſi habitâſſent Beneventi, inſtitiſſent procul dubio, ut corpus Beneventum transferretur.*

Patria Sancti Neapolis in vetuſto ſcripto clarè aſſerta.

78 *Mitto argumenta varia Caraccioli, quòd ea mihi minoris momenti videantur. At nolim prætermittere, quod pag.* 214 *&* 215 *latè deduxit ex Oratione tunc Ms., nunc edita apud Falconium lib.* 2 *cap.* 2, *& cap.* 8 *à pag.* 196, *ubi finis illius Orationis, primùm prætermiſſus, etiam eſt impreſſus. Habita fuit Oratio Neapoli incerto quidem tempore, ſed certè ante tranſlationem corporis Beneventum, factam ſeculo* IX. *Orator autem apud Falconium pag.* 197 *de corporibus* S. Januarii *& ſex Sociorum ſic loquitur:* Septem namque fortiſſimi Athletæ Dei pariter ſuſcepere martyrium: quorum ſinguli ſuorum civium reſtituti urbibus, perceptum à Domino patronatum gerere non deſiſtunt. *Hæc verba* S. Januarium *clariſſimè faciunt Neapolitanum, cùm corpus ejus, eodem teſte pag.* 143, *Neapolim eſſet delatum, & in baſilica eadem, ubi fuerat depoſitum, quieſceret. Auctor quidem ille non poſſet eſſe magni ponderis, cùm aliquot ſeculis poſt* S. Januarium *ſcripſerit; ſed alia adjuncta faciunt, ut auctoritatem in hiſce mereatur. Nam clariùs expoſuit, quòd paulò obſcuriùs dicitur in Appendice primorum Actorum apud nos num.* 4. *his verbis:* Qui Sancti, donante Divinitate, unuſquiſque eorum

rum civitatis ſuæ perceptum à Domino patronàtum gerentes *&c. Præterea Beneventani ignorare non potuerunt*, S. Januarium *à Neapolitanis aſſeri civem Neapolitanum. Attamen non videntur ſe unquam medio ævo iſti ſententiæ oppoſuiſſe, aut* Januarium *feciſſe Beneventanum. Certè in Tranſlatione corporis, ſeculo* IX *ſcripta ab auctore Beneventano, nullum occurrit verbum, quo Beneventani videntur civitati ſuæ attribuere natales* S. Januarii, *nullum item in antiquiſſimis Beneventanorum Officiis, quæ Neapolitanis potiùs favent, ut jam vidimus. Beneventani igitur ſilentio ſuo Neapolitanorum ſententiæ ſubſcripſiſſe videntur.*

Neapolitanorum opinio, ut ſatis probata, & à plurimis

79 *Cùm allata argumenta non modò multùm præponderent argumentis Beneventanorum, ſed etiam ſufficere videantur ad habendam Neapolitanorum ſententiam pro ſatis probata, non lubet examinare reliqua argumenta Caraccioli: nam illud examen magis valeret ad hanc diſputationem producendam, quàm ad firmiùs ſtabiliendam ſententiam ſatis probatam. Quapropter breviter tantùm inſinuo, ipſum etiam alia allegare documenta, cùm Neapolitanorum tum Beneventanorum, ex quibus pro ſua opinione probabilia deducit argumenta, nec omitti ab eo ſcriptores poſteriorum ſeculorum, qui aſſeruerunt,* S. Januarium *fuiſſe Neapolitanum, antequam ullus ſcripſiſſe ſcitur, Beneventanum fuiſſe. Inter monumenta Mſs., quæ allegat, eſt Chronicon* S. Mariæ de Principio *dictum, in quo apertè dicitur,* S. Januarius martyr, civis Neapolitanus. *Allegat Bartholomæum Caracciolum, dictum* Caraſam, *in cujus Chronico* S. Januarius *clariſſimè Neapolitanus aſſeritur, & quidem* ex platea Furcillæ. *Allegat Alexandrum Caraſam, archiepiſcopum Neapolitanum, qui anno* 1497 *libellum excudendum curavit, Miſſas, orationes, rhythmos Sanctorum aliquot Neapolita-*

tanorum continentem, in quo rursum patria S. Januarii *insinuatur Neapolis, quemadmodum & in Officio* S. Januarii, *quod usitatum fuit ante reformationem Breviarii*, Parthenopæus municeps, *id est, civis Neapolitanus vocatur. Demum allegat Joannem Villanium, non Florentinum illum vulgò notum, sed Neapolitanum eidem ferè contemporaneum; Cæsarem Carpanium, canonicum & poëtam Neapolitanum, Matthæum de Afflicto in Officio, quod de* S. Januario *composuit; Antonium Alexium, poëtam Neapolitanum.*

80 *Tum demum, omissis recentissimis, qui plurimi sunt, meritò dicta sua* § 10 *colligit hoc modo:* Habemus igitur nubem testium, ab ipsa B. Januarii pretiosa nece (*dixerim potiùs*, à quinto forsan seculo) ad hæc ferè tempora, serie propemodum continuata productam... qui luce clariùs asserunt id, quod verum certumque est; nimirum B. Januarium fuisse Neapolitanum civem. Hoc tot sæcula nobis vendicant: hoc vetusti & carioſi MMss. codices, hoc typis excusi libri cum fide adservant: hoc omne genus auctores, sacri, profani, historici, poëtæ tradunt, qui eum "Neapolitanum, pa„triam gubernantem, patriæ defensorem, nobi„lem Neapolitanum de platea Furcillæ, in cives „pium, intendentem cunctos suos cives, defen„dentem eos ab omni periculo, municipem Par„thenopæum, curantem patriæ patrocinium, in „cives commodum, tuentem suos cives„ indigetant. Hoc ipsa Beneventana ecclesia olim publico cantu (*saltem obscuriùs*) personabat. Optimo itaque jure id nostra Neapolis tuetur & fovet. *Hactenus Caracciolus, cujus sententiæ non possum non subscribere. Etenim, licèt cum dubitatione ad examinandam hanc quæstionem accesserim, & sine ullo pro alterutra parte præjudicio utrimque disputata*

etiam historicis, & vetustis documentis asserta,

tata perlegerim, & eo animo, ut neutri parti faverem, niſi veritas videretur ſe manifeſtare; dubitationem illam coactus ſum paulatim deponere, itáque depono, ut non dubitem aſſerere, Neapolitanorum ſententiam omnino amplectendam videri. Ad hanc autem ſententiam pro vera habendam minùs me impulerunt Diſſertationes pro Neapolitanis edita, quàm illa ipſa, quas pro ſe ediderunt Beneventani, aut potiùs quàm examen documentorum omnium, quæ de S. Januario *edita habemus & manuſcripta.*

omnino ſequenda videtur.

81 *Nam ex Diſſertationibus Beneventanis, collatis cum diligenti perſcrutatione monumentorum omnium, in eam omnino perductus ſum ſententiam, ut exiſtimem, non cogitâſſe unquam Beneventanos de attribuendis urbi ſuæ natalibus* S. Januarii *ante Bernardinum Siculum, ſub finem ſeculi* XV *ſcribentem, aut certè non diu antè. Siculus ille poëta omnium ſcriptorum, quos afferunt, antiquiſſimus eſt: & quantò majoribus ejus auctoritatem ſtudiis attollere ſtudent, tantò inopiam ſuam magis produnt. Credebam ſanè, in prolixa Nicaſtrii Diſſertatione alia me reperturum argumenta; ſed pro argumentis reperio laudes, quibus Bernardinum Siculum, alioſque neotericos, ipſum leviter ſecutos, exornare ſtuduit. Verùm neque horum laudes causam Beneventanorum juvare poſſunt: neque textus juris, quos frequenter allegat, efficere queunt, ut omnia antiqua documenta non faveant Neapolitanis, & horum ſententiam ſatis probent. Rectiùs quidem nuper diſſerunt Clariſſimus Canonicus de Vita, & præcipua Beneventanorum argumenta ſelegit. Attamen perpetua traditio, vetuſtis documentis probata, omnino videtur ſtare pro Neapolitanis. Nam pro Beneventanis nihil reperio præter veriſimilitudinem aliquam, cùm ex epiſcopatu Beneven-*

tano

tano pro patria ipſius reſultantem, tum ex aſſerta in Actis matris ipſius commoratione in ea urbe, tum ex Januario II. At ea qualiſcumque veriſimilitudo nequit in comparationem venire cum argumentis Neapolitanorum, & ſic prorſus evaneſcit. Fatetur Nicaſtrius pag. 18, *nullum ſcriptorem Beneventanum ante annum* 1633 *in ſcriptis aſſeruiſſe,* S. Januarium *fuiſſe Beneventanum; aitque, ſcriptum non fuiſſe, quia omnibus erat notum. Verùm longè rectius dicam, ſcriptum non fuiſſe, quia ignotum erat.*

§ VI. Nobilitas S. Januarii: initium epiſcopatûs incertum: de locis, tempore, aliiſque adjunctis martyrii ipſius & Sociorum diſſeritur.

Nobilitas Sancti ex ſolo nomine fit veriſimilis, non certa,

Nobili & illuſtri genere ortum fuiſſe S. Januarium, *paſſim omnes aſſerunt, qui poſterioribus ſeculis de ipſo ſcripſerunt. Ad probandam illam nobilitatem, allegant inſcriptiones plures, quibus oſtendunt, ex gente Januaria & conſules fuiſſe & Urbis præfectos. Dubito tamen, an illa probatio rem faciat omnino certam, aut potiùs mihi ſatis certum videtur, nobilitatem* S. Januarii *eo argumento non fieri indubitatam. Ut enim res fieret certa, conſtare deberet, nomen* S. Januarii *familiæ eſſe, non proprium. Hoc autem certum non eſt, licèt probabile admodùm videatur. Nam unicum Sancti nomen innotuit. Quis modò ſatis certò edicat, utrùm id fuerit nomen familiæ, an proprium nomen, an cognomen. Præterea probandum eſſet, nec nomen*

nec cognomen S. Januarii *aliis fuiſſe, quàm illuſtri Januariorum familia. Certè liberti gerebant nomen patronorum ſuorum, ut probatur apud Pitiſcum in Lexico antiquitatum Romanarum ad vocem* liberti. *Apud Falconium pag. 99 adducitur inſcriptio ſepulcralis his verbis concepta:* C. Poppæo Januario Poppæa Januaria patrono benemerenti fecit. *Ex verbis liquet, libertam fuiſſe Poppæam Januariam; qua igitur ratione ſolum* Januarii *nomen ſufficeret ad certò oſtendendam Sancti noſtri nobilitatem?*

ſed aliis rationibus abundè probatur.

83 *Alio itaque argumento opus eſt, ut nobilitas* S. Januarii *pro certa aut ſaltem veriſimillima haberi poſſit. Appendix ad Acta prima apud nos num.* 1 *ſic habet:* Poſtea verò, quieto jam tempore, venerabiles epiſcopi unà cum omnibus ex genere beatiſſimi martyris Januarii, cum plebe Dei ſancta, cum hymnis & laudibus corpus ejus tollentes, juxta Neapolim tranſtulerunt *&c. Hæc verba inſinuant, familiam* S. Januarii *præclaram fuiſſe & nobilem: neque enim auctor tam ſingularem, quantùm conjicere poſſumus, mentionem feciſſet de conſanguineorum Sancti præſentia, ſi ignobiles fuiſſent & plebeii. Idem refertur in aliis Actis apud Falconium, & ibidem pag.* 146 *in antiquiſſimo Officio Neapolitano nobilitas clariùs aſſeritur his verbis:* Nec non præclaris nobilibus conſanguineis Martyris *&c. Præterea in ipſis Actis num.* 2 *verba tyranni ad* Januarium *hujus nobilitatem inſinuant, cùm ita alloquatur Sanctum:* Januari, audiens opinionem generis tui, hortor te &c. *Innuunt allata verba, in magna exiſtimatione fuiſſe genus* S. Januarii. *Fateor quidem, nolle me contendere, ſermocinationes Actis inſertas iiſdem verbis prolatas eſſe. At auctor ſaltem nôſſe poterat familiam Sancti, nec tyrannum induxiſſet loquentem ad Sanctum;*

ctum, tamquam nobili familia ortum, ſi noviſſet ipſum ex ignobili genus duxiſſe. His igitur argumentis abundè liquet, S. Januarium *nobili genere natum, indeque ulteriùs veriſimile eſt, ex nobili gente Januaria ipſum fuiſſe ortum, nomenque familiæ eſſe, quo* Januarius *nominatur. Alia Sancti nomina exciderunt: nam quæ Falconius de nominibus* S. Januarii, *& de parentibus ipſius ex fictitia Vita Græca diſſeruit, magis merentur æterna oblivioni tradi, quàm refutari. Sufficiat hîc ſemel monuiſſe, nolle me tempus otiosè terere refutandis fabulis ex ſuppoſititio illo monumento deſumptis, ſed ſtatuiſſe ab eo conſtanter abſtinere, acſi numquam fuiſſet productum.*

84 *De anno nati* S. Januarii *nihil innotuit. Solùm conjicere poſſumus, natum eſſe circa aut poſt medium ſeculi* III. *Nam obiit anno* 305, *nec fuit ſenex, quantùm apparet, cùm mater tantùm triduo ante martyrium Filii dicatur obiiſſe in Actis num.* 9, *ubi ne de hujus quidem ſenectute ſit mentio. Quapropter incertum eſt, an triginta, quadraginta aut quinquaginta annis propinquus eſſet Sanctus, quando martyrio vitam finivit: neque enim attentionem meretur, ſi quis poſteriorum ſeculorum ſcriptor juvenem eſſe dixerit, cùm ea de re nihil apud antiquos legatur. Æquè incertum eſt, utrùm longo an brevi tempore epiſcopatum geſſerit; quamvis recentiores aliqui de tempore obtenti epiſcopatus fuerint locuti: neque enim ullum ex vetuſtis monumentis producunt teſtimonium, & deceſſores* S. Januarii *ſunt planè ignoti. Porrò de geſtis* S. Januarii *in epiſcopatu ante comprehenſionem, quemadmodum & de aliorum ſex Martyrum, ſolùm innotuerunt pauca illa, quæ de amicitia inter* Januarium & Soſium, *de conatu utriuſque ad fidem propagandam, & de factis, quando* Januarius Soſium

Ætas S. Januarii & Sociorum, ac pleraque geſta ignota:

sium *inviſebat, in Actis ſecundis & apud Joannem Diaconum leguntur. De his igitur plura non dico: nam quæ de geſtis Sanctorum noſtrorum à nonnullis colliguntur ex dictis tempore martyrii, firma eſſe nequeunt, cùm ipſa dicta non videantur ſatis certa.*

Sancti partim ſub Dracontio capti, partim ſub Timotheo, ſub quo coronati.

85 *Hæc de cauſa tranſeo ad martyrii adjuncta expendenda. In judice primùm Acta diſſonant. Nam ſecunda, quæ primùm edidit Mazochius, non alium nominant præſidem aut proconſulem, quàm Dracontium, uti etiam ſit apud Bedam, & alios ipſum ſecutos martyrologos. At Acta prima præcipuas partes attribuunt Timotheo, qui recenter Campaniæ præfectus erat. Docent tamen,* Soſium, Proculum, Eutychetem & Acutium, *jam ante præfecturam Timothei fuiſſe carceri mancipatos, & diverſis ſuppliciis maceratos à deceſſore ipſius, quem non nominant. Verùm Joannes Diaconus in Actis tertiis* Dracontium *cum Actis ſecundis vocat, & cum Actis primis docet, quatuor Martyres à Dracontio in carcerem conjectos Puteolis, reliquos verò tres ab ejus ſucceſſore Timotheo Nolæ cuſtodiæ mancipatos, ibidemque interrogatos & cruciatos: deinde verò omnes ſub eodem Timotheo coronatos martyrio. Hæc ſententia omnino ſequenda videtur, non ſolùm quia Acta prima majorem auctoritatem habent, quàm ſecunda, aut quia in omnibus ferè Actorum exemplaribus aſſerta eſt; ſed etiam, quia ſucceſſio illa duorum præfectorum provinciæ non eſt ejuſmodi factum, ut facilè ſuſpicari poſſimus, ab aliquo gratis confictum eſſe. Hæc quoque de cauſa non apparet probabile, quod aſſeritur in Actis ex Augienſis abbatiæ codice nobis tranſmiſſis, nimirum præſidem* Timotheum *alio nomine* Dracontium *fuiſſe dictum. Exiſtimavit hoc collector Actorum illorum medio ævo, quòd*

quòd in Actis antiquis Timotheum *reperiret dictum, & apud martyrologos quosdam* Draconti-um, *nec cogitavit diversos fuisse.*

86 *Occasio, quâ* S. Januarius, *uti &* Festus ac Desiderius, *capti sunt, longè aliter exponitur in Actis secundis, quàm in reliquis omnibus. Volunt Acta illa*, S. Januarium *& duos Socios Beneventò venisse Puteolos, ut* Sosium *carceri inclusum viserent, ibique coram militibus fuisse locutos contra* Sosii *captivitatem. At res illa tota parùm est verisimilis, & omnino fit improbabilis, cùm Acta prima, & reliqua omnia dissentiant. Idem dicendum de modo, quo in Actis secundis* Proculus *& alii duo martyres Puteolani leguntur comprehensi, & statim cum reliquis occisi. Nam occisos fuisse sine ullo examine aut quæstione, ut ibi asseritur, verisimile non est. Si id aliquando factum legitur, saltem rarò contigit, nec credendum est, nisi tradatur in monumentis melioris notæ. Itaque adhærendum est iis, quæ de comprehensione Martyrum nostrorum leguntur in Actis primis.* *Comprehensio Martyrum ex Actis primis sumenda:*

87 *Verùm dubitari potest, utrùm* S. Januarius *Beneventi comprehensus sit, an Nolæ, ubi erat Timotheus. Neque enim civitas, in qua captus est, clarè in Actis exprimitur. Caracciolus sect. 5 sententiam suam exprimit his verbis:* His accedit, B. Januarium, non Beneventi, quod in Samnio est, sed in Campania fuisse à lictoribus comprehensum. Nam cùm Acta .... dicant, Timotheum sibi eum exhiberi jussisse; inde apertè colligitur, in ea provincia, in qua Timotheus præses jurisdictionem exercebat, non autem in alia, hoc est, in Samnii provincia, illum tunc fuisse, cùm captus fuit. *Verùm ea ratio, cur captus non esset Beneventi, non videtur admittenda. Nam Camillus Peregrinus Dissert. 2 de Beneventani ducatus* in- *S. Januarius probabilius non Beneventi, sed Nolæ captus.*

inſtitutione, nonnulla affert argumenta, quibus è-vinci videtur, Beneventum iis temporibus Campaniæ fuiſſe annumeratum. Aſſentitur Martinierius in Dictionario Geographico ad vocem Beneventum, *additque plures etiam rationes. At, miſsâ illâ controverſiâ, ex ſolis Actis magis veriſimile fit, Nolæ captum eſſe* S. Januarium, *quàm Beneventi. Nam iis verbis Timotheus* Januarium *capi jubet, ut videatur fuiſſe in loco vicino: captuſque & adductus ad præſidem dicitur ſine ulla mentione itineris, quod certò inſtituendum fuiſſet, ſi Sanctus eo tempore Beneventi fuiſſet commoratus. Præterea, ſi preſsè Actis inhærere velimus, dicendum erit,* Feſtum & Deſiderium *non ſtatim cognoviſſe captivitatem* S. Januarii, *ſed ſolùm poſt unum alterumve diem. Mater verò Sancti ſolùm triduo ante mortem Filii captivitatem intellexit. Itaque, cùm illi omnes Beneventi eſſent, non videtur ibi captus* S. Januarius, *ſed Nolæ.*

Paſſos XXI *Aprilis Sanctos, exiſtimat Mazochius;*

88 *De die, quo* S. Januarius *cum ſex Sociis martyrii coronam adeptus eſt, prolixiùs diſputari poteſt. Neapolitani quidem paſſim crediderunt, hoc die* XIX *Septembris, quo cultus fuit* S. Januarius *à ſeculo ſaltem quinto, eumdem cum Sociis ad meliorem vitam fuiſſe tranſlatum. At Mazochius in Annotatis ad Acta, quæ edidit, contendit, martyrium* S. Januarii *& Sociorum probabiliùs figendum* XXI *Aprilis, quo memorantur in Faſtis Græcorum; rationeſque adducit non prorſus contemnendas. Contrà Sabbatinus in Annotatis ad Calendarium Neapolitanum ad* XIX *Septembris prolixam contra Mazochium contexit diſſertationem, quâ oſtendere nititur,* XIX *Septembris omnino paſſos eſſe Sanctos; & ad omnia argumenta Mazochii varias reſponſiones adducit. Ego controverſiam breviter expedire conabor, utarque Mazochii verbis, ſed ſubin-*

de

de mutilatis. Si horum martyrium, *inquit*, in menſem Septembrem anni CCCV incidiſſet, primò falsò hæc Acta.... hoc uterentur exordio: TEMPORIBUS DIOCLETIANI IMP., quia Kalendis Maii ejuſdem anni Diocletianus jam abdicaverat. Secundò falsò ſic pergerent: CONSULATU CONSTANTII CÆSARIS QUINQUIES: nam poſt Kalendas Maias Conſtantius æquè ac Galerius Maximianus Auguſti, non Cæſares, inſcribebantur. Tertiò poſtremò falsò mox eadem Acta hunc in modum conquererentur, ERAT PERSECUTIO CHRISTIANORUM, quia poſt eaſdem Kalendas Maias anni CCCV perſecutio in Italia deſiit. *Euſebius enim dicit, eam in Italia* vix duobus primis annis integris *durâſſe. Hac argumenta ſatis clarè propoſita ſunt, & nonnullam ſententiæ Mazochianæ tribuunt veriſimilitudinem, præſertim cùm non afferantur argumenta ullius momenti pro die* XIX *Septembris.*

89 *Illuſtriſſimus Sabbatinus argumenta Mazochii vocat* frivola. *At miror, ipſum tam longam texuiſſe diſſertationem, ut frivolis argumentis reſponderet, & vel ſic non potuiſſe aptum excogitare reſponſum, niſi anno martyrii, in Actis clarè aſſerto, alterum ſubſtitueret prorſus fundamento carentem. Fateor quidem, non talia eſſe argumenta Mazochii, quæ nullo poſſint modo diſſolvi, præſertim cùm Acta non ſint auctoris contemporanei, ideoque minùs mirari poſſimus, ſi forſan non ſit accuratus in loquendo. Dici enim ad argumenta propoſita poteſt, epocham initio Actorum poſitam referri ad perſecutionem, & ad miſſionem Timothei præſidis in Campaniam, ut verba ipſa innuunt. Tunc Conſtantius & Galerius revera erant cæſares. Præterea hi non dicuntur fuiſſe cæſares, quando paſſi ſunt Sancti; ſed ſolùm Sancti dicuntur paſ-*

cujus argumenta id certò non evincunt,

ſi eo anno, quo illi cæſares conſulatum inierant? Duo igitur priora certò non ſunt falſa.

ut oſtenditur,

90 *Quod verò ſpectat ad aſſertionem Euſebii, dicentis perſecutionem in Italia & reliquo imperio Occidentali vix duobus annis integris durâſſe; nihil cogit, hæc verba Euſebii tam ſtrictè interpretari, ut credere debeamus, nullos in Italia anno* 305 *poſt finitum perſecutionis biennium, aut poſt abdicationem Diocletiani, amplius fuiſſe martyres. Tanta ſanè in hiſce non eſt auctoritas Euſebii, cujus verba ſi tam ſtrictè exponenda eſſent, ipſe ſibi contradixiſſet. Nam lib.* 8 *cap.* 14 *de Maxentio, qui anno* 306 *imperium arripuit in Italia, hæc ſcribit:* Maxentius, qui Romæ tyrannidem arripuit, principio quidem fidei noſtræ profeſſionem ſimulavit.... Itaque ſubditis ſuis præcepit, ut à perſecutione Chriſtianorum deſiſterent *&c. Si Maxentius anno* 306 *perſecutionem in Italia ceſſare juſſit, quomodo jam ceſſaverat anno* 305? *Quare non probatur argumentis Mazochii, anno* 305 *ante* XIX *Septembris paſſos eſſe* SS. Januarium *& Socios. Sabbatinus verò, qui ex illo ipſo Euſebii biennio martyrium Sanctorum noſtrorum anno* 304 *figere voluit, ipſis Actis clariſſimè repugnat, nec ulteriori eget reſponſo.*

Attamen dies XIX *Septembris non videtur martyrii,*

91 *Dixi, argumentis Mazochii jam refutatis nonnullam veriſimilitudinem afferri ipſius ſententiæ, quia ſaltem veriſimile eſt, epocham initio Actorum poſitam referri ad omnia, quæ in Actis narrantur. Hoc autem ſi fiat, jam* temporibus Diocletiani imperatoris, *& quando cæſares erant Conſtantius & Galerius, ſive anno* CCCV *ante Kalendas Maias, dicuntur paſſi. Fervebat tunc æſtus perſecutionis, quæ poſt abdicationem Diocletiani & Maximiani Herculii ſaltem minor fuit. Creſcit veriſimilitudo, ex prædictis argumentis hauſta, ſi confi-*

fideremus, pro die XIX *Septembris nullum militare argumentum, præter antiquum cultum eo die fixum. Nam tam Acta, quàm antiquiora Martyrologia, utcumque insinuant, Sanctos non fuisse martyrio coronatos eo die, quo colebantur. In Actis omnibus de martyrii die altum est silentium. De die cultûs* S. Januarii *in Appendice ad Acta prima sic habetur:* Cujus dies natalis celebratur tertiodecimo Kal. Octobris. *Ibidem Translatio* S. Sosii *Misenum dicitur facta* die IX Kal. Octobris, *quo ipsius festivitas celebrabatur. Eadem leguntur in Actis magis interpolatis, quæ secundo loco dedit Falconius, pag.* 143. *Et rursum in vetusto Officio Neapolitano apud eumdem pag.* 146 *de* S. Januarii *festivitate:* Dies festivus ejus celebratur tertio decimo Calendas Octobris. *Notandum porrò, ubique diem festivitatis referri post relatam priùs translationem corporis Neapolim, ita ut verisimillimum fiat, translationis gratiâ festivitatem* S. Januarii *eo die fuisse fixam, sicut ubique de* Sosio *clarè asseritur, translatum esse Misenum die* XXIII *Septembris, quo colitur. Et sanè vix alia reperietur ratio idonea, cur Sancti, eodem die passi, diversis diebus culti ab initio fuerint, quàm quòd translatio diversis diebus fuerit facta, singulisque assignatus fuerit dies translationis. Antiquiora Martyrologia, quæ recensui* § 1, *similiter insinuant ad* XIX *Septembris, hunc non esse martyrii diem, sed festivitatis Neapolitanæ. Nam Sanctum annuntiant* Neapoli, *ubi non est passus, sed solemni festivitate cultus; sicque tacitè innuunt, festivitatis diem memorari, non martyrii. Vide plura de his dicenda* § 15.

92 *Græci, ut observat Mazochius, in suis Fastis clarè edicunt,* S. Januarium *passum esse die* XXI *Aprilis. Allegat hunc in finem Mazochius Fastos metricos, qui editi sunt apud nos ante tomum* I *Maii,* *& Græci martyrium figunt* XXI *Aprilis.*

in quibus ad XXI *Aprilis legitur hic verſiculus,*

Τὴν Ἰανναρίοιο κάρῃ τάμεν εἰκάδι πρώτῃ

Januarii caput reſecuit vigeſimâ primâ. *Legitur idem verſiculus in Anthologio Græcorum & in Menæis impreſſis, ubi pro* τάμεν reſecuit, *legitur* τάμον reſecuerunt, *& omittitur initio articulus* τὴν. *Mazochius verſiculum ita corrigendum dicit. At ego non video, pro hexametro perfecto ſubſtituendum eſſe imperfectum, qualem ipſe dat, omiſſo* τὴν: *nam ſic hexametro deeſt una ſyllaba. Nec mihi perſuadebit Mazochius, ita verſiculum fuiſſe compoſitum: ſed non dubito, quin pro correctione obtrudatur corruptio, quales innumeræ ſunt in libris ritualibus Græcorum. Rectiùs obſervat Mazochius ſequentia:* Ibidem *(in Anthologio, uti & in Menæis laudatis)* ad eumdem diem alii quidam ſenarioli præfiguntur, quibus Januarius cum Sociis non alio, quàm die XXI Aprilis, capitis abſciſſione martyrium compleviſſe ſignificatur. *Certiſſima hæc ſunt, nec ullum eſt dubium, quin Græci in ea fuerint ſententia, ut crediderint,* S. Januarium *cum Sociis paſſum die* XXI *Aprilis. Hanc igitur opinionem ſaltem probabiliorem credo, quia loquuntur indubitanter Græci, tacent verò Neapolitani, aliique Latini antiqui. Attamen tanta mihi non eſt Græcorum medii ævi auctoritas, ut ipſorum opinionem prorſus certam dicere præſumam.*

§ VII.

§ VII. Sepultura S. Januarii & aliorum : translatio prima S. Januarii, & omnium Sociorum.

Sepultura S. Januarii *& Sociorum in Actis non exponitur distinctè & clarè, sed tanta cum obscuritate, ut de omnibus ferè adjunctis variæ oriri possint dubitationes. Dubitari potest primò, an aliqui è Martyribus fuerint statim versus patriam suam avecti, ibidemque sepulti. Nam Acta num.* XI *habent, incolas diversarum civitatum corpora custodivisse*, ut ea noctu raptim tollerent, & in civitatibus suis portarent; *& quidem* sepelienda, *ut addunt aliqui codices. Hæc sanè verba insinuare videntur, talem fuisse Christianorum intentionem. Attamen avecta statim ad civitates suas aliquorum corpora non crediderim : nam Appendix Actorum contrarium longè clariùs docet. Itaque sive Christiani non fuerint ausi primum propositum suum exsecutioni mandare, sive ab initio tantùm proposuerint corpora Martyrum tuto aliquo loco abscondere, & sepelire, ut opportuno tempore ad civitates suas deportarentur, omnino dicendum videtur, omnium corpora primùm sepulta fuisse loco aliquo non nimis remoto à loco martyrii, qui erat in territorio Puteolano, & uno ferè milliario Italico Puteolis distabat. Nam de* S. Januario *clarè dicitur, absconditum sive sepultum fuisse in loco Marciano, ex quo diu pòst Neapolim est translatus.*

Sancti non statim post martyrium ad civitates suas avecti,

94 *De reliquis sex idem colligitur ex verbis, quibus prima translatio asseritur. Tempore enim hu-*

ſed priùs in loco abſcondito ſepulti fuerunt,

jus tranſlationis S. Soſius *dicitur poſitus* in baſilica, *ubi poſtmodùm diu requievit. At baſilicam, ſive amplam eccleſiam Chriſtianorum, exſtitiſſe Miſeni, imperante Diocletiano, veriſimile non eſt, nedum in ea tunc ſepultus fuerit* S. Soſius. *Hunc igitur ſimiliter Miſenates loco aliquo abſcondito primùm ſepelierunt.* Feſtum *quoque &* Deſiderium *non fuiſſe Beneventum tranſlatos ipſo martyrii tempore, clarè rurſum inſinuat fama de ipſis audita à Cyphio ſenatore gentili, qui eâ in ſpem ductus eſt Martyrum patrocinio liberos impetrandi, eumque in finem corpora tranſferenda Beneventum curavit. Ne Puteolanos quidem Martyres,* Proculum, Eutychetem & Acutium, *ſtatim à martyrio in civitate ſua fuiſſe ſepultos, abundè inſinuat locus infrà memorandus, in quo depoſiti ſunt tempore prima tranſlationis. Demum Acta ipſa inſinuant, omnes ſeptem Martyres primùm fuiſſe ſepultos circa locum martyrii, qui Latinis dicebatur* Forum Vulcani, *in Actis verò variè ſcriptus reperitur, nimirum* Sulphotarea, Sulphoratorea, Sulphurotaria. *Nunc Latinè* Sulphuraria, *Italicè* Solphataia, *dici ſolet à ſulphure, quod locus ille producit.* Igniferum campum appellare quis poſſet, *inquit Caracciolus ſect. 9. Certè ampla eſt convallis, qua nec arbores nec ullas herbas, ſed ſolum ſulphur producit, fumumque & flammas variis locis eructat, ut ipſe vidi.*

& quidem non longè à loco martyrii, certè S. Januarius,

95 *Verba autem Actorum, qua inſinuant, circa illum martyrii locum corpora Martyrum noſtrorum fuiſſe ſepulta, hæc ſunt:* Corpora autem Sanctorum jacuerunt ad Sulphurotariam, ubi poſtea dignam beati martyris Januarii baſilicam condiderunt. *Ultima hæc ſunt in Mſs. noſtris Actorum verba, ſubdunturque poſt perſtrictam breviter ſepulturam. Hæc de cauſa exiſtimo, verbum* jacuerunt *idem ſignificare, ac* jacuerunt ſepulta. *Si quis tamen*

men crediderit, voce jacuerunt *ſolùm ſignificari, ubi corpora jacuerint ante ſepulturam, quia in Actis, prout edita ſunt apud Falconium, ſepultura & prima corporum tranſlatio mox iterum refertur; conſideret ille, ſequentia non eſſe primi ſcriptoris, ſed illius, qui Acta poſtmodùm auxit. Voluit ille latiùs exponere, à quibus, & quo in loco ſepultus fuiſſet* S. Januarius; *& quibus obtigiſſent aliorum Martyrum corpora: nam illa primus auctor breviſſimè & generatim tantùm dixerat. Itaque hæc nequeunt obſtare, quò minùs per vocem* jacuerunt *intelligamus locum ſepulturæ, ut vox ipſa ſignificat, & adjuncta vocem explicare cogunt. Nam occiſi ſunt in ſulphuraria, ibique ante ſepulturam corpora jacuerunt, donec raperentur à Chriſtianis. At ſepulta jacuerunt* ad, *ſive, ut habet unum Ms.*, prope Sulphurariam, *ubi poſtea condita eſt* S. Januarii *eccleſia. Hæc certò condita non fuit in ipſa ſulphuraria, ſive in ipſo martyrii loco, ſed in colle aliquo vicino, ubi* S. Januarius *fuit ſepultus.*

96 *Locus ille in Appendice Actorum* Marcianus *aut* Marcianum *vocatur.* Neapolitani beatum Januarium ſibi patronum tollentes, à Domino meruerunt. Quem primò quidem in loco, qui appellatur Marcianum *, abſconderunt *&c. Verum altera hinc oritur dubitatio, eaque non levis. Nam ſcriptores Neapolitani ſitum Marciani inveſtigârunt; nec in eamdem convenerunt ſententiam. Tutinus in Vita cap. 7 dicit*, S. Januarium *fuiſſe ſepultum in Marciano* inter Sulphurariam & montem Spinæ dictum. *Mons autem Spinæ non longè diſtat à Sulphuraria verſus Neapolim, ut videri poteſt in tabula Commentario præfixa. Caracciolus in Hiſtorica demonſtratione de patria* S. Januarii *pag. 60 vult, locum fuiſſe ditionis Neapolitanæ.* Sci-

in loco Marciano, de quo non eadem omnium eſt opinio:

* *al.* Marciano

Sciantque omnes lectores, *inquit*, etiam agrum Marcianum, quo ſacrum corpus B. Januarii defoſſum fuit, ad Neapolim pertinere. Docet enim Plinius lib. 18 cap. XI, & lib. 35 cap. 15, colles Leucogæos in Neapolitano agro fuiſſe: & Puteolani ipſi nuperi, quorum de hac re Epiſtolas habeo, aſſerunt Marcianum campum eſſe ex adverſo lacui Aniano. Sed de his alibi latiùs. *At nihil de his invenio in majori ipſius Opere; ſive quòd ſententiam mutaverit, ſive quòd editor Operis, qui & ultimam manum appoſuit, eam opinionem non probaverit. Placuit tamen ea ſententia Falconio pag.* 443, *ubi ait, colles Leucogæos alios eſſe à collibus ſulphuraria, & nonnihil verſus Neapolim ſitos, eoſdemque eſſe cum montibus* Spinæ *modò dictis. Hieronymus à S. Anna ſimiliter Caraccioli opinionem laudavit cap.* 10. *Vide locum expreſſum in previa tabula chorographica. Mihi tamen minùs veriſimilis eſt ea opinio, non quia locus ille ultra milliare Italicum à ſulphuraria diſtat, ſed quia non invenio, ullam ibi umquam fuiſſe* S. Januarii *eccleſiam.*

Sabbatini ſententia improbabilis

97 *Sabbatinus in Annotatis die* XIII *Aprilis ad Calendarium inveſtigat locum Marcianum, refutatiſque aliorum opinionibus jam dictis, locum aſſignat ſeculo* VI Marcianum *dictum, eccleſiâque & monaſterio ornatum. At multò magis locus ille diſtat à loco martyrii, quàm vellem. Aſſignat nempe locum in diœceſi Nucerina. Eſt autem Nuceria, cognomento* Paganorum *dicta, civitas epiſcopalis inter Neapolim & Salernum, ſed multò propinquior Salerno, quàm Neapoli. Fuiſſe ibi monaſterium ſeculo* VI, *quod tempore S. Gregorii Magni deſertum erat, illudque ſitum fuiſſe* in fundo Marciano provinciæ Campaniæ, *rectè oſtendit Sabbatinus ex Epiſtola S. Gregorii ad Agapitum*

tum abbatem lib. XI *Epiſt.* 72. *Notat tamen editor poſtremus Operum S. Gregorii, in alio codice Ms. pro* Marciano *legi* Martiniano. *Verùm, omiſſa illa lectionum diverſitate, loci diſtantia facit, ut opinio illa mihi nppareat improbabilis, præſertim cùm aliunde non habeat ſolidum fundamentum. Habent Acta, jacuiſſe corpora prope Sulphurariam ſepulta, ut certè mihi explicanda videntur.*

apparet, & idoneo deſtituta fundamento.

98 *Quomodo igitur credam,* S. Januarii *corpus fuiſſe poſitum multò longiùs ultra Neapolim, quàm ipſa ſulphuraria ab urbe illa ſit diſſita? Appendix Actorum, ubi* Marcianum *memoratur, nihilo magis, quàm ipſa Acta, inſinuat, corpus advectum fuiſſe ad locum ſepulturæ procul diſſitum; ſed verbo* abſconderunt, *potiùs innuit, in loco vicino occultè fuiſſe ſepultum. Præterea, ſi Neapolitani ſacrum corpus navi impoſuiſſent, ut conjicit Sabbatinus, potuiſſent illud faciliùs ponere in loco aliquo magis vicino territorii Neapolitani, quàm tam longè portare ad diœceſim Nucerinam. Quapropter nova illa conjectura non eſt veriſimilis, præſertim cùm & idoneo careat fundamento. Totum enim fundamentum petitur ex nomine & ex monaſterio, quod ibi erat deſertum tempore S. Gregorii Magni. At non dicitur eccleſia ibi dicata fuiſſe* S. Januario; *nec oſtenditur, Sanctum ibi umquam fuiſſe cultum, aut ullam ibidem de eo fuiſſe memoriam. Itaque fundus* Marcianus, *in quo erat illud monaſterium, mihi nequaquam ſufficit, ut credam* S. Januarium *ibi fuiſſe ſepultum; nec dubito, quin plures ejuſdem nominis fundi aut villæ fuerint in Italia.*

Locus, ubi modò eſt monaſterium Capucinorum,

99 *Locum requiro, in quo condita non ſolùm fuerit eccleſia, ſed etiam* S. Januario *ſacra; quinque non nimis ſit diſſitus à ſulphuraria, ſive à loco martyrii. Hunc facilè inveniri poſſe, & cultu*

S. Januarii *etiamnum celebrem esse credo. Ne lectorem multis detineam, omnino mihi persuadeo*, S. Januarium *esse sepultum in colle vicino Sulphurariæ, & quidem in illo loco, ubi modò est monasterium Capucinorum. Omnia enim pro illo loco concurrunt. Nam propinquus est Sulphurariæ, ut ipsi vidimus, quando ex sulphuraria ad monasterium Capucinorum anno* 1753 *ascendimus, non est tamen in sulphuraria, ut etiam videri potest in tabula huic Commentario præfixa. Condita ibi fuit ecclesia, dicataque* S. Januario, *ut docet ipse Sabbatinus laudatus pag.* 44, *quamvis* sacellum *vocet. Et sanè haud difficulter credam, eadem ibi* S. Januario *exstructam seculo* IV, *non fuisse majoris amplitudinis, quàm modò sint, quæ sacella vocamus. Etsi enim* basilicam *Acta vocent, si tamen consideremus, seculo* IV *fuisse conditam, non diu post persecutiones gentilium, sitamque fuisse in loco penè deserto, facilè cogitabimus, non tanta fuisse molis eadem illam, ut modò sacelli nomen repudiaret.*

in quo Sanctus creditur decollatus, potiùs sepulturæ

100 *Præter eadem sacram* S. Januario, *laudatus Sabbatinus, qui existimat* S. Januarium *in illo loco occisum, affert hanc inscriptionem*, locus decollationis sancti Januarii & Sociorum ejus. *Antiquissimam hanc sibi visam, &* quarti seculi, *affirmat Sabbatinus. Vidi cum collega eamdem inscriptionem, & utcumque vetustam credidimus; at seculo* IV *longè posteriorem. Juxta altare, in quo est dicta inscriptio, positus est lapis parieti affixus, nonnullis etiamnum sanguinis guttis conspersus, in quo* S. Januarium *occisum dicebant. Verùm de his & de statua Sancti ibi servata postmodùm. Nunc verò observo, locum illum non videri martyrio, sed sepulturâ* S. Januarii *nobilitatum. Traditio popularis, opinor, ex loco sepulturæ paulatim fecit locum martyrii; eaque opinione semel recepta, positæ fuerunt inscriptiones*

tes traditioni conformes. At Acta ipſa, omniaque adjuncta repugnant, ut paucis oſtendam. Acta docent, Sanctos fuiſſe occiſos in ſulphuraria. Atqui eccleſia Capucinorum eſt extra ſulphurariam in colle poſita. Sancti igitur caſi non ſunt, ubi modò eſt monaſterium Capucinorum. Acta docent, baſilicam S. Januario *fuiſſe erectam in loco ſepultura, non in loco martyrii. At eccleſia Sancto erecta eſt, ubi modò eſt eccleſia Capucinorum. Ergo ibidem ſepultus fuit* S. Januarius, *non occiſus.*

101 *Frequens erat conſuetudo antiquorum Chriſtianorum, ut ſupra martyrum ſepulchra eccleſias erigerent, non verò in locis, ubi erant occiſi. Huic conſuetudini concordant Acta* S. Januarii, *ſepultura locum eccleſiâ honoratum docentia, non locum occiſionis. Nolim tamen contendere, numquam eccleſias fuiſſe conſtructas in locis, ubi martyres aliqui fuerant occiſi; ſed non dubito aſſerere, in nullis* S. Januarii *aut Sociorum Actis me vel minimum verbum reperiſſe, quo innuitur, in loco cadis ipſorum eccleſiam fuiſſe ſtructam. Omnia igitur concurrunt, qua homini critico, & nullis occupato præjudiciis, perſuadere debent, illum fuiſſe locum ſepultura* S. Januarii, *ubi corpus ejus multis annis permanſit. Ne* Marcianum *quidem nomen deſideratur. Nam Mazochius in Additamentis menſis Aprilis pag. 972 ad propoſitum noſtrum obſervat ſequentia:* In Marciano olim Januarium fuiſſe conditum, teſtatur Joannes Diaconus in S. Joanne I. Et quidem Marciani nomen adhuc fundo cuidam prope Capucinos hæret: quem memoratum reperio in quodam inſtrumento Puteolano, quod mihi nuper oſtenſum fuit. *Si fundus Marcianus modò eſt prope Capucinos, quis non facilè perſpiciat, illum latiùs olim extenſum fuiſſe, ut locum totum, quem modò Capucini habent, aut*

locus cenſendus eſt, ut oſtenditur.

ſaltem locum eccleſia ipſorum, vetuſtiſſimo Sancti ſacello inſignem, comprehenderet. Itaque neceſſe non eſt, ut Marcianum *alibi quæratur, cùm* Marcianum *habeamus illo ipſo loco, quem omnia indicant locum ſepultura fuiſſe.*

Incertum, an omnes primùm ſepulti eodem loco.

102 *Tertia dubitatio eſt, an omnes aut aliqui Socii eodem loco cum* S. Januario *fuerint ſepulti. Res hac magis videtur ambigua: neque enim pro alterutra parte rationes invenio ſatis efficaces ad tollendam prorſus dubitationem. Acta, prout primò ſcripta ſunt, in editis apud Falconium innuere videntur, omnes eodem loco ſepultos, cùm ita habeant:* Corpora autem Sanctorum jacuerunt ad ſulphotaream, ubi poſtea dignam beati martyris Januarii baſilicam condiderunt. *At in Ms. noſtro legitur:* Corpus autem ſanctum jacuerunt *&c. In Ms. Rubeæ vallis:* Corpus autem ſanctum jacuit. *Hæc lectionum diverſitas facit, ut minùs certi ſimus de re ipſa. Si enim legendum eſſet,* corpus ſanctum jacuit, *de ſolo* S. Januarii *corpore ageretur. At, cùm in omnibus editis, imò etiam in Actis ſecundis per Mazochium vulgatis, legatur,* Corpora autem Sanctorum jacuerunt *&c; ſic omnino legendum exiſtimo, ut etiam innuit verbum* jacuerunt *in codice noſtro, in quo imperitus tranſcriptor pro vocibus* corpora Sanctorum *poſuiſſe videtur,* corpus ſanctum. *At Actorum Appendix aliam rurſum innuit ſuſpicionem, quando refert, corpus* S. Januarii *abſconditum fuiſſe in Marciano, ſine ulla mentione de aliis eodem loco conditis. Hæc enim de cauſa cogito, potuiſſe quidem omnium corpora ſepeliri non longè à Sulphuraria, locis tamen diverſis. Verumtamen, cùm ſcriptor Appendicis ſit minoris auctoritatis, utpote qui certè non ante adultum ſeculum* VI, *& fortè ſeptimo aut octavo illa ſcripſit, ipſius ſilentium*

non

non tollit ſuſpicionem de omnium aut aliquorum ſaltem corporibus primùm eodem loco ſepultis, ut Acta magis innuunt. Hæc de ſepultura Sanctorum mihi ſufficient.

Recentiorum opiniones de prima S. Januarii tranſlatione,

103 *De tempore primæ tranſlationis* S. Januarii, *quando ſacrum ipſius corpus è fundo Marciano, ſive ex eccleſia ſupra ſepulcrum ejus condita, Neapolim tranſlatum eſt, poſitumque in ſuburbana eccleſia, ut in Appendice ad Acta prima refertur, ſcriptores Neapolitani ſententias conceperunt multùm diverſas. Tutinus cap.* XI *tranſlationem figit circa annum* 381, *creditque tunc epiſcopum fuiſſe Joannem I, in quo errat. Caracciolus ſect.* 12 *de tempore tranſlationis mentem ſuam his verbis explicat:* Contigit hæc tranſlatio circa undecimum annum à pace per Conſtantinum Eccleſiæ reddita, hoc eſt, anno Chriſti CCCXXV, non autem CCCLXXXI, ut putavit Tutinus. *Vellem pro dictis argumenta dediſſet. Neque enim dicenti credam, ſed potiùs exiſtimabo, ipſum multo longiùs à vero abeſſe, quàm Tutinum. Colligitur id ſatis ex iis, quæ ſubdit, dum ita pergit:* Joannes diaconus tradit, Joannem epiſcopum, hujus nominis primum, interfuiſſe huic tranſlationi, & ſuis ipſum manibus eum tumulâſſe. Auctor verò Vitæ S. Severi, Severo id tribuit. Conciliari autem poſſunt, ſi dixerimus, ab utroque id factum; à Joanne videlicet & Severo, tunc presbyteris vel diaconibus, poſtea epiſcopis. *Verùm anno* 325 *fortè puer erat Severus, Joannes veriſimiliter necdum natus, ut patebit ex dicendis de tempore epiſcopatûs utriuſque. Interim moneo, in ſecunda editione Ughelli tom.* 6 *col.* 30 *catalogo epiſcoporum Neapolitanorum perperam circa annum* 325 *inſertum eſſe Joannem aliquem, acſi eo tempore adfuiſſet tranſlationi* S. Januarii. *Nam priùs probandum erat, tranſ-*

lationem eo tempore factam, quàm ex ea fictitius procuderetur episcopus. Notus est Joannes, qui dicitur translationi adfuisse, & ab ipso Ughello memoratus est sequenti seculo.

quæ S. Severo attribuitur in hujus Vita,

104 *Ne plurium scriptorum opinionibus recensendis fiam prolixior, quàm sit necesse, observo, duos tantùm esse episcopos Neapolitanos, quibus translatio probabiliter attribui possit, & qui revera ambo simul solemnitati adesse potuerunt, alter ut episcopus, alter ut presbyter vel diaconus. Primus est S. Severus, de quo actum in Opere nostro tom.* III *Aprilis à pag.* 767. *In hujus Vita num.* 6 *hæc leguntur:* Nam & corpus B. Januarii, sacerdotis & martyris, ipse condidit manibus suis in ecclesia foris porta hujus civitatis milliario uno, in qua nunc requiescit usque in præsentem diem; & ipsarum basilicarum, unde superiùs mentionem fecimus, unam foris urbem juxta S. Fortunatum nomini suo (*videlicet* Januarii) consecravit. *Scriptor ille, dum ait, corpus* S. Januarii *suo tempore fuisse in ecclesia suburbana prope Neapolim, ostendit, se scripsisse ante translationem Beneventanam, & sic antiquior est Joanne Diacono mox allegando pro altera sententia, imò fortè aliquot seculis hic biographus ante Joannem Diaconum vixit: neque enim ullum verbum in illa Vita occurrit, ob quod credere cogimur, octavo potiùs seculo scriptam fuisse, quàm sexto aut septimo. At Joannes Diaconus Chronicon suum exaravit, vergente ad finem seculo* IX, *& produxit usque ad annum* 872. *Porrò laudatus Joannes Diaconus in Chronico tom.* I *Scriptorum Italiæ part.* 2 *pag.* 293 *consentit de constructa per S. Severum* S. Januarii *ecclesia suburbana, at de translato per eumdem corpore tacet. De constructis à S. Severo quatuor ecclesiis planè assentitur ejus biogra-*

grapho, & de illa, in qua depositus est S. Januarius, *sic loquitur:* Unam (*fecit*) foris urbem juxta sanctum Fortunatum. *Quæ sunt ipsa verba superiùs data, sed contracta. Non dicit tamen, illam ecclesiam fuisse* S. Januario *dicatam, aut corpus* S. Januarii *per Severum illi illatum.*

105 *Contrà pag. 295 in Joanne I magis in aliam propendet opinionem, & Joanni translationem dubitanter attribuit his verbis:* In eo oratorio, ubi manu sua dicitur condidisse beatissimum martyrem Januarium, à Marciano sublatum, & ipse (*Joannes episcopus*) parte dextera humatus quievit. *Mazochius in Annotatis ad Acta à se edita pag. 278 mavult Joanni Diacono assentiri, quàm biographo S. Severi, & pro ratione dicit,* quòd Joannes Diaconus, multo eâ Vitâ (*S. Severi*) antiquior, *translationem* disertè *attribuat Joanni. At non videtur vir eruditus utriusque ætatem considerâsse, & attentè contuliſſe. Nam certissimo argumento evincitur, Diaconum, qui medio saltem seculo post translationem Beneventanam scripsit, juniorem esse biographo S. Severi, qui saltem ante translationem illam Opus suum edidit. Fortè contrarium credidit Mazochius, quia Vitam consideravit apud Ughellum, ubi Miracula, aliquot seculis post scripta, unà cum Vita eo modo sunt edita, acsi ejusdem essent auctoris. Verùm apud nos utrumque Opus distinctum est; nec meritò potest dubitari, quin biographus S. Severi sit altero vetustior.*

at Joanni I à Joanne Diacono, timidè tamen:

106 *Quapropter hujus sententia mihi probabilior apparet, præsertim quia conciliari utcumque potest cum verbis Joannis Diaconi, & quia hic dubitanter loquitur per verbum* dicitur condidisse. *Inter S. Severum, cujus mors apud Ughellum figitur circa annum 412, & Joannem I medius quatuor*

videtur probabiliùs fingenda sub Severo.

tuor tantùm annis fuit Urſus. Quare, ſi tranſlatio contigit ſub epiſcopatu S. Severi, circa finem ſeculi IV *aut ſub initium* V, *ut mihi veriſimillimum apparet; potuit Joannes, ut presbyter aut diaconus, tranſlationi adeſſe, & unà cum epiſcopo Sancti corpus in eccleſia ſuburbana recondere. Sic ambo verum dixerint. Hæc itaque ſententia mihi magis placet, non quidem ut planè certa, ſed ut magis probabilis: nam & eccleſia* S. Januarii *per Severum ſtructa, ut ambo conſentiunt, favet tranſlationi ſub Severo figendæ. De anno nihil certi habemus, ſed conjicere poſſumus, eccleſiam priùs fuiſſe conſtructam, deinde corpus eidem ſolemniter fuiſſe illatum.*

Incertum magis eſt tempus, quo Soſius Miſenum, tres alii Puteolos,

107 *De prima tranſlatione Sociorum* S. Januarii *nihil invenio præter ea, quæ leguntur in Appendice primorum Actorum. Hæc de cauſa dubitari poteſt, utrùm illi ante, an poſt* S. Januarium *fuerint tranſlati. De* S. Soſio *ſolùm dicitur à civibus Miſenatibus Miſenum fuiſſe tranſlatum, & in baſilica poſitum, idque factum* nono Kalendas Octobris, *ſive die* XXIII *Septembris. Erat Miſenum civitas epiſcopalis ad mare Tyrrhenum, portu & promontorio ſuo memorabilis, paucis tantùm milliaribus Puteolis diſſita, ut videri poteſt in tabula chorographica; ſed poſtea exciſa eſt, corpuſque rurſum tranſlatum, ut ſuo loco dicemus. Inter Neapolim & Miſenum ad mare media erat civitas Puteolana, Latinè* Puteoli *dicta, Italicè* Pozzuolo, *quæ etiamnum epiſcopalis eſt, etiamſi exciſa etiam à barbaris fuerit, & modò ferè nihil priſtini ſplendoris habeat. Ad hanc civitatem tranſlati ſunt* Proculus, Eutyches & Acutius, *qui ibidem nati creduntur, & in hujus civitatis vicinia cum reliquis erant paſſi & ſepulti. De tempore tranſlationis nihil additur. Nonnul-*

nulla tamen mihi ſuſpicio oritur, tranſlationem peractam fuiſſe die XVIII *Octobris, quâ cultos Puteolis fuiſſe Martyres illos, & S.* Proculum *etiamnum coli, ex Officiis intelligo.*

& Feſtus ac Deſiderius Beneventum tranſlati fuerant.

108 *De SS.* Feſto *&* Deſiderio *Beneventum tranſlatis paulò longior texitur hiſtoria, neſcio an ſatis ſincera. Primò tamen breviter per cives ſuos, id eſt, per Beneventanos, dicuntur Beneventum tranſlati. Deinde verò conſilium ſacra illorum corpora transferendi attribuitur cuidam ſenatori gentili, qui* Cyphius *dicitur. Dabitur Appendix, in qua res narratur. Hæc ſolùm obſervo, credibile eſſe Cyphii ſumptibus eccleſiam Sanctis fuiſſe conſtructam; ſed tranſlationem peractam eſſe Chriſtianorum & maximè eccleſiaſticorum conſilio magis credidero. De tempore tranſlationis nihil additur; nec poſſum probare opinionem Marii de Vipera in Chronologia epiſcoporum eccleſiæ Beneventanæ, ubi pag.* 12 *corpora ipſorum ſtatim poſt mortem tranſlata narrat. Certè Chriſtiani, qui corpora illa abſtulerant, eadem non commiſiſſent ſervo hominis ethnici. Laudatus Vipera ibi etiam* Stephanum *quemdem Martyribus noſtris octavum adjungit; ſed prorſus improbabiliter, cum de eo in nullis Actis fiat mentio.*

§ VIII. S. Januarius multis miraculis Neapoli clarus, transfertur Beneventum, & cum Festo & Desiderio, ad urbem translatis, deponitur.

S. Januarius, dum corpus erat Neapoli, multis claruit miraculis:

De beneficiis patrocinio S. Januarii *impetratis, quando corpus ipsius servabatur in suburbana prope Neapolim ecclesia, Appendix primorum Actorum testimonium præbet, ea* innumerabilia *vocans. Similia habet antiquissimum Officium Neapolitanum apud Falconium pag.* 146, *ubi leguntur sequentia:* Transtulere (*Neapolitani*) corpus sanctissimum in ecclesiam (*juxta Neapolim, ut jam dictum*) ubi requiescit ad præsens, & beneficia innumerabilia præstare non desinit orantibus & petentibus eum. *Subduntur ibidem beneficia aliquot; sed ea etiam habentur in monumento antiquo de Miraculis, cujus initium est:* Operante divina misericordia. *Hoc autem edetur primo loco post Vitas, ibique in Annotatis dabo, quidquid ad elucidationem aut confirmationem in dicto Officio reperitur idoneum. Caracciolus sect.* 18 *agens de Miraculis, dolet multa de iis* temporum injuriâ periisse, *fateturque non alia de illis exstare antiqua monumenta, quàm duo, quæ edam, nimirum primum jam memoratum, & Acta translationis Beneventanæ. Interim allegat etiam Menæa Græca, quæ revera aliquibus locis breviter & generatim insinuant,* S. Januarium *non solùm tempore martyrii, sed & post mortem variis miraculis claruisse. Nam in e-*

de

de 4. alloquentes Sanctum, dicunt, ipſum Chriſti Servum luculenter apparuiſſe, ubi ad cælum tranſiit, βρύων, *inquiunt,* τοῖς τιμῶσί σε ἰαμάτων πηγάς, emanans honorantibus te ſanationum maria. *Rurſum in Ode 5 ſanguis ipſius dicitur factus* ἰαμάτων ποταμός, ſanationum fluvius. *Et rurſum inferiùs dicitur* μετὰ θεῖον τέλος ἐργαζόμενος πλῆθος θαυμάτων, poſt divinum finem, *ſeu mortem*, operans multitudinem miraculorum. *Mitto alia generalia.*

puer mortuus ad vitam revocatus,

110 *Unum particulare ibidem refertur in elogio* S. Januarii, *quod etiam legitur in Miraculis edendis, quodque ex Græco textu Latinè redditum ſubjicio.* Mulier quædam, nomine Maximina, vidua erat & unicum habebat filium. Hoc morte erepto, cùm orbitatem ſuam indeſinenter lugeret, utcumque ad ſe reverſa, vidit ſupra portam templi pannum dependentem, qui Sancti (*Januarii ſcilicet*) gerebat effigiem. Cogitans autem, quid olim feciſſet Eliſæus propheta, quando Sunamitidis filium à morte excitavit; divinitus excitata, & ipſa fecit ſimilia. Filium enim ſuum aptè componens, illi conformavit imaginem S. Januarii, & pueri oculis oculos imaginis conjunxit, aureſque & os parili modo, quemadmodum & reliqua membra applicuit, cum ſingultibus & lacrymis dicens: Serve Dei, miſerere mei, & reſuſcita filium meum, quia unigenitus mihi eſt. Sanctus verò precibus flexus, mulieri filium vivum inviſibilis ipſe reddidit. Conſpecto hoc prodigio, omnes, qui ad funus pueri convenerant, exterriti ſunt, laudantes & benedicentes Deum. *Hactenus Menæa breviùs, quàm idem miraculum Latinè refertur in Actis edendis. Acta tamen non habent, ad eccleſiam portatum fuiſſe, & probabiliùs exponunt, quomodo velum à matre ſit acceptum.*

Vesuvii montis conflagratio extincta,

111 *In iisdem Actis primo loco, tamquam beneficium maximum, refertur repressio & extinctio flammarum montis Vesuvii, qui Neapolitanæ urbi vicinus est, ut passim notum est geographiæ peritis. Idem beneficium in vetusto Officio Neapolitano apud Falconium pag. 147 paulò brevius refertur hoc modo:* Mons Vesuvius prope Neapolim ad ultionem scelerum impiorum, vasto tremore concussus, globos igneos ultra solitum eructavit, urbesque vicinas vastavit. Neapolitani timentes, effusis lacrymis, beati Januarii ecclesiam intraverunt, non videntes cælum propter calidos cineres, qui sic terram operuerant, ut humus ferè arderet. Omni solatio destituti, nocte dieque requies non dabatur: replebatur raucis vocibus masculorum & fœminarum ululatibus magnis ecclesia. Alii in pulverem terræ se jactabant, gementes peccata sua: alii genas suas unguibus lacerabant: alii manibus per plateas erectis, Dei suffragia in sancto Martyre precabantur. Sicque sancti Martyris precibus Vesuvii montis ignita eruptio est extincta. *Caracciolus sect. 20 ex Officii hymnis & odis varia affert loca, quæ de eodem beneficio meminerunt. Mitto ea brevitatis causâ, quia res satis firmata est ex ipsis Actis edendis, in quibus tamen tempus rei peractæ non exprimitur.*

quod alii anno 472, alii 685 contigisse volunt,

112 *At varii scriptores voluerunt, designari horrendum illud Vesuvii incendium, de quo Marcellinus comes in Chronico ad annum 472 ita loquitur:* Vesuvius mons Campaniæ torridus, intestinis ignibus æstuans, exusta evomuit viscera, nocturnisque in die tenebris incumbentibus, omnem Europæ faciem minuto contexuit pulvere. Hujus metuendi memoriam cineris Byzantii annuè celebrant VIII Idus Novemb. *Verùm Tutinus in Vita cap. 10 illam opinionem rejicit, & magis credit,*

be-

beneficio S. Januarii *extinctum fuisse Vesuvii incendium, quod anno* 685 *unà cum terræ motibus vicinas civitates horrendum in modum exterruit & afflixit. Ego pro neutra opinione satis solidum inveni fundamentum, ideoque malim cum Caracciolo de tempore nihil certi statuere, quàm pro incerta opinione pugnaciter decertare. Nescio etiam, an Tutinus habuerit documenta satis certa, ex quibus dicerit, prolatum fuisse* S. Januarii *caput, positumque in loco, ex quo Vesuvius mons videri potest, sicque confestim extinctum fuisse incendium. Tacet de illa capitis prolatione Caracciolus, qui plura reliquis documenta antiqua ad manum habuisse videtur; tacent alii complures; tacent monumenta omnia antiqua, quæ mihi innotuerunt.*

113 *Itaque mihi magis placet relatio Bernardini Siculi, sicut eam ex Italicis versibus Latinam fecit Caracciolus, qui mentem auctoris expressit his verbis:* Cùm nube cinerea cælum esset tenebricosum & horridum, tota verò terræ superficies, & ipsa Neapolis repleta & operta esset cineribus & ignitis carbonibus, æstuante ob id vehementiùs aëre, & miseram mortalibus necem inferente, ordo populusque Neapolitanus, unà cum clero religiosisque viris innumeris, adeunt S. Januarii basilicam, ibique cum maximo fletu omnium & fæmineo ululatu fundunt assiduas preces, & sanctum Patronum, ut pro clientibus apud Deum in tanta omnium clade interveniat, cum fide sollicitant. Quid plura? Statim exauditi sunt. Nam è basilica revertentes, cælum serenum, aërem tranquillum, eruptionem cinerum jam repressam, læti aspiciunt, & divinæ potentiæ admirandam atque laudandam benignitatem deprædicant. *Laudatus Tutinus pag.* 45 *profert nummum in honorem* S. Januarii *cusum cum inscriptione Græca, & Sancti effigie. Hic repræsentat*

ope S. Januarii nummus hac fortè de causa cusus.

tat Sanctum cum hac inſcriptione ἅγιος ὁ Ἰανουάριος, Sanctus Januarius. *Et in parte obverſa:* λυτρωτὴς τῆς πόλεως ἀπὸ τοῦ πυρός. Redemptor urbis ab igne. *Nummum illum refert ad incendium modò relatum; ſed ille non videtur tam antiquus, ut dicam* § 16. *Praterea dubitandum non eſt, quin Sanctus frequentiùs urbem ſuam protexerit contra terribilem adeo vicinum, qualis eſt Veſuvius; cùm inde maximè orta videatur ſumma Neapolitanorum de* S. Januario *fiducia. Verùm exempla recentiora perpetuæ illius protectionis commemorabo poſt corporis tranſlationes, quibus ſunt poſteriora.*

Apparitiones aliquot

114 *At inter beneficia Sancti, prima & ſecunda tranſlationi intermedia, numerandum eſt illud, quod in Vita S. Severi epiſcopi Neapolitani, cui primam corporis tranſlationem probabiliùs attribuimus, refertur tom.* III *Aprilis pag.* 769. *Sumpſerat S. Severus triduo ante mortem ſacra Myſteria, aliaque peregerat, ad mortem more Chriſtiano piè obeundam. Deinde verò, ut narrat biographus*, ſubitò clara voce interrogare cœpit, ubi eſſent fratres ſui. *Et mox explicans, quos vocaret fratres*, Ego nunc, *inquit*, fratres meos Januarium atque Agrippinum dico, qui mecum ſunt modò locuti, & continuò ad me venturos ſe eſſe dixerunt. *Fateor tamen, hanc relationem ſuſpectam videri, quòd tota ſit deſumpta ex Epiſtola Uranii presbyteri de obitu S. Paulini Nolani, ne verbis quidem mutatis, niſi perpaucis ad perſonas mutandas. Poteſt quidem aliqua* S. Januarii *viſio etiam S. Severo oblata eſſe, quam biographus iiſdem adjunctis ornaverit, qua reperiebat in viſione S. Paulini; ſed ille eo ſcribendi modo fidem ſuam ſaltem ſuſpectam reddidit. Audiamus igitur Uranium, certiora narrantem de S. Paulino, cujus morti ipſe adfuit. Uranius autem tom.* IV *Junii pag.* 198 *hac ſcribit:*

Et

Et cùm hæc omnia ſanctus epiſcopus (*Paulinus*) læto atque perfecto ordine celebrâſſet, ſubitò clara voce interrogare cœpit, ubi eſſent fratres ſui. Tunc unus ex circumſtantibus, qui putavit, quòd fratres ſuos, id eſt, epiſcopos, qui aderant, quæreret; ait illi: Ecce hîc ſunt fratres tui. At ille: Sed ego nunc fratres meos Januarium atque Martinum dico, qui modò mecum locuti ſunt, & continuò ad me venturos ſe eſſe dixerunt. E quibus Januarius, epiſcopus ſimul & martyr, Neapolitanæ urbis illuſtrat eccleſiam, Martinus autem vir per omnia apoſtolicus, cujus Vita ab omnibus legitur, Galliarum epiſcopus fuit.

115 *Alia* S. Januarii *apparitio legitur in lectionibus Officii S. Agrippini, cum aliis impreſſi anno* 1525. *Rem breviter expono, quia magis ſpectat ad S. Agrippinum. Quidam, Maurus nomine, paralyticus erat, &* S. Januarium *invocabat pro obtinenda corporis ſanitate. Dum autem ante tumulum proſtratus erat, in ſomnum incidit, viditque* S. Januarium, *qui paralyticum juſſit ad S. Agrippini tumulum ire, ſanandum ibi prædicens, prout factum aſſeritur. Res tota magis examinari poterit in S. Agrippino, qui colitur die* IX *Novembris. Nam certò in illius viſionis prolixa relatione reperientur nonnulla corrigenda. Alia rurſum* S. Januarii *apparitio refertur in Vita S. Gaudioſi, edita apud Ughellum tom.* 7 *Italiæ ſacræ recuſa col.* 357, *ſicut pleniùs dici poterit in S. Gaudioſo ad* XXVI *Octobris.* *S. Januarii.*

116 *Caracciolus ſect.* 21 *celebrat* S. Januarium, *ut defenſorem urbis Neapolitanæ contra hoſtes; ſed ferè generatim tantùm loquitur, aut facta recitat poſteriora corporis tranſlatione Beneventana, ideoque poſt memoranda. Verùm in jam laudato Officio S. Agrippini particulare factum refertur lect.* 3 & 4. *Verba huc transfero:* Albinus quidam in eadem ci- *qui Neapolim contra hoſtes defendit.*

civitate Neapolitana commanens, diabolico incitatus ſpiritu, dum pro traditione prædictæ civitatis ad nephandiſſimam Longobardorum gentem pergeret, ut eiſdem tempus memorati ſceleris conſtitueret; in itinere poſitus vidit beatiſſimum martyrem Januarium, terribiliter comminantem ſibi, atque dicentem, ut ab incepto opere revocare mentem greſſumque debuiſſet. Qui ſtatim amens effectus, perdenſque virtutem, nec ultrà progrediens, tentus à militibus & Neapolim perductus, hæc ipſa, quæ retuli, ore proprio cunctis audientibus enarravit, ſicut & publica monumenta teſtantur. *Hieronymus à S. Anna idem refert lib. 2 cap. 1, dicitque contigiſſe circa annum 650. At nullam illius epocha rationem allegat. Malim igitur tempus relinquere incertum. Nunc ad tranſlationem Sancti, de quo loquimur, pergo, licèt ordine temporis præceſſerit* SS. Eutychetis & Acutii *tranſlatio.*

Arichis princeps Beneventanus S. Januario devotus:

117 *Secundam* S. Januarii *tranſlationem, quâ corpus ipſius ex eccleſia ſuburbana, in qua quatuor ſeculis & aliquot annis quievit, Beneventum fuit tranſlatum, narrat Caracciolus ſect. 13. Præmittit autem, Arichem ſecundum hujus nominis Beneventanorum ducem, qui multa Sanctorum corpora ad metropolim ſuam tranſtulit, idem veriſimiliter conatum eſſe de corpore* S. Januarii *facere*, à Neapolitanis tamen, Civi ſuo addictiſſimis, nulla prece id obtinere potuiſſe. Quare, *inquit*, munere ſaltem aliquo, ſe ditiſſimo principe digno, ſuam erga beatum Antiſtitem propenſam devotamque voluntatem teſtatam facere cùm vellet, donavit eccleſiæ beati Martyris, juxta Neapolis mœnia erectæ, ubi ejus oſſa requieſcebant, amplum prædium, quod Planura etiam nunc vulgò dicitur: inſuperque pretioſum pallium ejuſdem altari operiendo atque exornando. *Tradit hæc Joannes Diaconus in Chroni-*

co

eo episcoporum Neapolitanorum in Stephano II. Quod autem Arichis II senescente seculo VIII *libenter feciſſet cum bona Neapolitanorum gratia; id Sico, Beneventanus item princeps, invitis Neapolitanis, perfecit seculo* IX *adolescente.*

Sico princeps, obsessa Neapoli, corpus Sancti transfert

118 *De hac translatione Anonymus Salernitanus tom.* 2 *Scriptorum Italiæ pag.* 290, *relata priùs obsidione Neapolis, ita habet:* Et ipse princeps Sico Januarii sancti martyris corpus de basilica, ubi per longa temporum spatia requievit, elevans, cum magno tripudio Beneventum regreditur. *Epitome Chronicorum Casinensium, nomine Anastasii Bibliothecarii edita, sed potiùs auctoris incerti, ut Muratorius observat in præfatione, ibidem pag.* 368 *de eadem re affert sequentia:* Præfatus princeps Sico, cùm diu Neapolim obsedisset & afflixisset, tandem sancti martyris Januarii (cujus festum est hodie, cùm hæc præsentia scribuntur) corpus auferens, Beneventum detulit, & cum suis quondam sociis Festo & Desiderio sanctis in episcopio honorificè recondidit. *Eadem ferè verba habet Leo Ostiensis in Chronico Casinensi lib.* 1 *cap.* 20, *addens:* Sicut in Historia Erchemperti refertur.

Beneventum, eique jungit SS. Festi & Desiderii corpora:

119 *Erchempertus autem, aliàs Herempertus, monachus Casinensis, tom.* 5 *Scriptorum Italiæ pag.* 18 *&* 32 *refert, Neapolim à Sicone diuturna obsidione pressam & ad incitas redactam fuisse; pacem verò tandem fuisse compositam sub conditione tributi, quotannis per Neapolitanos solvendi. De translatione hæc solùm adjungit:* Et ipse princeps Sico Januarii sancti martyris corpus de basilica, ubi per longa temporum spatia requieverat, elevavit, & cum magno tripudio Beneventum regreditur. *Translatio fusiùs refertur ab Anonymo, cujus lucubrationem edam inferiùs post Vitas. Ex ea intelligimus, eodem ferè tempore corpora* SS. Festi & Desi-

fiderii, *quæ ſervabantur in eccleſia ſuburbana prope Beneventum, in ipſam civitatem delata fuiſſe, & depoſita in eadem eccleſia cum corpore* S. Januarii.

tranſlatio contigit anno incerto, ſaltem poſt 817.

120 *Annus hujuſce tranſlationis nequit certò aſſignari. Tutinus cap.* 12 *figit annum* 817. *Caracciolus aſſignat annum* 817 *aut* 818, *quem & Falconius ſecutus eſt lib.* 2 *cap.* 8. *At lib* 5 *pag.* 490 *maluit annum* 824 *tranſlationi affigere. Marius de Vipera in Chronologia epiſcoporum Beneventanorum pag.* 50 *rem dicit peractam circa annum* 825. *Ha poſteriores opiniones poſſunt eſſe veræ; priores verò mihi placere nequeunt. Etenim Sico ducatum Beneventanum certò adeptus non eſt ante annum* 817. *Muratorius in Annalibus Italiæ ad annum* 817 *revera initium ducatûs ipſius figit. At Pagius in Critica ad annum* 818 *num.* 7 *oſtendit ex Eginhardo, circa initium hiemis anno* 818 *veniſſe legatos Siconis ad Ludovicum Pium imperatorem; indeque colligit, Siconem eo anno factum ducem. Hoc mihi admodùm veriſimile apparet, quia legati veniebant, ut excuſarent Siconem* de nece Grimoaldi ducis, anteceſſoris ſui. *Jam verò ſi conſideremus, principatum Siconis ad quindecim annos protrahi, nec exprimi à ſcriptoribus, utrùm initio principatûs, an poſt plures annos bellum Neapolitanis moverit, facilè videbimus, tranſlationem multò ſeriùs contingere potuiſſe, quàm habeant epochæ aſſignatæ, præſertim cùm neſciamus, quot annis bellum inter Siconem & Neapolitanos fuerit geſtum, antequam tranſlatio corporis ſit facta. Annum igitur determinare nequeo: ſed de die inter Beneventanos & Neapolitanos convenit, tranſlationem eſſe factam* XXIII *Octobris, quo eam Beneventi celebrari teſtatur laudatus Vipera.*

§ IX.

§ IX. Reliquiæ aliquæ Januarii, Proculi, Eutychetis & Acutii ſeculo IX, ut fertur, delatæ ad Augiam divitem : SS. Eutychetis & Acutii tranſlatio Neapolim, uti etiam S. Soſii.

Cùm Ludovicus II imperator bellum gerebat contra Saracenos.

Celebris eſt abbatia Benedictina in Germania, prope Conſtantiam Alemannicam in Rheni inſula, & vulgo Richenau, *Latinè* Augia dives *nominata. Hac exiſtimat, nonnullas* S. Januarii *& quorumdam Sociorum reliquias accepiſſe ſe eodem ſeculo, quo* S. Januarii *corpus Beneventum fuit tranſlatum. Relationem accepti illius theſauri, qualis poſt Acta Sanctorum noſtrorum legitur in codice Augienſi Ms., anno* 1748 *huc miſit Mauritius Chardon, tunc rector Societatis Jeſu Conſtantienſis, & uſque ad mortem ſuam de Opere noſtro optimè meritus. Eadem relatio communicata fuerat Majoribus noſtris præterito ſeculo. Utrumque exemplar invicem contuli, & conſonum inveni. Quare narrationem illam, Actis modicè interpolatis ſubjectam in codicibus, totam huc transfero.* Qualiter autem corpora Sanctorum ad nos, id eſt, Augiam inſulam, delata ſint, paucis monſtrabimus. Lotharius rex *(ſive imperator)* duos filios regni, quod in partem ſuam contra fratres ſuos ſuſceperat, moriens reliquit heredes, Hludovicum ſcilicet & Lotharium. Hludovicum præpoſuit Italiæ, & ei cohærentibus provinciis; Lotharium autem parti, quam in Francia tenuit. Irruentibus autem in Campaniam

niam Saracenis, & non per paucos annos ibidem cuncta vastantibus, prædictus rex ad ereptionem jam dictæ provinciæ obviàm Saracenis perrexit, exercitu undique contracto. Contigit autem, ut cum domino suo quidam vassallus, ex Alemannia nobiliter natus, eidem exercitui interesset, qui litteris non mediocriter doctus, ingenio etiam subtilis, & ad omne bonum vivaciter strenuus.

quædam reliquiæ anno 871 translatæ sunt in Augiam divitem;

122 Hic quemdam presbyterum inibi habuit hospitem, quem de diversis rebus prædictus juvenis scisitatus est, maximè de reliquiis Sanctorum, si alicubi inveniri possent, quas suo juri adsciscere valeret. Annuit senior, & voluntati juvenis paratissimus indicavit, ubi corpora de numero prædictorum Martyrum, Januarii videlicet, Proculi, Euticetis & Acutii, essent in quadam ecclesia, jam propter timorem hostium ab accolis deserta, recondita. Sequitur ergo juvenis cum sociis præeuntem usque ad locum sepulchri: quod, præmissa oratione, aperientes, invenerunt pulcherrimo marmore subtùs & suprà dextra lævaque tumbam compositam. Tollentes ergo ipsa corpora cum timore & reverentia, condiderunt in scriniis, & abierunt ad diversorium. Quæ pòst, statim ut spatium habuit, prædictus juvenis ad nos detulit, anno ab Incarnatione Domini DCCCLXXI, Indictione IV, XXXII Hludovici regis, regnantis in Orientali Francia. *Notata Indictio cum anno* 871 *rectè consonat. Ludovicus verò, cujus anno* 32 *reliquiæ translatæ dicuntur, non est Ludovicus imperator Lotharii filius, qui suprà memoratur; sed Ludovicus Germaniæ rex, & Ludovici Pii filius. Nam in Ludovici Germaniæ regis ditione erat Augia, & illius annus trigesimus secundus à morte patris Ludovici Pii, anno* 840 *defuncti, currere cœpit anno* 871. *Omnia igitur illa rectè consonant.*

123

123 *At longè major erit difficultas, ſi ex illa relatione inferre velimus, corpus aut nonnullas* S. Januarii *reliquias Angiam fuiſſe delatas. Etenim, licèt pro certo admitteremus, omnia fuiſſe peracta, prout narrantur; nec deceptum fuiſſe juvenem in Sanctorum nominibus, quorum corpora aut reliquias Angiam tranſtulit; vel ſic legitimè concludere non poſſum, inter reliquias illas fuiſſe oſſa ſacra* S. Januarii, *cùm hæc adfuiſſe, relatio ipſa non inſinuet; adjuncta verò locorum & temporum prorſus evincere videantur,* S. Januarii *reliquias non fuiſſe eo loco, ubi ſuas accepit juvenis ille anonymus. Nam presbyter dicitur juveni indicâſſe locum,* ubi corpora de numero prædictorum martyrum, Januarii videlicet, Proculi, Euticetis & Acutii eſſent *&c. Nequit autem locus intelligi eo ſenſu, ut ex ſeptem Martyribus ſimul paſſis corpora quatuor illorum, qui nominantur, in eodem ſepulcro jacerent conjuncta: conſtat enim, tres alios numquam fuiſſe conjunctos cum* S. Januario *poſt primam corporum tranſlationem. Suſpicor igitur,* Januarium *fuiſſe nominatum, ut intelligeretur, ex quâ Martyrum claſſe fuerint illi, quorum reliquias juvenis accepit. Secundò anno* 871, *aut paulò antè, quando inventio fuit facta, corpus* S. Januarii *non erat* in eccleſia jam propter timorem hoſtium ab accolis deſerta, *ut fuiſſe dicuntur inventa corpora; ſed in civitate Beneventana, quam Saraceni non obtinebant, & in qua dux Beneventanus habitabat.*

at inter illas non videntur fuiſſe S. Januarii reliquiæ,

124 *Itaque, ſi vera eſt relatio, ut veram credere licet, eccleſia illa fuiſſe videtur in ſuburbio aut in civitate Puteolana, quæ exciſa à Saracenis, & deſerta jacebat. Ad eccleſiam Puteolanam tranſlati fuerunt* Proculus, Eutyches & Acutius. *Tam certa autem documenta de horum ad alium locum*

ſed potiùs SS. Proculi, Eutychetis & Acutii,

integra tranſlatione non invenio, ut cogar credere, corpora trium laudatorum Martyrum non permanſiſſe Puteolis uſque ad iſtud tempus. Imò de corpore S. Proculi *inde tranſlato nullum reperitur aliud monumentum, ut oſſa* S. Proculi *in Germaniam transferri potuerint cum partibus* SS. Eutychetis & Acutii, *uſque ad illud tempus relictis in ſepulcro Puteolano. Quare probabile admodùm apparet,* SS. Proculi, Eutychetis & Acutii *oſſa eo, quo referuntur, modo fuiſſe inventa, & Augiam tranſlata. Hoc autem de oſſibus* S. Proculi *aut omnibus aut pleriſque vix dubitandum videtur, cùm ex litteris Neapolitanis intellexerim, ipſos Puteolanos ignorare, ubi modò ſervetur corpus* S. Proculi, *patroni licèt ſui. Neapolitani quidem ſeculo* VIII *oſſa* SS. Eutychetis & Acutii *tranſtuliſſe dicuntur Neapolim, eaque vocârunt* corpora. *At hoc quoque aſſertum non obſtat, quo minùs pars magna illorum tunc Puteolis relinqui potuerit cum* S. Proculo, *& ſeculo* IX *in Germaniam transferri: neque enim Augienſes contendunt, tota ſe habere corpora, aut omnia unius etiam corporis oſſa; ſed ipſi obſervant in Annotatis huc miſſis, de notabili corporum parte exponendam eſſe relationem, in qua* corpora *vocantur more multis olim uſitato.*

cùm videantur acceptæ Puteolis,

125 *Jam verò has reliquias Puteolis acceptas eſſe, non modò colligitur ex eo, quòd non potuerint eo modo auferri Benevento, ubi tunc erat corpus* S. Januarii *cum corporibus* SS. Feſti & Deſiderii; *nec Miſeno, ubi diu poſt inventum eſt corpus* S. Soſii; *nec Neapoli, quò tranſlata erant aliqua oſſa* SS. Eutychetis & Acutii; *ſed etiam ex die feſtivitatis, quem Germani inſtituerunt poſt dictorum oſſium tranſlationem. Etenim* S. Proculus *cum Sociis à Puteolanis colebatur die* XVIII *Octobris, quo die nec à Neapolitanis nec à Benevenſa-*

tanis umquam cultus fuit S. Januarius. *Sequentem diem* XIX *Octobris elegerunt Germani, verisimiliter, quòd* XVIII *esset impedita solemni festo S. Lucæ. Augienses certè cum tota diœcesi Constantiensi olim festivitatem* S. Januarii *celebrârunt die* XIX *Octobris, & hunc diem etiamnum servârunt Rhinovienses in Helvetia, qui earumdem reliquiarum partem acceperunt. Itaque diem celebritatis Puteolanæ didicerant, idque manifestum est indicium, in quadam ecclesia Puteolana, aut prope Puteolos sita, inventas esse dictas reliquias. Præterea in ipsa Augiensium relatione trium illorum nomina exprimuntur, qui Puteolis aut prope Puteolos quiescebant. Additur quidem nomen* S. Januarii; *sed hoc unicè factum videtur ob societatem martyrii, ut jam dixi. Erat* S. Januarius *inter septem martyrii Socios solus Episcopus, & omnium præcipuus. Quare in sepulcro* SS. Proculi, Eutychetis, & Acutii *scriptum fortasse fuerit, illos fuisse Socios* S. Januarii.

126 *Hæc autem conjectura vires acquirit ex litteris Caroli IV imperatoris, qui partem illarum reliquiarum anno* 1353 *ab Augiensibus accepit, & Pragam transtulit, ut dicam num.* 193. *Caroli enim litteræ, ibi memorandæ, habent, ipsum accepisse* medietatem corporis B. Januarii martyris, Beneventani episcopi, & duorum Sociorum ipsius: *Acceperit nimirum mediam partem sacrorum ossium, quæ sæculo* IX *acceperant Augienses, &* corpora *vocabant, etsi omnia trium corporum ossa verisimiliter non haberent. De his autem unicè spectat ad propositum nostrum, quòd in litteris Caroli IV trium tantùm, non quatuor, corporum fiat mentio. Si autem tria tantùm corpora translata sunt ad abbatiam Augiensem, aut ossa plura trium Martyrum, numerus ipse, maxime at-*

ubi illi quiescebant: idemque aliis rationibus evincatur.

ten-

tentis adjunctis loci & temporis, aliisque rationibus jam prolatis, abundè rursum insinuat, ossa illa fuisse SS. Proculi, Eutychetis & Acutii, *præsertim cùm horum nomina in ipsis translationis Actis fuerint expressa: nam corpora trium illorum simul depositа fuerant in prætorio Falcidii, ut habet Appendix primorum Actorum cum multis Breviariis, & Oratio apud Falconium pag.* 143. *Cæterùm unde Augienses eam conceperint opinionem, ut existimarent,* S. Januarii *corpus se habere, certò edicere nequeo: ipsa enim illorum Acta admodùm sunt ambigua, & illi opinioni contraria. Nam in iis quoque refertur omnium Sociorum prima translatio. Ex ea autem translatione liquet,* S. Januarium *non quievisse in eadem ecclesia cum* SS. Proculo, Eutychete & Acutio. *Quomodo igitur cum hisce in eadem ecclesia inveniri potuit? Corpus* S. Januarii *erat anno* 871, *quo facta est translatio, unà cum corporibus* SS. Festi & Desiderii *in civitate Beneventana. At non erant hæc in ecclesia deserta, cùm Beneventum eo tempore floreret sub principe suo:* Festus *quoque &* Desiderius *non nominantur in Actis translationis; sed* Proculus, Eutyches & Acutius, *qui Puteolis erant in ecclesia deserta.*

Augienses à sæculo X *crediderunt, se* S. *Januarii habere reliquias*

127 *Si conjecturam dare licet utcumque verisimilem, suspicari quis poterit,* S. Januarium *initio coli cœpisse cum Sociis, indeque paulatim invaluisse opinionem de sacris ipsius ossibus unà cum aliis acceptis, nisi deinde nonnullas* S. Januarii *reliquias Benevento acceperint Augienses, & cum aliis conjunxerint. Hoc sanè admodùm credibile esset, si in vetusto aliquo documento assereretur. Quidquid sit,* S. Januarii *reliquias à sæculo saltem* X *habere se crediderunt Augienses. Nam Witegovo, abbas Augiensis,* anno primo regiminis sui, Chri-

Christi CMLXXXV, sacellum constructit, & in eo tria altaria: primarium dicavit S. Januario, alterum S. Stephano, tertium S. Laurentio, *inquiunt Augienses in notitiis ad nos transmissis. De sacello illo ita canit ipsorum illius temporis monachus & poëta Burchardus, celebrans Witegovonem:*

Fundans eximium devota mente sacellum,
Quod Januarii voluit sub honore dicari.

Et post memoratas aras SS. Stephani & Laurentii, ita pergit:

In medio quorum Witegowo, norma bonorum,
Erexit celsam studiis ferventibus aram,
Hanc ornans tabulâ, gemmis auroque paratâ,
Qua Januarii concluserat ossa beati.

128 *His addunt Augienses sequentia:* Loco hujus sacelli, jam penitus destructi, S. Januarius habet aram propriam in ecclesia nostra monasteriali. Cujus compatroni sunt præfati SS. Stephanus & Laurentius. Reliquiæ verò SS. Januarii & Sociorum martyrum, apud nos publicæ exponi solitæ venerationi, asservantur in arca propria, ab ipso S. Januario nomen participante, cujus hæc facies & hoc contentum est. Arca S. Januarii episcopi Beneventani ex cupro, partim deaurato, partim deargentato, conflata, ulnam & ampliùs longa, dimidiam lata, alta verò non omnimodè tres ulnæ partes. Quatuor angulos extremos sulciunt leunculi deaurati: latera ornant auro ductæ imagines Crucifixi, B. V. Mariæ, & S. Joannis, S. Januarii & aliorum undecim Sanctorum. Sacrorum verò ossium eidem inclusorum numerus est sequens: *decem ithecæ reclusas, & Sanctum colunt.*

1. Duo majora ossa, seu spinæ, de S. Januario, rubro serico involuta.
2. Viginti quatuor ossa valde magna.
3. Tria femora unà cum aliis duodecim valde ma-

magnis ossibus incognitorum Sanctorum.

4. Duo femora cum aliis SS. ossibus, uno miræ magnitudinis, ignotorum quoque Sanctorum. Probabiliter hæc ossa sunt sanctorum Sociorum S. Januarii episcopi & martyris.

Rhinovienſis in Helvetia abbatia ſimiliter S. Januarium colit,

129 *Poſt datam enumerationem, ſcriptor Augienſis ita pergit:* Credibile admodùm est, plures olim reliquias de his Sanctis in Augia asservatas, ex hac ad alia loca & monasteria, vel per modum donationis, vel aliter devenisse. Certè monasterium Rhinovienſe Ordinis nostri magna earum gaudet parte, & ob id festivitatem S. Januarii celebrat sub ritu duplicis primæ classis cum Octava, designata festivitati die XIX Octobris, qua in choro id ipsum decantant Officium, quod ex vetustissimo codice Ms. nostro excerptum mox subjiciemus. Ab Augienſibus autem horum Sanctorum Martyrum festivitas cum universali Ecclesia, & eidem consueto Officio, XIX Septembris celebratur (licèt olim etiam XIX Octobris fuerit celebrata) etiam cum ritu duplicis primæ classis cum Octava. Habetur concio, & in foro sunt feriæ. *Hactenus ſcriptor Augienſis, mox ſubjiciens antiquum de* S. Januario *& Sociis Officium, quod totum eſt proprium, & diligenter ex Actis compoſitum. Hoc ſimiliter nobis cum aliis tranſmiſerunt Rhinovienſes, qui eo etiam tum utebantur. At cùm omnia ex Actis deprompta ſint, ab eo recitando brevitatis causâ abſtineo.*

ejuſque ſe reliquias poſſidere exiſtimat.

130 *Rhinovienſes in Helvetia Benedictini in notitiis, anno* 1745 *per laudatum ſuprà Chardonum ad nos miſſis, planè conſentiunt de cultu* S. Januarii *in abbatia ſua cum jam dictis. De reliquiis verò apud ſe ſervatis hæc obſervant:* Ossa tria grandia adsunt de S. Januario, & publicæ veneration-ni, argento sericoque ornata, exponuntur. Adsunt item

item alia duo ossa aliquanto minora, quæ omnia ab immemorabili longissimo tempore hìc culta fuere, sive ex Augia divite ad nos, sive huc simul & in Augiam illam translata fuerint. Porrò de uno solùm ex tribus grandibus ossibus, quod seriùs ad nos devenit, hæ extant testimoniales: Istæ reliquiæ de S. Januario à comite Alwico de Sulzt, & Ruttmanno barone de Hausen, tamquam fundatoribus monasterio Alberspacensi Ordinis S. Benedicti anno MXCVI donatæ, & postmodùm anno MDXLVI generoso domino Wilhelmo Wernero comiti & domino in Zimeren, prout ipsemet hæc omnia suis manu & sigillo testatur, per Wolmarum de Brandegg ex eodem monasterio donatæ & transmissæ fuere, ne ab acatholicis Wirtenbergensibus comburerentur. *Subscriptio erat:* Conradus Unverdorpen, presbyter Hechinganus Anno MDCII, die XVI Augusti. *Hactenus notitiæ Rhinovienſis abbatiæ. Memoratas autem hujus monasterii reliquias unà cum Augiensibus in Germaniam delatas, admodùm verisimile est. Fortasse & alia quædam ex iisdem ad alia Germaniæ loca statim pervenerint. Magnam verò Augiensium partem deinde Pragam venisse videbimus* §14. *Verùm modò in Italiam redeamus.*

131 *Neapolitani, qui corpus* S. Januarii *seculo* IX *perdiderunt, excepto tamen capite, ut postea dicetur, primùm acceperunt corpora aut certè aliqua ossa* SS. Eutychetis & Acutii, *deinde &* S. Sosii. *Devastatio civitatis Puteolanæ occasionem præbuit translationis primorum,* Eutychetis *nimirum &* Acutii, *si credimus Raynerio eorum translationem enarranti. Verùm Puteoli multis vicibus, & variis seculis vastati fuerunt, ut narrat Scipio Mazzella in Situ & antiquitatibus Puteolorum cap.* 1. *Hac de causa ex illo indicio tempus trans-*

Reliquiæ SS. Eutychetis & Acutii Neapolim delatæ

lationis nequit ſatis innoteſcere. Raynerius, auctor tranſlationis à nobis recudenda, aſſignat tempora Conſtantini Copronymi, Deſiderii Longobardorum regis, Caroli Magni, Stephani junioris Papæ; & Stephani epiſcopi Neapolitani, cui tranſlationem attribuit. Eaſdem planè perſonas nominavit Joannes Diaconus in Chronico in Stephano II, ex quo ſua hauſit Raynerius. Floruerunt illi omnes ſimul circa annum 770, *eaque, opinor, de cauſa ſcriptores Neapolitani epocham tranſlationis fixerunt circa tempus memoratum. Caracciolus cap.* 33, *ubi hanc tranſlationem narrat & Acta recitat, dicit, tranſlationem contigiſſe* circiter annum Domini DCCLXXIII. *Conſentit Hieronymus à S. Anna cap.* 12.

dicuntur circa 770. * aliàs IV

132 *At Falconius in Annotatis ad Acta pag.* 186 *& ſeqq. contendit, ipſo anno* 770 *figendam eſſe tranſlationem, quia illo anno Stephanus Papa III* ſcripſit ad Carolum Magnum, ad quem ſe contuliſſe in Actis dicitur, & quia laudatus Pontifex ante annum* 773 *fuit defunctus. Certum eſt, annum* 770 *potiùs figendum eſſe, quàm* 773, *ſi quis certò aſſignari poteſt. Verùm nec auctor tranſlationis nec Joannes Diaconus certò edicit, illo ipſo anno, quo Stephanus Papa per litteras Carolum Magnum adiit, tranſlationem eſſe factam. Quin potiùs Joannes Diaconus, relata inſtauratione eccleſiæ cathedralis, qua combuſta fuerat, ſtatim addit, ibi per Stephanum depoſita eſſe* corpora SS. Euticetis & Acutii martyrum, *antequam de dictis principibus meminit. Raynerii verò tanta non eſt accuratio, ut illa annum tranſlationis omnino certum facere valeat. Quippe ætas Raynerii, qui Caracciolo & aliis videtur aut tranſlationi interfuiſſe, aut non diu pòſt vixiſſe, mihi apparet planè incerta, imò & longè poſterior, ut pro-*

probatum eſt ſuo loco. Quantam porrò reliquiarum SS. Eutychetis & Acutii *partem acceperint Neapolitani, ſcire nequeo. At omnia illorum oſſa tunc fuiſſe tranſlata minimè credo. Nec refert, quòd cauſâ vaſtationis tranſlatio dicatur facta, cùm hæc ratio ſit incerta, tacente de ea Joanne Diacono; cúmque* S. Proculi *corpus non fuerit ſimul tranſlatum, quocum manſit veriſimiliter Puteolis magna pars* SS. Eutychetis & Acutii.

133 *Manſiſſe Puteolis corpus* S. Proculi, *quando tranſlata Neapolim ſunt corpora* SS. Eutychetis & Acutii, *conſentiunt Neapolitani ſcriptores. Laudatus ſuprà Scipio Mazzella cap. 1 docet*, ſumptuoſiſſimæ fabricæ templum, ex lapidibus quadratis marmoreis ingentibus conſtructum, ejuſdemque frontiſpicium intus & extrà pariter totum ex marmore, ornatum magnis altiſque columnis operis Corinthii, quod cæca gentilitas Octaviano Auguſto erexerat & dedicârat, poſtea in uſus Chriſtianos verſum, & conſecratum in honorem S. Proculi martyris. *In hac cathedrali eccleſia Sancti corpus ſervari aſſerit, & hanc rationem ſubjungit:* Protector enim urbis habetur. *Verùm protector urbis eſſe poteſt, etiamſi corpus aliò fuerit tranſlatum. Quapropter ſuſpicor, ex mera conjectura aſſeri, corpus in eccleſia cathedrali eſſe, quòd ipſi ignorent Puteolani, ubi illud modò ſervetur. Cùm enim clanculùm fuerit ablatum, portatumque in Germaniam cum oſſibus* SS. Eutychetis & Acutii, *id facilè ſcire non potuerunt. Ughellus tom. 6 Italiæ ſacræ in Epiſcopis Puteolanis oſtendit, eccleſiam illam cathedralem* S. Proculi *ſæpiùs inſtauratam & reparatam fuiſſe. At nullibi invenio, quo tempore* S. Proculi *corpus ex pratorio Falcidii, ubi cum* SS. Eutychete & Acutio *fuerat depoſitum, ad cathedralem eccleſiam ſit tranſlatum, ut veriſimile fiat, ibi numquam fuiſſe*

S. Proculus patronus Puteolis, ubi corpus non videtur eſſe,

depoſitum; aut, ſi fortè ad cathedralem fuerit eò tranſlatum tempore, quo pars SS. Eutychetis & Acutii *Neapolim delata; fuerit ex ipſa cathedrali à Germanis ablatum cum reliquis Sociorum oſſibus.*

& miraculis olim clarus.

134 *De miraculis quibuſdam, patrocinio* S. Proculi *patratis, mentio fit in antiquo Officio, quod ex codice Puteolano accepimus anno* 1716 *per dominum Dominicum de Georgio, nobilem Neapolitanum, multis officiis de Opere noſtro bene meritum. Antiphona tertia ad primas Veſperas talis eſt:* Claudis ut greſſum, cæciſque videre dediſti: da pius, ut nobis aſſiſtat gratia Chriſti. *Antiphona ad Benedictus:* Orante S. Proculo, ſanus effectus eſt Romanus de manu, quam ſolam truncus habebat. Quemdam languentem, gradiendi jure carentem, fecit ipſe mirè reparatis greſſibus ire. *Plura non invenio de miraculis. Officium fit die* XVIII *Octobris ritu duplicis primæ claſſis cum Octava. Codex, ex quo omnia exſcripta ſunt, exaratus dicitur anno* 1377, *tempore Gregorii Papæ XI. Ceterùm, utrùm Puteolani oſſa aliqua* S. Proculi *etiamnum habeant, compertum non habeo.*

S. Soſii, cujus nomen ſeculo V *celebre erat in Campania,*

135 *Ut ad tranſlationem* S. Soſii *perveniamus, juvabit nonnulla præmittere. Clarum fuiſſe in Campania* S. Soſii *nomen circa medium ſeculi* V, *ſive pontificatum gerente S. Leone I, colligitur ex ſcriptore illius temporis, cujus Opus* de Promiſſionibus & prædictionibus Dei *à multis attributum fuit S. Proſpero Aquitano, ſed modò rejectum eſt in Appendicem Operum S. Proſperi. Quisquis fuerit auctor, in tractatu,* Dimidium temporis *dicto, cap. 6 ita habet:* In Italia quoque, nobis apud Campaniam conſtitutis, dum venerabilis & Apoſtolico honore nominandus Papa Leo Manichæos ſubverteret & contereret Pelagianos, & maximè Julianum, ambiens tum quidam, Florus nomine, ſpiritu

ritu seductionis arreptus, virtutem & meritum sibi S. Sosii martyris assignans, cùm haud procul à Neapolitana civitate in subversionem animarum quædam promitteret, faceretque illicita, à germano venerabilis Nostriani episcopi & Herio presbytero simul cum clericis prædictæ ecclesiæ detentus & coërcitus, sic à præfatæ provinciæ limitibus pulsus est. *Nisi magnum & celebre fuisset* S. Sosii *nomen, non illius potiùs, quàm alterius Sancti, virtutem & meritum sibi attribuisset impostor ille. At excisio civitatis Miseni, quæ corporis translationi causam præbuit, fortè etiam effecit, ut plura de ipso documenta perierint.*

136 *Ex Actis translationis* S. Sosii *num.* 3 *liquet, circa annum* 836 *famam fuisse de corpore* S. Sosii *Beneventum translato, sed falsam deinde repertam. Nam Stephanus III episcopus Neapolitanus ad Joannem abbatem S. Severini, cui facultatem quærendi corporis* S. Sosii *concedit, ubi dixerat corpus istud à multis frustra quæsitum fuisse, ita loquitur:* Nam Sicardus princeps Longobardorum, post innumera mala, quibus urbes nostratium afflixit, etiam ad hoc prorupit, ut sepulcra suffoderet, & Sanctorum ex eis corpora sublevaret. Sed Martyrem hunc, licèt alium pro alio reperisset, & nominis ejus ecclesiam consecrâsset, nequaquam invenire potuit. *Vita S. Athanasii episcopi Neapolitani, data tom.* IV *Julii, pag.* 78 *bellum illud Longobardorum, quibus præerat Sicardus, videtur figere anno* 835, *& paulò post de Neapoli habet:* Quo videlicet tempore ingentem sustinebat dicta urbs à Longobardorum agminibus persecutionem. *Muratorius in Annalibus Italiæ ad annum* 836 *de illo bello loqui incipit, & obsidionem urbis Neapolitanæ figit anno* 836, *mense Maio. At verisimile est, Sicardum initio belli inter-*

corpus circa annum 836 *se invenisse,*

intercepisse aliquot civitates ditionis Neapolitanæ; aut fœderatas cum Neapolitanis.

capto Misено, credidit Sicardus princeps, sed falsò.

137 *Certè Misenum à Sicardo occupatum fuisse, etiamsi de eo tacuerit Muratorius, clarè insinuant verba data: neque enim poterat Miseni corpus* S. Sosii *quærere, & aliud pro eo invenire, nisi civitatem intercepisset. Præterea Vita S. Antonini abbatis Surrentini, data tom. 2 Februarii, abundè docet pag.* 789, *varias civitates à Sicardo fuisse occupatas, antequam Surrentum obsideret. Sic enim habet num.* 12: Post decessum B. Antonini non multo tempore evoluto, princeps Beneventanus Sicardus, ceteris finibus ditioni suæ subjugatis, terram etiam Surrentinorum eadem intentione invasit. *Deinde narratur, quo modo favor S. Antonini, apparentis & minitantis Sicardo, nisi obsidionem urbis abrumperet, Surrentum servaverit. At hæc ad propositum nostrum non spectant; sed unicè allata sunt præmissa verba, ut ostenderem, varias civitates in illo bello à Sicardo fuisse occupatas, iisque secundum antè dicta annumerandum Misenum, ex quo corpus alicujus Sancti Sicardus abstulit. Fuisse illud corpus* S. Sosii *initio crediderunt Beneventani, in quorum vetusto Breviario apud Falconium pag.* 161 *hæc leguntur:* Cujus (*Sosii*) postea corpus Sicardus Longobardorum princeps Beneventum perduxit, atque in ecclesia prædictæ Dei Genitricis locavit die Kalendis Octobris. *At posteriores Beneventani silentio suo videntur agnovisse, falsam fuisse opinionem illam.*

Neapolitani verò illud acceperunt circa annum 910,

138 *Certè omnes crediderunt, illud fuisse* S. Sosii *corpus, quod postea invenerunt Neapolitani. Translationem illam à Joanne Diacono, qui omnibus adfuit, diligenter enarratam recudemus. De tempore translationis nonnulla jam dixi* § 3, *ubi clarè probavi, non esse figendam anno* 920, *ut eam*

fixe-

fixerunt pro arbitrio varii ſcriptores. Falconius, qui illos ſecutus erat pag. 202, *poſtea mutavit ſententiam, & aut veram elegit, aut veræ proximam, dum pag.* 487 *dixit, tranſlationem contigiſſe anno* 911, *uno anno poſt tranſlationem S. Severini. Tranſlatio hæc S. Severini, quæ ab eodem Joanne Diacono ſcripta, & apud nos edita eſt tom.* 1 *Januarii pag.* 1098, *contigit* anno vigeſimo quarto Leonis & Alexandri imperatorum. *Annus autem vigeſimus quartus Leonis Sapientis, à morte patris ipſius Baſilii Macedonis, concurrit cum anno* 909, *ut jam notârunt Majores noſtri & conſentit Pagius. Itaque tranſlatio S. Severini figenda videtur anno* 909. *Non diu pòſt contigiſſe tranſlationem* S. Soſii, *ſcriptor ipſe ſatis inſinuat circa initium. Attamen nullibi indicat, uno tantùm anno poſteriorem eſſe: nam eadem ſcribere potuit, etiamſi conſtaret biennio aut triennio ſeriùs tranſlatum eſſe* S. Soſii *corpus, quàm S. Severini. Itaque nec anno* 910, *nec* 911 *nec* 912 *tranſlationem certò figendam exiſtimo; ſed circa annum* 910: *neque enim debemus certam figere chronotaxim, niſi argumenta habeamus æquè certa.*

139 *Muratorius in præfatione ad Chronicon Joannis Diaconi ulteriorem movet dubitationem, an tranſlatio non contigerit multo citiùs. Fatetur, annum* 24 *Leonis Sapientis & Alexandri fratris ipſius concurrere cum anno* 909; *ſed adjungit:* Quum Leo & Alexander anno DCCCLXX imperatores à patre fuerint renuntiati: quis certos nos facit, non ab eo potiùs anno deductam fuiſſe Johanni Diacono epocham cæſarum illorum, ac propterea citiùs conſignandam prælaudatam tranſlationem, atque anticipandum etiam initium ſedis Stephani, ſub quo epiſcopo eadem peracta fuit? *Hæc ſanè objectio dubitationem ingereret, niſi ipſe Joannes Diaco-*

& non multò citiùs, ut oſtenditur.

nus nos redderet certos, epocham Leonis & Alexandri à se non deduci ab anno 870, *quo nomen imperatorum impetrârunt; sed à morte patris ipsorum, sive ab anno* 886. *Etenim docet*, sexaginta evolutos penè per annos *eversum jacuisse Misenum ante translationem S. Sosii. Docet idem in Chronico, Misenum tempore S. Athanasii eversum esse. Itaque cùm S. Athanasius factus fuerit episcopus circa finem anni* 849; *Misenum certè vastatum non est à Saracenis ante annum* 850, *& sic sexaginta ferè anni ducunt ad annum* 910, *& multò longiùs, quàm ad annum* 893, *quo currebat annus vigesimus quartus Leonis & Alexandri secundum alteram epocham. Quare epocha à nobis statuta pro certa haberi potest, licèt annum ipsum, utpote non aquè certum, pro* Sosii *translatione non assignemus.*

§ X. S. Januarii favor in Neapolitanos: corpora ipsius, Festi ac Desiderii transferuntur Beneventi ad novam ecclesiam, deindè ad Montis Virginis monasterium.

Neapolis patrocinio SS. Agrippini & Januarii

Quamquam corpus S. Januarii *Beneventum seculo* IX *erat translatum*, capite *tamen* remanente Neapoli, *ut additur in Officio Puteolano* S. Proculi, *non desinebant Neapolitani* S. Januarium *habere patronum, & conservationem urbis suæ, multis periculis expositæ, & frequenter per principes Beneventanos & per Saracenos oppugnatæ, ipsius protectioni attribuere. Liquet hoc ex Vita S. Atha-*

thanaſii ſuperiùs memorata, cujus auctor ſeculo IX *exeunte, aut ſub initium* X *ſeculi, SS. Agrippinum &* Januarium *Neapolitanorum patronos agnoſcit, & de* S. Januario *quidem ita ſcribit tom.* IV *Julii pag.* 78: Beatiſſimum quoque Januarium, Chriſti martyrem, poſtea Neapolites meruerunt habere tutorem. Quibus annitentibus faventibuſque, præfata urbs, Deo favente, tuta remanſit, manebitque in ævum; quoniam quaſi duas firmiſſimas baſes, duoque candelabra ſplendentia gloriatur ſe habere ſupradictos patres eadem civitas, duabus fulta alis, id eſt, duorum Sanctorum fiſa precibus....

141 Idcirco à multis crebrò expugnata * gentibus, & priùs à Wandalis, poſtremò à Longobardis indeſinenter oppreſſa per annos fermè ducentos, inviolata perſtitit & invicta ab omnium hoſtium concuſſione, quoniam civitas hæc, civitas miſericordiæ & pietatis eſt, inde vallata omni bonitate, quæ quidem meruit tot taleſque patronos habere apud Deum in exorando *&c. Hæc utcumque excuſare poſſunt Falconium, qui, quotieſcumque invenit Neapolim hoſtibus ſuis feliciter reſtitiſſe, aut in eruptionibus ignitis montis Veſuvii perſtitiſſe illæſam, toties id novo* S. Januarii *beneficio attribuit. Attamen ipſius exemplum non imitabor; ſed ea ſolùm de his tradam, qua apud antiquos invenero. Apud Chioccarellum in Ms. Collectione fol.* CIX *legitur, Saracenos obſediſſe Neapolim circa annum* 961. *Laudat pro his Acta Ms. S. Aprippini, in quibus Neapolitani ſic invicem allocuti dicuntur:* Quare fatigamur, quare in vanum laboramus, ad antiquos fugiamus patronos, ad amicos ſcilicet Domini noſtri Jeſu Chriſti Januarium & Agrippinum, & illorum quæramus auxilium *&c. Hoc iidem feciſſe aſſeruntur*, ſicque Saracenorum

ab hoſtibus illæſa:
* *i. e.* oppugnata

manibus, & imminenti periculo miraculosè fuerunt liberati. *Consentit Falconius pag.* 487, *landatque Acta S. Agrippini, in tabulario SS. Apostolorum conservata. Res accuratiùs examinari poterit in S. Agrippino.*

eam defendit Januarius contra Richardum principem Capuanum.

142 *Petrus Diaconus in Chronico Casinensi lib.* 3 *cap.* 45 *refert factum mirabile* S. Januarii *Neapolim protegentis. Richardus Capuæ princeps Neapolim obsidebat.* Neapolitani autem, *inquit Petrus*, principis terrore perculsi, omnipotentem Deum rogabant attentiùs, quatinus de supradicti principis potestate, miseratione sua clementissima, eos eripere dignaretur. Cúmque eadem civitas acerrimè expugnaretur, sanctus Christi martyr Januarius cum aliis dealbatis sæpiùs videbantur à principe & ejus exercitu per castra armati discurrere. Qui æstimans eum esse archiepiscopum, mandat, cur contra ordinem suum cum lancea scutatus ad pugnam procederet. Cui respondens archiepipus: Ego, ut tu vir illustrissime perspicis, à multis diebus ægrotus in lectulo jaceo. Ille armatus quis sit, ipse videat: nam pro certo scias, quia sanctus Januarius protegit ac defendit hanc civitatem. Princeps verò, ejus dictis derogans fidem, civitatem oppugnare non desinebat. In qua obsessione, ab excommunicatione solutus, defunctus est. *&c. Deinde verò soluta est obsidio à Jordano principe, Richardi filio & successore. Erat ille Richardus Normannus, & frater famosi Roberti Guiscardi, Apuliæ & Calabriæ ducis: excommunicatus verò fuerat à Gregorio Papa VII ob invasam Campaniam, sed absolutus ob mortem instantem.*

143 *Cùm locus, in quo corpora* SS. Januarii, Festi & Desiderii *seculo* IX *Beneventi fuerant deposita, post quatuor secula minùs decens factus esset*,

set, anno 1129 intra eamdem urbem prædicta corpora ad locum decentiorem & novam eccleſiam tranſlata ſunt, ut narrat Falco Beneventanus in Chronico ad annum prædictum his verbis: Et hoc anno corpora ſanctorum Januarii, Feſti & Deſiderii Roffridus tunc archipræſul foràs produxit de altari, in quo antiquo tempore jacuerant: & revera non honeſtè, ſicut decebat, loco illo manebant. Unde in baſilicam, quam Gualterius Tarentinus archiepiſcopus pro Sanctorum illorum dilectione conſtrui fecerat, magno cum honore & lætitia prædictorum Sanctorum oſſa collocata ſunt, nobis videntibus, & de illorum oſſibus oſculantibus. *Fuerat Gualterius, archiepiſcopus Tarentinus, anno 1127 à ſummo Pontifice præfectus urbi Beneventanæ, ut ibidem habet Falco; indeque occaſionem accepit conſtruendi novam illam eccleſiam. Erat eo ſeculo adhuc aliquid reliquiarum* S. Januarii *in civitate Neapolitana: nam anno 1187 Sergius III archiepiſcopus Neapolitanus conſecravit* baſilicam S. Georgii de Regionario Neapoli poſitam, *inquit Chioccarellus in Archiepiſcopis Neapolitanis pag. 135, & in ejuſdem altari majore cum aliis Sanctorum reliquiis recondidit reliquias* S. Soſſii, *&* de nervis S. Januarii, *ut habet diploma, quod ibi recitat.*

SS. Januarius, Feſtus & Deſiderius ad novam eccleſiam tranſlati;

144 *De tertia aut quarta* S. Januarii *tranſlatione, quâ cum* Feſto *&* Deſiderio *ex civitate Beneventana ad monaſterium Montis Virginis tranſportatus eſt, ſcriptores omnes conſentiunt, quia conſtat, in celebri illo monaſterio dictorum Sanctorum corpora notabili tempore fuiſſe conſervata. At de tempore tranſlationis, aliiſque adjunctis, nihil certi innotuit, vel quòd clandeſtina fuerit tranſlatio, vel alia de cauſa. De loco pauca ſolùm huc traduco ex Caracciolo ſect. 14.* Circa finẽs, *inquit*, hujus re-

deinde ad monaſterium Montis Virginis:

gionis noſtræ, quæ Felix Campania ob ſui ubertatem dicta eſt, mons eminet, Virgilianus aliquando dictus; ... ubi anno Chriſti MCXXVI, Maio menſe, à S. Guilielmo veræ Dei Matri templum erectum fuit in edito illo ac deſerto montis jugo, unde ſylva cædua dilatatur, conſtructo celebri monaſterio Ordinis ſui.... In hunc ergo ſacrum Montem divi Januarii oſſa tranſlata fuiſſe, certum eſt, incertum, quo tempore, qua occaſione. *Qui prolixam Montis Virginis deſcriptionem deſiderat, adire poterit Vitam S. Guilielmi fundatoris, datam tom. v Junii pag.* 134 *& ſeqq., ubi etiam pag.* 120 *inveniet, non omnes cum Caracciolo conſentire de anno conditæ ibidem eccleſiæ; ſed illum accuratiùs inveſtigare non eſt hujus loci.*

De tempore & occaſione tranſlationis duæ priores ſententiæ improbabilis,

145 *Audiamus modò varias ex Caracciolo ſententias de tempore tranſlatorum ad Montem Virginis corporum.* Sunt, *inquit*, qui aſſerunt, id eo tempore contigiſſe, quo Beneventanam civitatem ſibi adverſam, & Emanuëli Conſtantinopolis imperatori faventem, Guilielmus cognomento Malus, Rogerii regis filius, ac regnorum hæres, expugnavit cepitque; quaſi, ut ſe atrociùs ulciſceretur, voluerit & hanc etiam cladem Beneventanis inferre, Sanctorum ſcilicet lipſanis eos privando. Miror tamen, antiquos Guilielmi geſtorum ac Beneventanarum rerum ſcriptores id nullatenus meminiſſe. *Hoc ſanè ſilentium tantò magis mirandum eſſet, quantò notior fuiſſet tranſlatio, ſi facta eſſet juſſu regis ad vindictam de Beneventanis ſumendam. Præterea Guilielmus eo tempore, quod aſſignant, videlicet anno* 1156, *nec Beneventum obſedit nec cepit; ſed pacem cum Adriano IV ibidem inivit, quemadmodum narrat anonymus Caſinenſis in Chronico ad dictum annum his verbis:* Wilelmus rex Siciliæ venit Brunduſium, & cepit illud men-

menſe Maii, die vigeſimo octavo, & deſtruxit Barum. Deinde venit Beneventum ad Papam Adrianum, cum quo paciſcens &c. *Itaque illa ſententia videtur omnino improbabilis; nec auctorem habet utcumque antiquum. Æquè improbabilis eſt ſecunda ſententia, qua eidem regi Guilielmo tranſlationem adſcribit in gratiam S. Amati epiſcopi Nuſcani, de quo apud nos actum eſt ad* XXXI *Auguſti. Cùm enim Guilielmus Beneventum numquam poſſederit, non potuit corpora ibidem depoſita in gratiam alicujus transferre, niſi ea accepiſſet ab Adriano Papa, quod nullus affirmat, nec veriſimile eſt.*

146 *Tertiam ſententiam, omni æquè deſtitutam auctoritate, refert Caracciolus his verbis:* Neapolitanorum fuiſſe hoc inſigne facinus (*tranſlatorum ad Montem Virginis corporum*) opinati ſunt alii; tunc temporis, cùm Carolus I (*Andegavenſis*) à Clemente VI (*lege IV*) in regnum Neapolitanum fuit accitus, ut Manfredum injuſta ejus poſſeſſione ſpoliaret. In eo enim prælio Manfredus occidit: ac Beneventum militum direptioni datum fuit. Ea itaque occaſione pios aliquos Neapolitanos milites de uno Januario concive ſuo fuiſſe ſollicitos: cùjus oſſa venerati, ea in tutiſſimum Montis Virginis templum lætabundi occultârunt, ut inde poſtea faciliùs Neapolim poſſent transferri. *Si vera eſſet hæc opinio, tranſlatio contigiſſet anno* 1266, *quo Carolus Andegavenſis, frater S. Ludovici Galliarum regis, Manfredum vicit, & regnum Neapolitanum occupavit. At illa opinio æquè omni ſimilitudine veri carere mihi videtur, quàm auctoritate. Etenim victi, qui cum Manfredo fuerant, certè non poterant corpora illa transferre: victores verò Galli magis cogitârunt de regno occupando, quàm de transferendis corporibus ſacris. Si qui verò Neapolitani fuiſſent in exercitu Caroli & ea de re*

tertia æquè improbatur:

re cogitâſſent, cur ſacra corpora non potiùs Neapolim, quàm ad Montem Virginis tuliſſent? Cur ea ibidem reliquiſſent etiam poſtea pluſquàm duobus ſeculis?

quarta minùs quidem improbabilis videtur,

147 *Quarta ſententia, quam laudatus Caracciolus, aliique plures ipſum ſecuti, ceteris præferunt & amplectuntur, eſt Bernardini Siculi, qui ſcripſit poſt ultimam tranſlationem circa finem ſeculi* XV; *id eſt, ſeculis duobus & medio circiter poſt epocham, quam tranſlationi attribuit, ſi mens ipſius à ſcriptoribus recentioribus rectè fuerit explicata. Attribuit ille tranſlationem temporibus Frederici imperatoris, quem* Barbaroſſam *cognominatum dicit, ſive* Ænobarbum. *At Caracciolus aliique ipſum ſecuti Fredericum II intelligunt, creduntque errâſſe Bernardinum in cognomine Frederici. Ut mentem Bernardini rectiùs intelligamus, verba ejus Italica Latino ſermone huc transfero:* Tempore] Frederici imperatoris, quem omnes Ænobarbum nominant, erat bellum terrificum. *Et mox de tranſlatione:* Beneventanus epiſcopus prudens, & S. Januario multùm devotus, ſacrum illud corpus cautè miſit, portantibus illud viris piis ipſi fidelibus ad excellens præclarumque monaſterium Montis Virginis. Illi pio corde ſacrum iſtud magni pretii corpus acceperunt. Epiſcopus prædictus & abbas iſtius monaſterii erant fratres germani. Hac de cauſa hujus poteſtati ſacrum hoc corpus ille commiſit. Monachi uno animo conſenſerunt ad ſacrum corpus celandum, locumque S. Januario dignum in ſua poſſeſſione ædificârunt, conclave videlicet ſubterraneum metu terribilis belli in medio templi S. Mariæ, illudque lapide marmoreo ſancta illa ſodalitas concluſit. Addidit inſcriptionem in lamina plumbea ibi relictam. Tandem ſupra ſacrum iſtud corpus piè altare majus exſtruxerunt.

Hac

Hæc solùm ex versibus Bernardini edita sunt.

148 *At non video, ex iis certò concludi, errâsse Bernardinum in cognomine* Ænobarbi, *& Fredericum II certò intelligendum. Si constaret, Ugolinum episcopum Beneventanum, & Marinum abbatem Montis Virginis, qui ambo floruerunt sub Frederico II, fuisse fratres germanos, ut asserit Falconius pag. 215, verisimillimam haberemus conjecturam ad translationem Ugolino & temporibus Frederici II attribuendam. Verùm aliunde non habemus, istos fuisse fratres: quod solùm asseruit Falconius, quia Ugolinum credidit translationis auctorem. Unica igitur ratio credendi, Fredericum II potiùs, quàm Fredericum I, designari, est belli crudelitas, cujus metu reliquiæ fuerunt occultatæ. Certum enim est, Benevento graviùs timendum fuisse à Frederico II, qui illam civitatem anno 1241, ut scribit Richardus de S. Germano in Chronico ad eumdem annum, diu obsessam cepit. Verba laudati Richardi hæc sunt:* Mense Aprili civitas Beneventana, quæ Romanæ Ecclesiæ suberat, arctata & necessitate compulsa, imperatori se reddidit. Cujus mœnia imperatoris jussu funditus evertuntur, & turres civitatis ejusdem *&c.*

incerta tamen est, civi æquè translatio fieri potuerit

149 *Hæc quidem favent opinioni eorum, qui temporibus Frederici II translationem figendam credunt. Cùm tamen etiam temporibus Frederici I, cognomento* Ænobarbi, *Beneventanis non defuerit ratio timendi, maximè quando ille, casso Romanorum exercitu, Romam anno 1167 obsedit & ferè totam occupavit, fugiente Beneventum Alexandro Papa III, ut pluribus narrat Muratorius in Annalibus Italiæ ad annum 1167; memoratum bellum Frederici II non evincit ejus tempore translationem figendam. Itaque cum utcumque dubium videatur, utrùm de Frederico I, cujus cognomen*

sub Frederico I, quàm sub Frederico II.

men exprimit ; an verò de Frederico II loquatur Bernardinus ; cúmque ipſius Bernardini auctoritas non ſit tanta , ut poſſit certos nos reddere de tempore tranſlationis ; id unum dicendum videtur , corpora SS. Januarii, Feſti & Deſiderii *ſeculo* XII *aut* XIII *clanculum ad monaſterium Montis Virginis fuiſſe tranſlata , ibique diu occultata. Tranſlatio enim certa eſt ob inventionem poſtea ſecutam , & admiſſam à Beneventanis. At de occaſione & tempore illius tranſlationis conjecturas ſolùm habemus incertas.*

§ XI. Corpus S. Januarii in monaſterio Montis Virginis inventum, & deinde Neapolim tranſlatum : recentiora Sancti beneficia.

Ultima S. Januarii tranſlatio à variis ſcripta.

Caracciolus ſect. 15 *tranſlationem ultimam* S. Januarii *relaturus , de ſcriptoribus , qui illam conſcripſerunt , præmittit ſequentia :* Acta tranſlationis hujus temporum injuriâ, ſive hominum negligentiâ perierunt. Interfuit ipſi Antonius Mercantius , eamque in ſuo Diario ſcripſit , quod Ms. extare dicebatur apud Matthæum de Capua , Conchenſem principem , regnique Neapolitani magnum admiratum. Ex alio Diario Ms. Juliani Paſſeri mutuati ſunt aliqua Regius in Vita , & Engenius in Eccleſia S. Januarii. Sed Bernardinus ille Siculus fideliori calamo cuncta narravit , qui & ipſe illi interfuit , rudique illo Carmine deſcripſit , quod Ms. olim à me ſervatum , nunc apud Tutinum

num typis expreſſum extat. Ego quoque inde multa ex his, quæ ſum dicturus, deprompſi. *Qua laudat Mercantii & Paſſeri Diaria, mihi quoque ad manum non ſunt, & ex iis nihil dare poſſum praeter fragmenta nonnulla ab aliis data. Sequendus igitur erit Bernardinus Siculus, cujus relationem, partim ex Caracciolo, partim compendio dabo, aliunde etiam adjuncturus, qua ad propoſitum noſtrum conducere credam.*

151 *Bernardino conformia ſunt verba Caraccioli, inventionem corporis ita exponentis:* Guilielmitæ monachi (*Montis Virginis*) ſacrum Januarii corpus in medio templo ſanctæ Mariæ Virginis, inque ſatis profunda fovea tumulârunt. Utque tutiùs illud ab hoſtium incurſionibus ſervarent, ſupra illud primarium dicti templi altare exſtruxerunt. Eo poſtea bellorum turbine tranſacto, ſæculiſque aliquot excurſis, omnis penè memoria apud ipſos etiam monachos exciderat, quonam ſignatè loco beati Martyris corpus requieſceret. Interea anno Domini MCDLXXX commendatum fuit monaſterium Joanni Cardinali ab Aragonia, Ferdinandi regis primi filio. Qui exornando templo incumbens, cùm juſſiſſet, ut id primarium altare, de medio templi dimotum, ad abſidis parietem transferretur, ſub altari marmorea lamina inventa eſt, quæ percuſſa bombum emiſit indicem, vacuum ſub ea eſſe locum. Eâ ſublatâ, inventus eſt loculus, cum hac epigraphe: "Corpus ſancti Januarii epiſcopi „ Beneventani & martyris„. *Eadem refert Tutinus cap. 14. At verba inſcriptionis non exprimit Bernardinus, ut dubitare poſſimus, an illa aliunde acceperit Tutinus. Nam Bernardinus ſolùm dicit, corpus* S. Januarii *fuiſſe inventum* cum epitaphio.

Corpus deſtructione altaris inventum.

152 Defuncto deinde Joanne Cardinali, (*inquit Caracciolus ex Bernardino*) ſacrum illud Mon-

Ferdinandus rex Neapolim transferri cupit cum Pontificis consensu,

tis Virginis monasterium Oliverio, postea Cardinali Carafæ, commendatum fuit. Qui ad generis nobilitatem decora zeli erga ecclesiasticum cultum addiderat. Cogitanti ipsi de sacris reliquiis inde Neapolim evehendis litteræ Ferdinandi regis accesserunt, quæ extant in regiis archivis. *Eas Italicè dedit Tutinus, easdem Latinè redditas Caracciolus recitat hoc modo:* Cardinali Neapolitano. Reverendissime in Christo pater & domine, amice noster charissime. Ut vestræ notum est dominationi, glorioſi martyris Januarii caput & sanguis in hac asservantur civitate. Scis etiam, quàm sit ab omni populo ejus nomen veneratum, quantaque erga eum omnes devotione teneantur. Quæ ut augeatur, omni nos ope percupimus. Cùm itaque ejus corpus in Monte Virginis fuerit repertum, cogitavimus ac deliberavimus, cum consensu ac licentia Sanctitatis Domini nostri huc illud asportandum, ejusque capiti uniendum, certi, id & vestræ reverendissimæ dominationi placiturum, eam obnixè rogamus, ut nostro & suo nomine apud Sanctitatem prædictam intercedat pro facultate dicti corporis in hanc civitatem evehendi, & singulari gratiæ id acceptum feremus. Datum in Castro Novo Neapolis XXVI Januarii. Rex Ferdinandus. Jo. Pontanus. *Tum subjungit laudatus Caracciolus:* Post multa verò temporis intervalla, & bellorum tumultus, quibus diu regnum vexatum fuerat, Alexander VI, Pontifex Maximus, diplomate suo bullato facultatem fecit Alexandro Carafæ archiepiscopo Neapolitano, Oliverii fratri, corpus illud Neapolim asportandi.

archiepiscopus Montem Virginis adit,

153 Itaque is cum honorifico clericorum, Hectoris fratris, & Jacobi Arduini episcopi Liparienſis, Neapolitanæ ecclesiæ vicarii, aliorumque comitatu adiit Montem Virginis. Quod ubi monachi

nachi perſenſiſſent, templi ac monaſterii januas clauſerunt: armiſque ſe munientes, omnem archiepiſcopo aditum præcluſerunt. At præterea monacho cuidam juſſum fuit, ut ſacra illa pignora clàm è templo in abditiſſimum quemdam ſylvæ locum abderet: quò omnis archiepiſcopo illa inveniendi ſpes adimeretur. Archiepiſcopus, ut monachorum audaciam frangeret, quingentos milites è vicinis Hirpinorum oppidis accerſendos curat: à quibus monaſterii ſepta circumquaque circumvallata fuere. Hæc ubi innotuerunt Priori monaſterii, qui fuerat abſens (frater Bernardinus Neapolitanus *vocatur apud Chioccarellum in Ms.*) ſummopere diſplicuerunt. Quocirca illico reportanda in ſuum locum ſacra pignora, & nuntios ad Alexandrum mitti curavit, qui & ipſius abſentiam conteſtarentur, exciti rumoris cauſam, & benignè ad ipſa recipienda eum invitarent.

154 Eo nuncio Alexander admodùm lætus, è Mercuriano, quò repulſus ſeceſſerat, ad templum Virginis aſcendit. A monachis honorificè exceptus, peracto à ſacerdote quodam Sacrificio, omnes unà monachos ad jurandum ſupra ſacroſanctum Chriſti Corpus, an verum eſſet ſancti Januarii corpus, quod tunc ſibi tradebatur, compulit. Juraverunt autem illico omnes, ac ſanctè teſtificati ſunt, illud ipſum B. Januarii corpus, quod Benevento olim advectum, ac tamdiu in eo templo clàm ſepultum habuerant, ſe illi tunc tradere bona fide & abſque fallaciis. Poſt hæc archiepiſcopus ſingula beati Martyris ſibi data oſſa ad invicem commenſurari ſignatè fecit. *Hactenus Caracciolus ex Bernardino.*

ſummaque cum cautione, ne deciperetur,

155 *Tum verò aliunde hæc addit:* Interfuit huic celeberrimæ tranſlationi, uti diximus, Antonius Mercantius, qui in ſuo illo Diario Ms. tradidit, in

corpus in urna acceptum

ea fictili urna laminam quoque plumbeam inventam fuiſſe, in qua inſculptum ipſe vidit Helenæ Magni Conſtantini matris nomen. Fortaſſe ea ipſa urna erat, in qua primùm in agro Marciano beata ejus oſſa condita fuerant, ſi ejus tempore, ut fama eſt, tranſlatio illa facta fuit, pace nimirum Eccleſiæ reddita. *Verùm fama de tranſlato corpore S. Helenæ tempore nullam meretur fidem, cùm tranſlatio è Marciano Neapolim diu poſt tempora S. Helenæ contigerit. Falconius quoque pag.* 221 *exiſtimat, urnam fictilem non eſſe dignam munificentiâ S. Helenæ: nec ego credidero, illam ejus fuiſſe donum. Quidquid verò ſit de illa lamina plumbea, ſatis eſt adfuiſſe corpori inſcriptionem, quâ Neapolitani didicerunt, corpus eſſe* S. Januarii.

tranſfert Neapolim, ubi ſæviens lues mox ceſſat.

156 *Redeo ad Caracciolum, Bernardini carmina exponentem:* Itaque repertam in dicto Virgineo templo jam dictam urnam, ſacris B. Januarii oſſibus plenam, archiepiſcopus arculæ incluſit, ſerico villoſo purpureo coopertæ, eamque faſciis funiculiſque ad collum appenſis ad pectus ſuum ſuper equum, quo vehebatur, ab ea æde, quæ in arduo montis ſita eſt, Neapolim piè religioſéque portavit. Quò cùm appropinquâſſet, ex equo deſcendens, ac fortè nudipes, ut piè credi poteſt, theſaurum illum brachiis complexatus tulit, atque in archiepiſcopali eccleſia collocavit, privatim tamen, ac ferè nullo obvio civium, ob peſtiferi morbi ſævitiem, eo tempore latè graſſantem. Poſtera autem die, vulgatâ jam de advecto S. Januarii corpore per urbem famâ, ingens omnium ordinum, ac utriuſque ſexus multitudo ad viſitanda tanti Martyris ac patroni pignora epiſcopion adeunt, & (quod cum admiratione obſervatum eſt) ab eo die deſæviit peſtis, cœpitque civitas frequentari, redeuntibus undique civibus, ob peſtilentiam olim

huc

huc illuc abactis. Ea res Romam perlata, magis magisque Oliverium permovit ad honorificum illud hypogæum ſancto Martyri extruendum, de quo infrà. *Hactenus Caracciolus ex Bernardino, cui addidit conjecturas ſuas de modo, quo archiepiſcopus ſacras reliquias portavit, non item de peſte, quam antè ſæviiſſe, & à die adventûs reliquiarum ceſsâſſe, Bernardinus clarè teſtatur. Chioccarellus in Ms. totam quoque relationem Bernardini Siculi Latinam fecit ſtylo ſimplici. Omiſſis tamen prioribus, utpote ſatis expoſitis, ultimam partem ex ejus Ms. huc transfero:* Cúmque Neapoli, *inquit*, tunc mortalitas & peſtis graſſaretur, homines præ peſtis timore obviàm minimè prodierunt ad id ſanctum corpus venerandum. Attamen Neapolim cùm præfatum corpus perveniſſet de ſero XIII Januarii MCDXCVII, quod archiepiſcopus is eques detulit, ac introduxit ſuper ephippium * ex anteriore parte intus parvum ſcrinium, eodem ſero evulgatâ famâ per civitatem de adventu ejus ſacri corporis, civitas eadem maximo affecta eſt gaudio: & ſequenti die villæ omnes, ac proximæ urbes & oppida ad Neapolitanam eccleſiam progreſſæ ſunt ad ſe dicto Sancto humiliandum, & Deo gratias de tam inſigni dono referendum. Et peſtis ulteriùs minimè progreſſa eſt, & ceſſavit ab eo die, quo ſacrum illud corpus in eam civitatem ingreſſum eſt: atque ii omnes, qui ob peſtis timorem Neapolim egreſſi fuerant, in eam civitatem reverſi ſunt. Oliverius autem Cardinalis Carraſa, qui Romæ tunc morabatur, ſummo gaudio affectus eſt ex dicti ſacri corporis adventu, maximas gratias Deo reddens.

* *Ms. mendosè* epiphium

157 *De die & anno hujus tranſlationis nonnihil diſſentiunt ſcriptores Neapolitani. Tutinus aſſerit, archiepiſcopum cum iis Neapolim veniſſe die* XIII

Tranſlatio contigit anno 1497.

XIII *Januarii anni* 1497. *At Caracciolus ita habet:* Incidit hæc tranſlatio in diem decimam ſeptimam Januarii anni MCDXCIV, uti Affli&tus teſtatur in Conſtitut. Regni *&c.*..., ubi & de Officio ejus in ejus honorem compoſito meminit. Ad quem diem figebatur olim etiam in tabulis Neapolitanæ eccleſiæ. *Matthæi de Afflictis juriſconſulti contemporanei auctoritas difficultatem pareret, ſi de ejus aſſerto ſatis conſtaret. At Falconius pag.* 219 *laudat eumdem ſcriptorem pro anno* 1496, *& die* XVI *Januarii. Ita omnino habet locus Afflicti in Collectione Ms. Chioccarelli, ex qua totum huc transfero:* Corpora Sanctorum non poſſunt transferri de loco ad locum ſine licentia ſummi Pontificis ſecundum Hoſtienſem in ſumma de Reliquiis & veneratione Sanctorum in principio. Et ſic de licentia Papæ die XVI Januarii MCDXCVI, ordinatione Papæ Alexandri VI, ad ſupplicationem reverendiſſimi domini Oliverii Caraphæ Cardinalis Neapolitani, fuit tranſlatum corpus glorioſi martyris & pontificis S. Januarii à cœnobio Montis-Virginis in majori eccleſia Neapolitana: cui novum Officium dedicavi, approbatum in curia Romana, ut teſtantur litteræ præfati domini Cardinalis. *Hæc Matthæus Affli&tus, ſi verba ejus rectè fuerint exſcripta. Quare mendum typographicum irrepſerit in datum locum Caraccioli: nam hic ipſe ſect.* 2 § 3 *ait, tranſlationem contigiſſe* anno MCDXCVII. *Hunc autem annum* 1497 *deſignaverit Affli&tus, licèt vocaverit* annum MCDXCVI, *cum anni initium tum multis locis ſumeretur vel à* XXV *Martii, vel à Paſchate; annumque* 1496 *protraxerit uſque ad* XXV *Martii vel uſque ad Paſcha anni* 1497. *Laudatus Falconius teſtatur, in eumdem annum conſentire Diarium Ms. Juliani Paſſeri. Ut verò oſtendat, eo anno tranſlationem omnino contigiſſe, laudat anonymum continua-*

tinuatorem Chronici Lupi Protospatæ de Gestis in regno Neapolitano. Laudatus Anonymus ad annum 1496 figit mortem Ferdinandi regis die VII Octobris, *subditque:* Eo anno & die equitavit rex Fredericus in civitate Capuæ, quia Neapoli erat pestis. *Cessavit autem prædicta pestis, quando mense Januario illata in urbem sunt* S. Januarii *reliquiæ. Hæc igitur intrârunt mense Januario anni* 1497.

158 *De die verò necdum sublata dubitatio ob locum Afflicti mox datum. Attamen in diem* XIII *Januarii scriptores ferè omnes conspirant. Et hoc die translationem omnino esse figendam, satis certis argumentis evincit laudatus Falconius. Nam primùm producit instrumentum voti,* S. Januario *facti, scriptum à notario Vincentio de Bossis, cujus hæc est epocha:* Anno Domini MDXXVII, die XIII mensis Januarii, X Indict., in festo translationis glorioſissimi Januarii pontificis & martyris *&c. Totum hoc instrumentum Ms. habeo ex Collectione Chioccarelli. Quapropter jam anno* 1527 *festivitas illius translationis celebrabatur die* XIII *Januarii. At verisimile non est, alia die fixam festivitatem, quàm qua translatio contigerat, præsertim cùm dies* XIII *Januarii sit intra Octavam Epiphaniæ, imò ipsa dies octava. Deinde laudat Chronicum Ms Juliani Passeri, cujus verba Italica Latinè hîc exprimo:* Die XIII Januarii intravit Neapolim & ædes archiepiscopales sacratissimum corpus S. Januarii, qui unus est ex patronis Neapolis. Illud portavit reverendissimus dominus archiepiscopus Neapolitanus, dictus Alexander Carrafa, tulitque ex monasterio sanctæ Mariæ Montis Virginis, ubi longo tempore fuerat depositum, facultatem præbente Alexandro Papa VI, ex domo Borgia. Fuerunt eo die indulgentiæ plenariæ, concessæ à prædicto Papa. *Hisce accedit Chioccarellus, num.* 156 *laudatus, ut* die XIII Januarii.

non videatur ulterius de tranſlationis die dubitandum. Fortè locus Afflicti malè fuerit exſcriptus. Diem & annum tranſlationis rectè expreſſit Bollandus in Prætermiſſis ad XIII *Januarii. De ſacello, in quo corpus depoſitum, agam num.* 174.

Beneficia S. Januarii in Neapolitanos multa ſunt:

159 *Quod ſpectat ad beneficia Neapolitanis collata poſt corporis tranſlationem modò memoratam, multa accumulavit Hieronymus à S. Anna, plura etiam Falconius, qui omnia ferè, quæ Neapolitanis feliciter evenerunt, patrocinio* S. Januarii *ſolet adſcribere, ſive liberati fuerint ignitis Veſuvii eruptionibus, ſive terræ concuſſionibus, ſive nimia ſiccitate, ſive pluviæ abundantiâ, ſive bellorum, peſtis aut hæreſis periculis. At ego ex omnibus ea ſolùm ſeligo, quæ per indicia manifeſta* S. Januarii *beneficio obtenta creduntur, quæque narrantur ab auctoribus, de quorum fide & prudentia certus eſſe valeo. Nolim tamen inficiari, piè patrocinio* S. Januarii *attribui immunitatem à variis periculis, quæ urbi Neapolitanæ imminere videbantur, & præ ceteris memorabile videri beneficium, quòd civitas illa, monti Veſuvio tam vicina, à terribilibus illius eruptionibus damna graviora numquam fuerit paſſa. Verùm ſufficiat in iſtis generatim perennem* S. Januarii *tutelam agnoſcere. Unum ex his ſingulare admodùm apparet, quod narrant Tutinus cap.* 10, *& Caracciolus cap.* 20 *ſect.* 20, *ambo teſtes contemporanei & oculati. Res contigit anno* 1631, *die* XVI *&* XVII *Decembris, ut habet Tutinus, cujus relationem Italicam compendio huc transferam.*

anno 1631 cum terribilibus terræ motibus flammas eructante Veſuvio,

160 *Die Martis,* XVI *Decembris, circa duodecimam horam Italicam, præcedentibus multis terræ motibus, denſiſſima nubes ex monte Veſuvio in altum ſe elevavit ad quindecim facilè milliaria ſupra montem, ut ille ſcribit. Fumus deinde tanta velocitate circumquaque ſe dilatavit, ut horâ decimâ ſex-*

sextâ Neapolis tota contectam nube se videret, fugientibus vicinorum oppidorum & vicorum incolis. Ab hora ferè vigesima secunda usque ad primam noctis, id est, tribus horis, accessit continua terræ concussio. Populus timore perculsus ad pœnitentiæ remedia recurrebat, & immensa erat multitudo confitentium peccata sua, & absolutionem sacerdotalem postulantium. Franciscus Boncompagnus, Cardinalis archiepiscopus, jussit in omnibus ecclesiis exponi venerabile Sacramentum; decrevitque eodem die post prandium generalem instituere cum capite & sanguine S. Januarii *processionem, prout factum est. Interim tantus erat Vesuvii strepitus, ut Neapolitani timerent, ne urbs tota momento temporis absorberetur. Cessárunt noctu continui motus terræ, crebri tamen erant per intervalla, & facilè quinquaginta ea nocte numerati sunt. Postridie mane circa horam decimam septimam duæ concussiones fuerunt horrendæ, & simul mons evomuit ingentem copiam materiæ bituminosæ, qui terris vicinis multum combustionis & damni intulit.*

creditur S. Januarius eladem à Neapoli avertisse,

161 *Indicia verò protectionis* S. Januarii *in hisce sequentia recenset laudatus Tutinus. Primò, inquit, ventus, qui à Vesuvio Neapolim versus spirabat, subitò mutatus est. Hinc cineres & saxa, quæ Neapolim obruere potuissent, delata sunt versus alias regni partes, &* usque Ragusium, *inquit, quæ civitas est in Dalmatia. Cineris quidem aliquid etiam Neapoli cecidisse agnoscit; sed modicum illud fuisse ait, & sine detrimento propter pluviam adjunctam. Secundò beneficium agnoscit in dilatatione foraminis, quo Vesuvius tantam ignitæ materiæ copiam emittere posset, ne alium quærendo exitum Neapolim absorberet. Tertiò testatur, crebris illis horrendisque terræ motibus nullam Neapoli collapsam fuisse domum, nullum hominem aëris intem-*

perie in morbum incidiſſe. Quartò affirmat, die Mercurii XVII *Decembris, cùm iterum homines longo ordine procederent cum capite & ſanguine* S. Januarii, *celumque eſſet caligine tectum, copioſa decidente pluvia, ſimul atque in porta eccleſiæ metropolitanæ comparerent laudatæ reliquiæ, radium ſolis apparuiſſe tantæ claritatis & luminis, ut omnem illam caliginem pelleret, & congregatus populus inciperet exclamare*, Miraculum, Miſericordia. Præterea, *inquit*, fama cucurrit, eodem temporis momento ad ſiniſtram dictæ eccleſiæ majoris S. Januarium in habitu pontificali à multis fide dignis fuiſſe viſum, populo benedicentem. *Hinc, ubi agmen procedentium extra portam Capuanam veniſſet in conſpectum montis ardentis, eminentiſſimus archiepiſcopus ſumpſit ſacri ſanguinis ampullas, & cum iis ſignum crucis formavit verſus montem. Deinde verò nubes illas accenſas fuiſſe aliò verſas, & paulatim evanuiſſe teſtatur. Ricciolius in Chronico magno ad annum* 1631 *de his agens, docet cinerum eructationem ad menſem ferè durâſſe, ſed* calamitatem *à* Neapoli *patrocinio* S. Januarii *fuiſſe averſam. Addit Tutinus, in gratiarum actionem de obtento beneficio non ſolùm inſtitutam fuiſſe ſolemnem proceſſionem die* XX *Maii anni ſequentis; ſed novam etiam confraternitatem titulo* S. Januarii *fuiſſe erectam, aliaque in Sancti honorem ad ſacrum ſanguinem honorificentiùs conſervandum compoſita, de quibus ſuo loco. Joannes Baptiſta Caccabus, Neapolitanus juris utriuſque doctor, eodem anno* 1631 *poëma ſatis prolixum compoſuit de illo Veſuvii montis incendio, & clade ab urbe Neapolitana patrocinio* S. Januarii *averſa, quod habeo ex Ms. Collectione Chioccarelli. In monito autem, quod ſoluta oratione præmiſit, conſentit relatis à Tutino, enumeratque pagos monti vicinos, quos* cineribus ſa-

xiſ-

xiſque *obrutos jacuiſſe aſſerit, ut* eorum locorum quinque ferè incolarum millia extremam inde ſenſerint ruinam. *De patrocinio* S. Januarii *flagitato & obtento à Neapolitanis hæc ſcribit:* Quapropter ad divi martyris Januarii, urbis noſtræ tutelaris, præſidium de more populus confugiens, illius ſanguinem, quem ebullientem jam in tanti portenti ſignum invenerunt, in conflagrationis imminentis remedium adhibuere: illumque ad montis æſtuantis aſpectum, ſacris omnibus civitatis cohortibus inſtructis, unà cum cæleſtis Præſulis ſacro capite objicere non ſunt veriti. Mirum quidem dictu! primo enim tanti Numinis intuitu agitatus ille facibus Veſevus ignes cinerumque concretos globos compreſſit, quos aliò divi Martyris juſſu tendere, & ab urbis mœnibus procul fugere, eamque innocuam ab imminenti ruina relinquere obſervamus. Quod ſatis ſuperque probatum eluceſcit. Etenim eo tempore, quo in ſacra primaria urbis æde ab eminentiſſimo Cardinali antiſtite Franciſco Boncompagno magna cum animi pietate adverſus eos ignes herebique furias ſacræ inſtruebantur copiæ, cæleſte lumen, atque in eo tutelare numen glorioſiſſimi Januarii effulſiſſe, ac deſuper templi janua cuſtodientis in modum, ac montis infernique rabiem cohibentem ſe exhibuiſſe, quamplurimi, fide atque operibus digni, probatique adnotârunt. *Hæc ille.*

162 *Lubet etiam de illo beneficio audire Caracciolum, licèt rem oratoriè magis quàm hiſtoricè narret, quia multis comperta & viſa referebat.* Quis autem, *inquit*, tam obdurato erit corde, tamque cæcutienti oculo, qui neget in nupero iſto, quo cuncti cohorruimus, incendio propitium nobis redditum Numen iratum, poſt Deiparæ patrocinium, potenti Januarii noſtri interceſſione? Certè cùm vivificus ejus ſanguis, minitabundus Veſu-

qui & urbi benedicere dicitur viſus.

vio extra civitatis portam objiceretur, ignea nũbes in urbis excidium imminens, deflexâ ad mare viâ, maturavit fugam. Intercessione tantùm? Imò & visibili aspectu. Conferta enim hominum multitudo testimonium præbet, parata sub sacramenti etiam adjuratione id fateri; quòd scilicet, cùm è principe templo solemni pompa progrederetur vivificus ille Januarii sanguis, oblata tunc fuit Præsulis imago, Januarium repræsentans infulatum, protensaque manu populo benedicentem è templi vitrea fenestra, sole, qui nubilus fuerat, eo tempore inclarescente. *Ita Caracciolus. Nolanos quoque agnovisse beneficium urbi sua à* S. Januario *præstitum, liquet ex inscriptione danda num.* 190. *Hieronymus à S. Anna in Vita lib.* 2 *cap.* 4, *post relatum hoc* S. Januarii *beneficium, subjungit posteriora quædam Vesuvii incendia, in quibus Neapolitani opem* S. Januarii *implorârunt, quam & consecuti videntur. Primum est incendium anni* 1660, *cujus tempore expositæ fuerunt Sancti reliquiæ supra altare majus sacelli Thesauri, in quo sanguis cum capite conservatur. Post plures alias Vesuvii eructationes breviter perstrictas, in quibus non meminit de* S. Januario, *nisi generatim dicendo, Neapolim in iis fuisse illæsam* S. Januarii *patrocinio, accedit ad montis incendia, quæ anno* 1698 *diu fuerunt continuata, & quorum recens erat memoria, quando Vitam* S. Januarii *componebat. De his igitur pauca dabo.*

Rursum anno 1698 *& anno* 1707 *Sanctus à Neapolitanis invocatus,*

163 *Scribit laudatus auctor, consentiente Falconio pag.* 517, *die* XVII *Maii anni* 1698 *Vesuvium tantos edere cœpisse strepitus, ut in locis etiam longè dissitis audirentur. Eodem tempore torrentes igneos ejiciebat, multum vicinis, ac Neapolitanis etiam, terroris injicientes. Cùm autem flamma continuarentur ac crescerent cum pluvia cinerum*

uſque ad v *Junii, rogârunt Neapolitani eminentiſſimum Jacobum Cantelmum, Cardinalem archiepiſcopum, ut proceſſionem cum reliquiis* S. Januarii *ordinaret. Annuit archiepiſcopus, & ſequenti die* VI *Junii longum proceſſit ſupplicantium agmen cum capite* S. Januarii *per aliquot urbis plateas ad eccleſiam S. Catharinæ de Formello, in cujus vicinia, unde mons videtur, altare hac de cauſa erat erectum, cui ſacrum caput fuit impoſitum. Poſt preces fuſas, Eminentiſſimus archiepiſcopus monti benedixit;* ſubitóque hic mitigari cœpit, *inquit auctor*, ceſſantibus ſolitis rumoribus, nec apparentibus ampliùs flammis aut cineribus. *Falconius dicit, ſequentis diei tempore matutino viſum eſſe incendium extinctum, fumum abactum, cineres ablatos, cælum clarum & ſerenum. Eodem ferè modo finitum fuit incendium anni* 1707, *quod præcedente etiam horribilius fuiſſe laudati ſcriptores aſſerunt. Cœperat ſub finem Julii, & die* 1 *Auguſti vehementiſſimum erat malum. Die* 2 *Auguſti, incipiente proceſſione, tanta erat cinerum pluvia, ut tenebras ſpiſſas induceret. At, mandante Eminentiſſimo Franciſco Pignatello archiepiſcopo, agmen ſupplicantium etiam per tenebras cum capite* S. Januarii *proceſſit ad altare, quod circa portam Capuanam erat exſtructum, ibique depoſuit Sancti caput ad preces Deo fundendas.*

164 *Qui Vitam* S. Januarii, *ſcriptam ab Hieronymo à S. Anna, nonnihil auxit, quique, ut in margine notatur, omnibus illis etiam adfuit, ait, tantum fuiſſe populi Neapolitani timorem, ut verbis nequeat explicari, omneſque de peccatis confiteri voluiſſe, & in omnibus ferè platearum angulis fuiſſe ſacerdotes, qui confitentes audirent. Teſtatur, ante venerabilem patrem Franciſcum de Hieronymo Societatis Jeſu, virum miraculis clarum in vi-*

eadem pericula avertiſſe aſſeritur.

ta

ta & poſt mortem, jacuiſſe plura hominum millia, genibus flexis & capitibus ad terram inclinatis, ſingultibus & vocibus interruptis miſericordiam implorantium. His congrua ſunt verba laudati antè Ricciolii, ad annum 1631 dicentis: Plures peccatores ignea Veſuvii lingua convertit ad pœnitentiam, quàm integro fortè ſeculo concionatores fuiſſent converſuri. *At redeamus ad Cardinalem archiepiſcopum cum clero & populo orantem. Ille peracta oratione, verſus furentem Veſuvium ſe vertit, & ſignum crucis piè contra ardentem montem formavit.* Confeſtim, *inquit ſcriptor Italus*, cum mirabili omnium ſtupore ceſſare cœpit denſa cinerum pluvia. *Nocte verò ſequente, diſcuſſis tetris nubibus fumi & cineris elevati, cælum fuiſſe ſerenum, ſtellaſque in eo lucidas apparuiſſe, idem æquè ac Falconius confirmat. Dies verò ſequentes erant ſereni, ceſſabatque Veſuvii incendium. In gratiarum actionem varia à Neapolitanis poſita fuerunt inſcriptiones, quibus & alia Sancti beneficia memorabantur. Unam duntaxat ex auctо Hieronymi à S. Anna Opere hùc tranſcribo.* Divo Januario, urbis Neapolitanæ indigetum principi, quòd montis Veſuvi anno MDCCVII, cùm, maxima ignis eruptione facta, dies quamplures magis magiſque ferociret, jam ut certiſſimum urbi totique Campaniæ incendium minaretur, ſacri oſtentu capitis in ara huic exſtructa excidioſos impetus oppreſſerit, & omnia ſerenaverit, Neapolitani, ejus divini beneficii, uti & innumerum * aliorum, quibus à bello, fame, peſtilentia, terræ motu, urbem civitatemque liberavit, memores PP. *Hactenus inſcriptio. Et ſanè non negaverim, Neapolitanos piè & meritò credere, ſe patrocinio* S. Januarii *non ſemel bello, fame & peſtilentiâ liberatos, multaque de illis relata video apud auctores, quos præ manibus habeo. Attamen,*

* *fortè* innumerorum

cùm

cùm in illis protectio Sancti tam manifestis indiciis non ostendatur, ab illis brevitatis gratiâ abstineo. De nonnullis tamen fiet mentio occasione eorum, quæ Neapolitani fecerunt, ut suo se Patrono gratos exhiberent.

§ XII. De ecclesiis, sacellis, altaribus, & reliquiis S. Januarii, quæ variis locis servantur.

Prima S. Januarii ecclesia prope sulphurariam;

Quandoquidem omnes S. Januarii *& Sociorum translationes modò enarravi, aut saltem breviter illustravi, latiùs in antiquis monumentis infrà legendas; restare video, ut, quantùm fieri potest, assignem loca sacra, in quibus ipsorum reliquiæ nunc conservantur, aut quæ aliquam certè particulam earum sibi adscribunt. Hoc autem ut fiat facilius, ordine temporis recensebo ædes sacras* S. Januario *erectas, examinaboque, quid singulæ de Sancti reliquiis habere credantur, eodem deinde ordine ad Socios progressurus. Caracciolus de ecclesiis acturus sect.* 22 *ita orditur:* Ex sacris præcipuè ædibus, Deo sub Sanctorum invocatione erectis, religiosior ipsorum cultus deprehenditur. Quid hujusmodi pro Januario nostro factum sit, nunc erit narrandum. Ac primùm in sulphuraria Puteolana, ubi sanguinem ille suum fudit, sacram ædiculam fuisse erectam, cunctis est perspicuum. Hæc postea patribus Cappucinis tradita fuit, atque in ampliorem formam laxata pietate Neapolitanæ civitatis anno MDLXXXIII, ne (sic legimus in superposita ecclesiæ inscriptione) quod sacri corporis sangui-

ne maduerat ſolum, ſine honore diutiùs remaneret. *Hactenus Caracciolus, in cujus dictis nonnulla videntur corrigenda. Nam primò ſacra illa ædes, ut jam obſervavi § 7, non fuit erecta in ipſa ſulphuraria, ſed in colle prope ſulphurariam; nec in loco martyrii, ſed in loco ſepulturæ. Locus videri poteſt in tabula chorographica huic Commentario prefixa. Secutus eſt laudatus ſcriptor communem opinionem Neapolitanorum, qui exiſtimant, adiculam illam ſacram, cui major eccleſia cum monaſterio deinde fuit ſubſtituta, conſtructam fuiſſe in ipſo martyrii loco, ideoque ſulphurariam, in qua paſſus eſt* Januarius, *latiùs ſumpſit, ea voce ſimul comprehendens montes, ſive colles vicinos, quibus ſulphuraria cingitur. At vetuſti ſcriptores ſulphurariam, quam* Vulcani forum *nominârunt, à montibus illis diſtinguunt, uti & recentiores.*

non verò in ſulphuraria fuit conſtructa.

166 *Lubet pauca hunc in finem, ne fiam prolixior, ſolùm allegare. Apud Julium Cæſarem Capacium in Antiquitatibus Campaniæ cap.* 20, *in quo agitur de Puteolis, de ſulphuraria allegantur hæc Strabonis verba:* Rectà ſuper hanc urbem ſitum eſt Forum Vulcani, campus circumquaque incluſus ſuperciliis ignitis, quæ paſſim tamquam è caminis incendium magno cum fremitu exſpirant. Campus autem ſulphure tractili eſt plenus. *Petronius Arbiter ibidem loci deſcriptionem ſic orditur:* Eſt locus exciſo penitus demerſus hiatu. *Et Capacius ipſe mox locum deſcribere incipit hoc modo:* Planus quidem locus eſt, ovali forma, theatrum oſtentans: MCCXLVI pedum longitudo, M & eo amplius latitudo metitur. Alti candenteſque eum colles ambiunt *&c. Apud Scipionem Mazzella in Situ & Antiquitatibus Puteolorum cap.* 7, *qui ſubinde confundit Leucogæos montes cum* Solfatara, *ut voce Italica vocat, ſed aliàs etiam diſtinguit, varia*

etiam ad propoſitum noſtrum leguntur. De ſulphuraria ibidem Sanſelix ita loquitur: Neapolim hinc proficiſcentibus ſubeundus eſt clivus, cujus ad lævam ſitus eſt campus undique montibus, ſulphureum exhalantibus vaporem, circumdatus, angustis adeundus faucibus... Vulcanium forum id fuit antiquis, ubi ſulphureæ conflantur potiora vaſcula, quorum uſus lienoſis prodeſſe compertum eſt. *Subjungit ipſe Mazzella:* Locus verò memoratus planus eſt, formâ ovatâ, *&c. Et poſt multa, deſcripto rurſum loco ex Alcadino, de eccleſia addit:* Procul loco nominato haud ultra paſſus viginti ſitum eſt templum, unà cum cœnobio laudatiſſimo Capucinorum. *Ita ille viginti ſolùm paſſibus à ſulphuraria Capucinorum monaſterium collocat. Ego, quantùm recordor loci, anno 1753 viſi, longiùs diſtare puto; quamvis vicinus ſatis ſit. Verùm hoc modò non agitur: nam ad propoſitum noſtrum ſufficit, eccleſiam fuiſſe ædificatam extra ſulphuraria, ideoque non in ipſo martyrii loco, cùm Sancti in ipſa ſulphuraria ſint occiſi, non in colle vicino. Itaque pro ſepultura loco habendus eſt ille collis, in quo conſtructa eſt eccleſia, ut oſtendi § 7.*

167 *In illa porrò Capucinorum eccleſia nobis varia ſunt oſtenſa, de quibus miror nihil apud Caracciolum legi, nihil apud Tutinum, nihil in collectione Chioccarelli, nihil ferè apud alios quoque* S. Januarii *Vitæ ſcriptores. In adjunctis apud Hieronymum à S. Anna lib. 2 cap. 21 breviter dicitur, haberi ibidem vetuſtam* S. Januarii *ſtatuam marmoream dimidiati corporis, credique hac exhiberi veram Sancti effigiem; & præterea ſaxum ſancti Martyris ſanguine conſperſum. Sabbatinus in Annotatis ad XIII Aprilis refert, ſibi à variis dictum fuiſſe, guttas ſanguinis, quæ adhærent ſaxo jam memorato, magis rubeſcere in feſto* S. Januarii. *Idem*

In ea ſervatur lapis, qui ſanguine Sancti creditur aſperſus:

nobis dixit R. P. Guardianus Capucinorum; imò addidit, id indicium esse liquefactionis sanguinis, quæ observatur Neapoli, & de quo postea agam. Petiimus documenta authentica de illa liquatione, sed præter verba id fortiter affirmantis nihil accepimus, ut illam opinionem confirmare nequeam. Laudatus Sabbatinus ait præterea, existimari, caput Sancti in illo lapide fuisse positum. Nobis dicebatur, S. Januarium *in eo fuisse decollatum; idque habet inscriptio ibi posita, quam etiam recitat Hieronymus à S. Anna; sed est solùm anni 1697. Non negaverim piè credi, lapidem illum sanguine* S. Januarii *consperſum esse, sive in eo fuerit decollatus, sive caput sanguinolentum aut corpus in eo fuerit positum. Aliunde satis verisimile est, aliquid reliquiarum* S. Januarii *in prima ipsius ecclesia relictum esse, quando corpus inde fuit translatum. An verò gutta sanguinis saxo adhærentes, unà cum sanguine Neapoli in ampullis servato, quasi liquescat, aut certè magis rubescat, eruditis Neapolitanis, qui propinquiores sunt, examinandum relinquo.*

Antiqua statua dimidiata S. Januarii, de qua multa narrantur;

168 *Veneranda statua, quam ibidem haberi jam dixi, effigiem scalpro Neapolitano expressam exhibeo. Eruditi collectores, qui eam submiserunt, existimant, antiquiorem esse gemina alia Sancti effigie, inferiùs similiter exhibenda. Observant autem, hanc* Puteolis summa religione *coli* in cœnobio PP. Capucinorum. *Tum addunt:* Effigies ipsissima ad fidem marmoris expressa est in tabula ænea. Ea omnium antiquissima nobis videtur cùm ex pontificalibus indumentis, & brevissima mitra, quæ tæniam unam è parte postica dimittit, tum ex juvenili prorsus facie sancti Martyris, ut in nummis sæculi IX & X scalpi mos erat. Quamobrem, quò conjectura nostra plus in suadendo habeat auctoritatis, anticam & posticam

or-

Marmorea vetustissima quæ Puteolis in Ecclesia S. Januarii M. Protomartyris Capucinorum asservatur.



Pars postica.



Foschini del. *Gaultier sculp.*

orthographiam curavimus deſcribendam. *Eruditi hi viri, licèt hanc omnium vetuſtiſſimam* S. Januarii *imaginem credant, eamdem tamen non referunt ad ſeculum* IV, *ut nonnulli fecerunt ſine fundamento; nec ad ſeculum* VII, *ut Falconius pag.* 482 *ſine ulla probatione; ſed malunt ignorare, quo tempore fuerit ſculpta, quàm temere id definire. Injuriam aliquando paſſa eſt veneranda illa ſtatua, ut apparet ex mitra ſuperiùs confracta, & ex naſo, qui ſic vultui adhæret, acſi fuiſſet abſciſſus, & poſtea glutine aliquo aut alio artificio, reſtitutus. Modica quoque in vultu eſt macula, de cujus origine diſputatur. Mira ſunt, quæ de naſo PP. Capucini nobis narrârunt, prout ea ab aliquot ſcriptoribus recentioribus conſcripta ſunt, ſed nihil de his invenio apud antiquiores, nec apud præcipuos ſcriptores præteriti ſeculi. Horum ſanè ſilentium imitari mallem, ſi id bona omnium pace liceret, quàm de popularibus ejuſmodi traditionibus plura dicere. Ne quis tamen conqueratur, de mirabilibus iſtis, quæ in Apologia quadam anni* 1714 *operosè defenduntur, nolle me curioſos lectores inſtruere, ex Vita Hieronymi à S. Anna lib.* 3 *cap.* 4 *tranſcribo verba tabellæ, quæ olim ibidem fuit appenſa.* De qua ſcilicet ſtatua illud admirandum antiquiſſima patrum traditione accepimus, quòd reciſo olim atque in mare projecto naſo, alterum ſubinde ſubſtituentibus piis ac devotis viris, nullâ potuit umquam mixturâ adhæreſcere, donec interjecto tempore intus piſcatorum retia ſemel & iterum reperto naſo, nec agnito, tertiò demum pueri voce (an vaticinio) obſervatus, ubi primùm capiti eſt applicitus, ſine temperatura, ſine ligamine, ſine ferro, aut alio quopiam artis inſtrumento, ita commiſſus eſt, ut non attractum * vi, non ætate longa fatiſcat.

* *forè* attractuum

Et mox ex eadem tabella: Nec minùs in eadem imagine ſuſpiciendum, quòd pro temporis ſorte, ſeu felici ſeu triſti, non unam aſpectûs faciem ſub unis lineamentis oſtendit. *Maculam quoque illam, quæ in vultu ſtatuæ apparet, prodigioſè anno* 1656 *enatam dicunt; ſed nihil de illa addit laudatus Hieronymus. Laudatus apologiſta, ut ea omnia defendat contra Falconium, qui pag.* 490 *dicit, nonniſi verba eſſe populi nimis credoli, pro naſo reſtituto per miraculum allegat traditionem, & experimentum anno* 1714 *ſumptum, quo evincere ſe exiſtimat, eum nullo glutino fuiſſe reſtitutum, cùm liquoribus acribus non fuerit avulſus. Verùm nec traditio, qua antiquis deſtituitur teſtimoniis, nos poteſt de mirabilibus antè dictis certos reddere; nec experimenta anni* 1714, *quæ cum adjunctis ratiociniis videri poſſunt apud Apologiſtam pag.* 87 *& ſeqq., evincunt, naſum miraculo ſtatuæ fuiſſe reſtitutum.*

ex quibus aliqua variorum teſtimoniis aſſeruntur.

169 *Quod ſpectat ad maculam, in vultu ſtatuæ conſpicuam, quam anno* 1753 *ipſe vidi, etſi in figura hic juncta non ſatis percipiatur, meliora producuntur teſtimonia. Attamen vellem RR. PP. Capucini ejus ortum prodigioſum citiùs probandum curâſſent. Digna certè res erat, quæ ſtatim authenticis teſtimoniis confirmaretur, prout facilè confirmari poterat, utpote in conſpectu plurimorum facta, ſi vera ſunt teſtimonia anno demum* 1714 *producta. Hæc enim teſtimonia minorem apud prudentes fidem invenient, quàm feciſſent ipſo anno* 1656. *Primum eſt Adm. Rev. domini Proſperi de Conſtantio, canonici cathedralis eccleſiæ Puteolanæ, qui teſtatur* etiam cum juramento, *ſe anno* 1656 *fuiſſe in eccleſia cathedrali, ibique percepiſſe tumultum populi dicentis, tumorem peſtilentem in ſtatua* S. Januarii *ortum eſſe; ſeque tunc quatuordecim circiter annos*

na-

natum, cum omni clero & populo obſervâſſe tumorem nigrum in vultu dictæ ſtatuæ; *ſeque diverſis vicibus illum fuiſſe intuitum* cum omni populo, qui dicebat, ulcus eſſe peſtilens *, ſive peſtem in dicta ſtatua ortum. *Addit, poſt aliquod tempus tumorem illum peſtis indicem non amplius fuiſſe conſpectum; ſed* cicatricem comparuiſſe, qualis hodie cernitur, *ſive qualis eſt macula hodierna. Alterum eſt teſtimonium domini Antonii Damiani, patritii Puteolani, qui teſtatur idem peſtis indicium ſe vidiſſe, ac audiviſſe à populo, & paulò pòſt cicatricem remanſiſſe. Fuiſſe ſe tunc viginti quinque circiter annorum aſſerit, ac teſtimonium dedit à notario & ſacerdote ſcriptum die* XXVII *Januarii anni* 1714, *biduo poſt teſtimonium præcedentis canonici, ab eodem notario Franciſco de Leone exaratum. Si cui autem hæc teſtimonia non videantur facere fidem indubitatam, quòd poſt annos quinquaginta & octo data ſint à ſenibus de re, quam in juventute vidiſſe ſe credebant, fateri cogor, me alia afferre non poſſe, nec velle pro certitudine illius facti pugnaciter decertare. Demum vultûs mutationem in dicta ſtatua frequenter obſervari, ab anno* 1632 *aſſeruerunt Patres Capucini, & etiamnum aſſerunt. In Apologia pag.* 136 *recitatur teſtimonium Bernardi Atranenſis, ſacerdotis Capucini, etiam ſubſcriptum à Barnaba Neapolitano, item ſacerdote ejuſdem Ordinis, datum* XXX *Januarii anni* 1714. *Teſtatur autem P. Bernardus, ſe anno* 1701, *die* XVIII *Maji, dum erat vicarius in conventu Puteolano, interpellatum fuiſſe à Barnaba prædicto, tunc clerico & adituo, qui viderat* vultum *dictæ* ſtatuæ turbatum, & horribilem cum lacrymis, decidentibus ex oculis. *Ait, lacrymas ab eodem abſterſas ſudario, aliaſque deinde effluxiſſe. Hoc nuntio accepto, ſe ad ſtatuam ac-*

* bobone

acceſſiſſe teſtatur, lacrymaſque ſimiliter vidiſſe & abſterſiſſe, ac mox alias comparuiſſe, ut ea de cauſa januam eccleſiæ clauderet ac neminem ingredi permitteret. Idem teſtatur, anno 1688, *menſe Aprili, vultum ſtatuæ* per dies octo tam pallidum apparuiſſe, ut horrorem incuteret, *ipſeque ea de cauſa quotidie ad veſperam ſecretò preces aliquas coram ſtatua recitaret cum P. Guardiano & P. Ambroſio Neapolitano. Hiſce addit Apologiæ auctor, communem eſſe opinionem Capucinorum, qui habitârunt aliquo tempore in conventu Puteolano, vultum venerandæ illius ſtatuæ mutari pro varietate temporum. His conformia ſunt documenta Mſ. ex dicto conventu nobis miſſa, in quibus teſtatur R. P. Emmanuel Neapolitanus, ejuſmodi mutationem vultûs in dicta ſtatua vidiſſe ſe anno* 1734. *Plura de hiſce non addo, & judicium de omnibus prudenti lectori permitto, quòd eruditi collectores Neapolitani, qui de vetuſtate figuraque illius ſtatuæ ratiocinantur, de illis prodigiis ne verbo quidem memminerint.*

Aliæ S. Januarii imagines miraculis inſignes.

170 *Hac verò occaſione pauca ſubjungo de aliis duabus* S. Januarii *imaginibus, de quibus ſimiliter agit laudatus Hieronymus. Prima ſervatur Neapoli in eccleſia collegii puellarum SS. Philippi & Jacobi multa cum veneratione, quia anno* 1635 *in igne illeſa manſiſſe dicitur, incendiumque ejuſdem collegii, poſtquam illa imago in flammas cum viva fide fuerat injecta, exſtinctum aut certè cohibitum fuiſſe aſſeritur. Refert idem factum Falconius pag.* 513, *& uterque affirmat, inquiſitionem de illo prodigio factam ab aula archiepiſcopali Neapolitana, prout etiam ſcribit Carolus de Lellis in Neapoli ſacra part.* 2 *fol.* 170, *teſtatus, incendium contigiſſe die* XI *Decembris anno* 1635, *& ſubitò fuiſſe exſtinctum poſt imaginem flam-*

Effigies S. Januarii.





Ex Musivo Capellæ S. Mariæ de Principio in Basilica S. Restitutæ.

Ex vetustissima pictura Ecclesiæ S. Marciani prope Cathedralem Neap.

Foschini del.

Gaultier sculp.

flammis injectam. Habet igitur hoc prodigium teſtem contemporaneum, ſatiſque ea auctoritate videtur confirmatum. Addo tamen inſcriptionem ſub altari, quod S. Januario *dicatum eſt, ea de cauſa poſitam.* O rem miram! Imago hæc S. Januarii epiſcopi & martyris in ardentem caminum hujus ſacri puellarum cœtus injecta die XI Decembr. MDCXXXV, flammam cohibuit & illæſa permanſit. Magnum quidem, quòd ignis in Veſuvio (*anno* 1631) extimuit verum, majus hîc, quòd pictum. *Altera imago ſervatur in eccleſia Matris Dei Carmelitarum Excalceatorum Neapoli, ubi degebat ipſe auctor, qui de illa ſcribit. At factum refert ex Chronico Italiæ Ordinis ſui, impreſſo anno* 1671. *Ea donata fuit dictæ eccleſiæ à* D. Julia Gomez. *Ratio donandi fuiſſe dicitur, quòd eam vidiſſet ſudantem, & duobus Patribus Excalceatis ſudantem oſtendiſſet. Quin & vicarius generalis archiepiſcopi Neapolitani, ea de re monitus acceſſit, &* portentum non ſine ſtupore vidit ac reveritus eſt: pauciſque pòſt diebus quamplurimi huic palatio circumvicini accolæ fato functi ſunt, & è Veſuvio exitialis ignis juxta lugubre procul dubio præſagium, violenter erupit. Quo factum eſt, ut devota matrona portentoſam imaginem Deo in eccleſia noſtra ad perpetuam rei memoriam conſecraret. *Adjungam hoc loco duas alias* S. Januarii *imagines ex vetuſtioribus, pront ſcalpro expreſſæ ſunt Neapoli, mihique de illis non cogitanti tranſmiſſæ. Ex illis diſcet prudens lector, ex vetuſtis imaginibus nihil certi poſſe erui aut de forma aut ætate* S. Januarii. *Obſervationes, quas addiderunt eruditi collectores, huc etiam transfero:* Præter effigiem S. Januarii, in capella S. Mariæ de Principio muſivo opere fabrefactam, quam ad fidem exemplaris expreſſam damus, eſt altera antiquior, eâdem tabu-

bulâ æneâ exhibita, quæ visitur in capella S. Marciani episcopi Neapolitani, ædi cathedrali attigua. Hujus de antiquitate hoc tantùm tutò præstare possumus, vetustiorem esse hodierna cathedrali Neapolitana, anno MCCCXIII dedicata: imò eâdem non paullò antiquiorem ex vetustissimarum, quæ ibi cernuntur, imaginum, & brevissimæ mitræ certissimo indicio docemur. Illud autem sedulò est animadvertendum, in utraque imagine, tum ex musivo S. Mariæ de Principio, tum ex oratorio S. Marciani, quòd Januarius ita pingitur, ut qui, adolescentiâ jam exactâ, in virorum censum ex virili habitudine adjudicari possit. Barba verò, quantùm ex fugientibus vetustate lineamentis exsculpi potest, vel penitus corrasa est, vel tum primùm imis genis deserpit. *Hac illi, ut inferant, vetustiorem esse statuam Puteolanam, in qua juvenili magis facie exhibetur Sanctus, prout in nummis seculi* IX *&* X.

Altera ecclesia in suburbio Neapolitano, ubi digitus Sancti.

171 *Secunda* S. Januarii *ecclesia extra urbem Neapolitanam constructa fuit à S. Severo dicta civitatis episcopo, ut jam dictum* § 7 *num.* 104 *ex S. Severi Vita. Constructio autem illius ecclesiæ fienda est sub finem seculi* IV *aut initium* V *seculi, paulò ante translationem corporis ex agro Marciano, sive ex mox memorata prima* S. Januarii *prope Puteolos ecclesia, ut nos existimamus. Hieronymus à S. Anna lib.* 2 *cap.* 9 *ad propositum nostrum ex Officio S. Severi hæc affert verba:* Multas Neapoli constituxit ecclesias, illamque præcipuè extra moenia divo Januario sacram, in qua corpus ipsius beatissimi Præsulis & martyris, ex Marciano translatum, propriis condidit manibus. *De illa ecclesia laudatus Caracciolus observat sequentia:* Diversa fuit hæc basilica ab illa, quam nunc cernimus. Erat enim in crypta, seu cœmiterio,

rio, illi adjuncta, ubi ad hunc uſque diem altare viſitur, & epiſcopalis Severi epiſcopi ſedes. *Hanc S. Athanaſius ſeculo* IX *inſtauravit, teſte Joanne Diacono, qui in S. Athanaſio hæc ſcribit:* Eccleſiam S. Januarii in ipſo cubiculo (*id eſt, crypta ſepulcrali*) poſitam renovavit, nobiliumque doctorum effigies in ea depinxit, faciens ibi marmoreum altare cum regiolis argenteis, ſupra quod velamen cooperuit, in quo martyrium S. Januarii ejuſque Sociorum acu pictili opere digeſſit. *Addit deinde Caracciolus:* Auguſtior poſtea eccleſia in honorem S. Januarii erecta fuit, & monachis S. Benedicti tradita, ac poſtmodùm hoſpitali etiam domo aucta, ut prolixè Capacius in Hiſtoria Neapolitana, Engenius in Neapoli ſacra, ac Tutinus in Vita S. Januarii narrant. Fuiſſe hanc baſilicam dictam S. Januarii ad Corpus, docent iidem. *Eccleſiam porrò illam Benedictinis traditam eſſe ſeculo* IX *à S. Athanaſio epiſcopo Neapolitano, docet Joannes Diaconus in Chronico in S. Athanaſio his verbis:* In eccleſia denique S. Januarii foris ſita monachorum collegium ſub abbatis regimine ordinavit, offerens eis unum hortum in campo Neapolitano poſitum. *Mabillonius hanc monachorum fundationem narrat ad annum* 866. *Corpus* S. Januarii *eodem ſeculo ex illa eccleſia tranſlatum fuerat Beneventum. Verumtamen Hieronymus à S. Anna in Vita lib.* 3 *cap.* 4 *teſtatur, in illa eccleſia ſervari* digitum S. Januarii; *aitque illum credi digitum, quem ſimul carnifex reſecuiſſe dicitur, quando caput Sancto amputabat. De illa eccleſia, quæ initio ſimul S. Agrippino ſacra fuiſſe videtur, & cujus monaſterium demum mutatum eſt in hoſpitale, plura dabunt auctores laudati. Mihi non licet hæc tam prolixè tractare.*

172 *Tertia* S. Januarii *eccleſia apud Tutinum,*

Tertia ejuſdem eccleſia in diaconia:

Caracciolum & Hieronymum à S. Anna, recenſetur illa, qua vocatur S. Januarii in Diaconia, *aut* ad Diaconiam, *& nunc paſſim* S. Januarii ad Ulmum, *ſitaque eſt in ipſa urbe Neapolitana. Vulgus olim & nonnulli ſcriptores crediderunt, opus illud fuiſſe Conſtantini Magni; ſed laudati auctores improbabilem illam opinionem meritò rejiciunt. Neque enim S. Severus corpus Sancti tuliſſet ad eccleſiam ſuburbanam, ſi vetuſtior* S. Januarii *eccleſia exſtitiſſet in ipſa urbe. Joannes Diaconus conditorem illius eccleſiæ in Chronico rectiùs aſſignat, in Agnello ita ſcribens:* Hic fecit baſilicam intus civitatem Neapolim ad nomen S. Januarii martyris, in cujus honorem nominis Diaconiam inſtituit, & fratrum Chriſti cellulas collocavit, delegans ab epiſcopio alimonia ducentorum decem tritici modiorum, cum ducentas vini hornas (*urnas deſignat, opinor*) perennis temporibus per uniuſcujuſque ſucceſſionem annualiter largiri. Sed & pro labandis curis (*pro lavanda ſuppellectile, quantùm apparet*) bis in anno Nativitatis & Reſurrectionis Domini anni circulum exequendum ſaponem dari ſancivit. Sic itaque uſque hodie, Domino annuente, perficitur *&c. Hactenus Joannes, illius ipſius eccleſiæ poſtea diaconus, qui addit,* mille ſiliquas (*ſaponis videlicet*) *in Nativitate Domini, & totidem in Reſurrectione datas fuiſſe.* Siliqua *certò hic ſumitur pro aliqua ponderis ſpecie. Hieronymus à S. Anna lib. 2 cap. 12 ex Engenio recitat inſtrumentum anni 1305, ex quo liquet, ſacerdotes in illa eccleſia ſerviviſſe Græcos & Latinos. Caracciolus conjicit, prope illam eccleſiam fuiſſe domum* S. Januarii, *ſed fatetur, ſe conjecturas dare non omnino ſolidas. Agnellus illius eccleſiæ fundator apud Ughellum inter epiſcopos Neapolitanos ponitur ab anno 672 uſque ad 693 aut 694. Fundatio igitur fi-*

figenda eſt ſeculo VII *ad finem vergente. Plura dabit Hieronymus à S. Anna, apud quem tamen non invenio, ullas* S. Januarii *in illa eccleſia haberi reliquias.*

173 *Vetuſta etiam fuit* S. Januarii *eccleſia, de qua Chioccarellus in Collectione Ms. ita habet:* Eſt quoque in civitate Neapolis, in vico, qui dicitur Judæorum, vetus capella, ſive parva eccleſia, quæ S. JANUARII SPOLIANS MORTUOS appellatur. Quare autem ſic nuncupetur, nobis incognitum eſt. *De eadem Caracciolus hæc ſcribit:* Erat olim hîc Neapoli ſecus portam, hujus Divi nomine honeſtatam, ædicula ſacra, quæ divi Januarii SPOLIA MORTIS nuncupabatur; fortè quòd ſpolia mortuorum, qui illac ad cœmiterium deferebantur, in vicino aliquo loco venalia exponerentur. Nunc divæ Virgini Angelorum dicata eſt, & Confraternitati laïcorum tradita. *Pro his laudat Engenium in Neapoli ſacra. Conſonat etiam Tutinus pag.* 116. *Hieronymus à S. Anna de ea prolixiùs diſputat lib.* 2 *cap.* 13, *affertque inſtrumentum, ex quo colligitur, eam eccleſiam jam exſtitiſſe tempore Baſilii imperatoris, & abbatem SS. Severini & Soſii illius tunc fuiſſe patronum. Nequit alius intelligi Baſilius imperator, quàm qui ſeculo* X *&* XI *cum Conſtantino fratre diu imperavit, ut colligitur ex abbate SS. Severini & Soſii, cùm hujus tituli abbas nullus fuerit ante tranſlatum circa annum* 910 S. Soſii *corpus. Exſtabat igitur certò illa* S. Januarii *eccleſia ante mortem Baſilii imperatoris Graci, anno* 1025 *defuncti, & fortè diu antè. Falconius pag.* 486 *conditam ſcribit anno* 880 *per Sergium quemdam, nobilem Neapolitanum. In Annotatis verò ad id probandum aſſert inſtrumentum mihi ſuſpectum, quod tamen ipſis Neapolitanis diſcutiendum relinquo. Laudatus*

quarta item vetuſta, nunc S. Mariæ Angelorum dicta.

Hieronymus ait, non constare de tempore, quo fuit condita. Erat seculo XVI *una ex parœciis Neapolitanis; sed anno* 1581, *ut habet laudatus scriptor, tradita fuit Confraternitati, & nomen* S. Januarii *commutavit, dicique cœpit* S. Mariæ Angelorum. *De antiqua cathedrali Neapolitana, quæ* S. Januarii *nomen diu gessit, pluribus agendum est postea.*

Sacellum sive confessio magnifica in ecclesia metropolitana,

174 *Metropolitana hodierna non* S. Januario, *sed sanctissimæ Virgini Mariæ dicata est. Habet tamen in ea* S. Januarius *geminum sacellum, de quo præcipuè agendum ob reliquias Sancti ibidem conservatas.* Alterum horum, *inquit Caracciolus*, Oliverianum dici potest. Ab Oliverio namque Carafa, S. R. E. Cardinali, Neapolitano *etiam olim* archiepiscopo (*sed hanc dignitatem antè abdicaverat*) atque Pauli Papæ IV avunculo, erectum fuit. Cœptum ædificium die 1 Octobris anno MCDXCVII, completum fuit anno MDVIII, uti Julianus Passerus, rerum suo tempore gestarum diligentissimus scriptor, tradit in suis Annalibus. Undecimus enim annus numeratus est in perfecta ejus extructione, profusâ quindecim millium aureorum pecuniâ ex proprio ære Cardinalis. Omnia ibi è Pario marmore, gradus, descensus, solum, parietes, cælum. Ejus longitudo palmorum est quadraginta; altitudo quindecim; latitudo triginta sex. Altaria minora decem. Columnæ cælum sustinentes decem. Statuæ Sanctorum ex eodem Pario marmore permultæ: in primis Deiparæ, puerulum Jesum ulnis complectentis; tum S. Petri, S. Pauli, quatuor Euangelistarum, quatuor Ecclesiæ Doctorum, septem urbis Tutelarium, David Goliæ caput desectum gestantis, & Judith Holoferni truncato capite triumphantis. Inque ipso duplici descensu per binas æneas portas, super quas doctissima Petri

tri Gravinæ canonici Neapolitani carmina leguntur, quatuor triumphales currus, solis nempe, lunæ, Mercurii & Jovis. Fortè ut fabulosi isti currus inferiores habeantur vero illo triumphali Januarii, quando catenatus ipse ante Timothei præsidis rhedam Nolâ Puteolos petractus fuit; sculptore omnium Thoma de Malvito Comensi, præcellenti ea tempestate artifice. Subtus aram maximam in marmorea urna condita sunt sancti Martyris ossa & cineres: è cujus postica parte Oliverii ipsius effigies habitu supplici ad vivum & affabrè exsculpta visitur. *Addit auctor, desiderâsse Oliverium Cardinalem multorum ibi Sanctorum reliquias collocare; sed mortem obstitisse, quo minus multa ibi corpora deponere potuerit; deposuisse tamen sub ara maxima corpus* S. Januarii.

175 *Tutinus de eodem sacello fusè agit, & pag.* 110 *ait, constructionem fuisse absolutam anno* 1506, *ut etiam habet inscriptio ibidem posita, & relata apud Hieronymum à S. Anna lib.* 2 *cap.* 12. *Adjungit laudatus Tutinus, corpus* S. Januarii *ibidem magna cum solemnitate fuisse depositum anno* 1506, *Dominicâ primâ post Epiphaniam, qua eo anno incidebat in diem* XI *Januarii. De expensis in illud opus factis Tutinus etiam aliter loquitur, quàm Caracciolus. Verùm quidquid sit de summa expensa, certum est, opus esse sumptuosum, ut etiam Paulus Papa III testatur in Bulla, apud laudatum Hieronymum edita, quâ omnia prædicta confirmantur. ubi & corporis translatio ex Monte Virginis. Sacellum autem istud, quod voce ecclesiastica* confessio *dicit posset, à Neapolitanis passim* subcorpus, *vulgo* succorpo *nominatur. Hujus verò nominis rationem allegat Caracciolus his verbis:* Quòd Subcorpus dicta est hæc Oliveriana cappella, in causa fuit ipsa populi erga Januā-

in qua depositum S. Januarii corpus.

nuarium devotio, quasi quòd corporis nomine non aliud, quàm pretiosum Januarii corpus, fuerit intelligendum. *Delineationem aræ majoris, sub qua S. Januarii corpus quiescit, nobis à Neapolitanis submissam, lectorum oculis hic subjicio.*

Sacellum thesauri, ex voto structum,

176 *De altero sacello* S. Januarii, *quod* Thesaurus *vocatur, quia in eo caput & sanguis* S. Januarii *cum multis aliis Sanctorum reliquiis conservantur, accuratiùs agam postea, ubi de spectantibus ad caput & sanguinem Sancti disserere decrevi. Hic breviter observo, hodiernum constructum esse ex voto, quod nuncupârunt Neapolitani, quando pestis, anno 1526 cœpta, sævire pergebat usque in annum 1527. Hoc igitur anno, die* XIII Januarii, *solemnem instituerunt supplicationem cum capite & sanguine* S. Januarii, *eique voverunt sacellum exstruere. De eventu Tutinus, cujus verba ex Italicis Latina facio, ita loquitur:* Cessavit pestis anno MDXXIX, & Sanctus gratiæ à Deo obtentæ indicium dedit, quia illo anno sanguis cum omnium lætitia liquefactus, quod factum non erat anno præcedente. *Sacellum tamen non fuit inchoatum ante annum* 1608, *ut accuratiùs exponam, ubi agetur de capite & sanguine Sancti.*

uti & antiquum thesauri sacellum.

177 *Interim anno* 1557 *antiquum Thesauri sacellum, in quo caput & sanguis* S. Januarii *cum aliis Sanctorum reliquiis servabatur, exornavit Maria, uxor Ferdinandi ducis Albani, qui regnum Neapolitanum pro rege Hispaniarum administrabat. Voverat hoc ipsa pro salute ducis conjugis, qui cum exercitu limites regni Neapolitani defendebat contra hostes, votumque explevit, ut habet inscriptio, quam sub tabula picta positam ait Tutinus, & recitat pag.* 113 *hoc modo.*

D. O. M.

Dum Ferdinandus Toletus Alvæ dux Italiæ pro re-



Mich. Fyschini delt. Gaultier sculp.

Delineatio Aræ majoris Hypogæi S. Januarii sub qua ejusdem M. corpus requiescit.

rege præſidet, Truentoque invicta virtute hoſtes regni Neapolitani finibus arcet; Maria Toleta ejus uxor divo Januario ædiculam hanc ex ſuo dicat, & voti compos ornat anno Salutis MDLVII. *De hoc ſacello Caracciolus ſolùm dicit*; Viſitur hoc tempore ad lævam metropolitanæ eccleſiæ turrim Theſauri cappella, à Ferdinando duce Albano, prorege Neapolitano (*imò potiùs ab ejus conjuge, ut dictum eſt*) poſtea ornata in Sancti obſequium ob ſibi collata beneficia. Qui & in patriam deinde rediens, ibi quoque eccleſiam huic ſancto Præſuli dicavit. *Hactenus de eccleſiis & ſacellis Neapolitanis. Nunc & viciniores breviter inveſtigabimus, deinde & remotiores.*

§ XIII. Proſecutio ejuſdem materiæ de eccleſiis & reliquiis S. Januarii & Sociorum martyrum.

Sacellum Sancti in colle Antiniano.

Caracciolus inter Neapolim & Puteolos eccleſiam parvam memorat his verbis: In vicinia Antiniani collis ædiculam eſt videre, ipſi ſancto Martyri dicatam, incertum, an quòd ibi primùm ſanguinis è regione capitis appoſiti liquefactio ſit obſervata, pia illa fœmina ejus collectrice eò loci ampullas adducente, advenientique epiſcopo caput Martyris geſtanti occurrente. An verò quòd Nolâ Puteolos delatus Januarius, ibi aliquantiſper quieverit. *Geminam adificati illius ſacelli cauſam dubiè auctor recenſet. Prima ſumitur ex traditione aliqua populari, quæ parùm habet probabilitatis. Traditur tamen à Tutino cap.* 15 *pag.* 78,

aitque, ea de causa ibidem esse marmoreum S. Januarii *caput. Verùm nescio, quomodo ex marmoreo capite inferri possit, sanguinem ad capitis praesentiam ibi fuisse liquefactum. Et sanè illud liquefactionis miraculum non videtur tam antiquum, ut credi possit, jam factum fuisse in prima corporis translatione. Qua de causa, etiamsi illud sacellum anno* 1707 *instauratum sit & magis exornatum, prolixaque tunc ibidem posita sit inscriptio, quâ prima sanguinis ad oppositionem capitis liquefactio ibidem facta asseritur; tamen Hieronymus à S. Anna lib. 2 cap.* 14 *isti traditioni parum fidei tribuere videtur, & minus etiam Sabbatinus ad* XIII *Aprilis, ubi eamdem recitat inscriptionem. Certè, qui translationem corporis descripsit, non videtur omissurus fuisse factum tam notabile, quale est miraculum liquescentis sanguinis, si tempore illius translationis contigisset. Altera ratio condendi sacelli allegata à Caracciolo aquè est improbabilis, cùm Christiani verisimiliter ne sciverint quidem, in quo loco* S. Januarius *quieverit, quando Nolâ Puteolos trahebatur.*

ubi servatur lapis, in quo caput positum fuisse creditur.

179 *Si constaret, episcopum Neapolitanum cum clero suo in illo loco excepisse sacrum* S. Januarii *corpus ab iis, qui illud è Marciano eò usque deportârant, ut asserit Tutinus, & ibidem usque ad adventum episcopi deposuerant, vel sola hac de causa sacellum exstructum crederem. Ea certè est opinio Chioccarelli, qui in Ms. Collectione de illa adicula sic ratiocinatur:* In villa sive suburbio, quæ secundo ab urbe Neapolis lapide distat, est parva vetus ecclesia S. Januario dicata, in qua traditur miraculum sanguinis S. Januarii primitus gestum esse, cùm è Puteolis Neapolim deferretur, & è Neapoli ipsius caput in ejus occursum gestaretur. Nos verò credimus, inibi corpus S. Januarii

nuarii, cùm è Puteolis Neapolim transferretur, aliquantulùm quieviſſe, ac fuiſſe depoſitum. *At, cùm neſciam, quo fundamento nitatur illa aſſertio, malim cauſam conditi illius ſacelli ignorare, quàm hanc ſine idoneo fundamento aſſerere. Sacellum illud vulgò vocatur* S. Gennarello al Vomero. *Apud Hieronymum à S. Anna lib. 2 cap. 14 recitatur inſcriptio antiquior, non tamen ſatis vetuſta, quæ inſinuat aliam traditionem, nimirum conſervari in dicto ſacello lapidem, in quo caput* S. Januarii *fuit poſitum, quando Puteolis transferebatur Neapolim. Lapis ibidem in loculo parietis piè conſervatur. Inſcriptio verò ſic habet:* D. O. M. Lapidem hunc vetuſtate collapſum, oblivione ſepultum, inclyto Januarii ſanctiſſimi cruento capiti, Puteolis Neapolim piè traducto, hîc ſubſtentaculum tanti Patroni, de urbe Parthenope bene merentis, ne nimia ſuæ gloriæ teſſera, debita veneratione fraudetur, ipſa gratitudinis haud immemor, ad ævum collabentis occurrit, in hac forma venerando repoſuit anno à Salute MDXIII. *Inſcriptio inſinuat, uti & caput marmoreum ibidem poſitum, aliquando ſolum* S. Januarii *caput, ſive ante ſive poſt corporis tranſlationem, fuiſſe Puteolis Neapolim tranſlatum, & in loco illius ſacelli aliquantiſper depoſitum. Hæc autem traditio nullum patitur incommodum, præſertim cùm planè ignoremus, qua occaſione caput à reliquo corpore fuerit ſeparatum. Si enim conſideremus, primam ſepulturam* S. Januarii *fuiſſe in territorio Puteolano; inter Puteolos autem & Neapolim non fuiſſe eo tempore tantam differentiam, quanta hodie cernitur; facilè ſuſpicabimur, noluiſſe Puteolanos in corporis tranſlationem conſentire, niſi retinerent caput; aut contrà in capitis tranſlationem priùs conſenſiſſe, deinde verò & reliquum corpus Neapolitanis*

permiſiſſe. Verùm has ſolùm eſſe conjecturas incertas, nec alias me dare poſſe defectu documentorum vetuſtorum, lubens agnoſco.

Aliud ejuſdem Sancti ſacellum,

180 *Aliud S.* Januarii *ſacellum laudati ſcriptores memorant extra portam Capuanam in via, quæ ducit Averſam. Illud apud Hieronymum à S. Anna cap.* 14 *exſtructum dicitur* anno 1550. *Tutinus pag.* 111 *maluit dicere* circa 1550. *Caraccciolus de eodem hæc ſcribit:* Altera nunc viſitur capella ſub S. Januarii nomine, eodem teſte (*Engenio,*) in via, quæ ad Caput Clivi ducit, ab Alphonſo Januario patritio Neapolitano ipſi dicata anno MDL. *Falconius pag.* 105 *fundationem iſtius ſacelli refert ad annum* 1530, *ſed ſine ulla probatione, ſicut nec priores ſcriptores ſuas probant epochas. Itaque annus hactenus manet incertus. Sacellum vulgò vocatur* S. Gennarello *diminutivè.*

Eccleſia Carmelitarum Excalceatorum reliquiis ejuſdem ditata.

181 *De eccleſia* S. Januarii, *quæ anno* 1632. *ædificata fuit ſumptibus Neapolitanorum, ita breviter habet Caracciolus:* Poſt verò ultimam Veſuvii eruptionem anni MDCXXXI liberatori Januario templum ædificatum eſt à Neapolitana civitate ad Veſuvii radices, ſub cultu fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum. *Hieronymus à S. Anna de hac fundatione plura habet lib.* 2 *cap.* 21, *ubi etiam recitat verba primo lapidi inſculpta. Ex hac autem inſcriptione liquet, jactum fuiſſe primum lapidem anno* 1632 *per epiſcopum Puteolanum, Martinum de Leon & Cardenas, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini. Subjungit auctor, multam à civitate Neapolitana ſubminiſtratam fuiſſe pecuniam pro conſtructione eccleſiæ & conventûs,* qui, *inquit,* eſt unus è melioribus, quos habemus, *celebrique gaudet bibliotheca; & ſacrario pretioſo. Hoc, eodem teſte lib.* 3 *cap.* 4, *etiam ditant* S. Januarii *reliquia tabernaculo argenteo reclu-*

cluſa. Addit priori loco, Neapolitanos ſingulis annis ad illam venire eccleſiam ad gratias S. Januario *agendas, offerendumque illi calicem argenteum. Situm illud monaſterium circa pagos, qui* Maſſa & Pollena *ab Italis dicuntur, Tutinus dixerat; ſed Hieronymus à S. Anna, qui haud dubiè locum ſæpe vidit, illud corrigit, docetque monaſterium eſſe conditum in territorio Turris Græcæ, quod oppidum eſt inter Veſuvium & mare.*

182 *Verùm, ne hæc eccleſiarum enumeratio nimium fiat prolixa, lubet reliquas breviſſimè tantùm aſſignare ex Hieronymo à S. Anna, qui plures diligenter collegit, quamvis nonnulla etiam poſtea Operi ejus adjuncta ſint. Apud laudatum auctorem lib.* 2 *cap.* 14 *aſſignatur ſacellum* S. Januarii, *anno* 1716 *erectum, ſupra villam, quæ vulgo dicitur* Capo di Monte. *Altera ibidem intra Neapolim* in platea Montis Oliveti *conſtructa dicitur eccleſia* S. Januario *dicata, quæ primùm fuit Congregationis* S. Januarii; *deinde verò data eſt* Conſervatorio, *ut vocant*, puellarum S. Januarii, *ut prolixiùs explicat laudatus auctor. Aliud puellarum pauperum conſervatorium, anno* 1710 *erectum prope portam Capuanam, ſimiliter habet eccleſiam* S. Januario *ſacram. Aliud rurſum* S. Januarii *ſacellum cap.* 21 *aſſignatur in agro prope vicum* Secondogliano, *illudque dicitur memoratum in Actis viſitationis archiepiſcopi Neapolitani anni* 1442. *Poſtea verò totum ferè erat collapſum; ſed reſtitutum dicitur ſub initium ſeculi* XVII *curâ nobilis Neapolitani. Deinde laudatus auctor pergit Averſam, quæ civitas eſt mediâ ferè viâ inter Neapolim & Capuam, docetque ibi anno* 1670 *fundatum eſſe inſigne collegium monialium, quæ puellas educandas ſuſcipiunt, earumque eccleſiam* S. Januario *fuiſſe dedicatam. Idem lib.* 3 *cap.* 4 *docet, in* Plura alia loca ſacra,

laudato collegio ſervari particulam oſſis S. Januarii, *pulchra ſtatua incluſam.*

in quorum nonnullis reliquiæ,

183 *Pluſcula dicenda ſunt de tribus eccleſiis, quas auctor ſubjungit in variis locis diœceſis Nolanæ, inter montem Veſuvium & Nolam ſitis. Prima inchoata eſt anno* 1708, *perfectaque & conſecrata anno* 1716, *in pago* Ottajano, *ubi illam* Ferdinandus Sanfelicius, patritius Neapolianus, *ut habet inſcriptio, exſtruendam in avito prædio curavit. Altera inſcriptio docet omnia ad propoſitum noſtrum neceſſaria. Quare totam hanc traduco:* D. O. M. Ferdinandus Sanfelicius patritius Neapolitanus à properato opere, ne ruris accolæ per feſtos dies ſacris celebrandis deſtituerentur, ædem hanc beato Januario ad evertendas Veſuvianas conflagrationes dicatam, in avito prædio ab ſe delineatam exſtruxit, ac picturis manu ſua elaboratis ornavit. Agatha Ravaſcheria ex comitibus Lavaniæ, ejus conjux, viri ſui virtutem æmulata, Sacro feſtis diebus faciendo perpetuam dotem addixit. Antonius Sanfelicius, epiſcopus Neritonenſis, ut fraternæ pietati obſecundaret, primum ædificii lapidem jecit, & IV Kalendas Decembris MDCCXVI ſolemni ritu benedixit. *Nihil addendum eſt, niſi in dicta eccleſia haberi* S. Januarii *reliquias, quas laudatus epiſcopus Neritenſis accepit à Benedicto XIII Papa, quando hic ante pontificatum erat archiepiſcopus Beneventanus.*

in honorem S. Januarii conſtructa,

184 *In ejuſdem pagi territorio altera eodem anno* 1716 *exſtructa &* S. Januario *dicata eſt eccleſia, quam auctor multùm laudat, ut pulchram & eleganti ſupellectile ditatam. Inſcriptio ibi poſita hæc eſt:* Ædem hanc divo Januario ſacram D. Franciſcus Montella, protonotarius Apoſtolicus, & eccleſiæ cathedralis Neapolitanæ ſacriſta major, ut colonorum pietati conſuleret, à fundamentis

xis erexit, & perpetuo censu Sacris faciundis addicto ditavit anno Domini MDCCXVI. *Videtur auctor dicere, in illa quoque ecclesia esse reliquias S. Januarii, licèt loquatur eo modo, ut aquè intelligi possit de reliquiis S. Francisci Paulani. In eadem diœcesi Nolana est Palma, pagus titulo ducatûs insignitus, in cujus territorio vetustior est S. Januarii ecclesia cum monasterio Franciscanorum Observantium, apud Tutinum pag. 113. Fuit ibi antea exiguum Sancti sacellum cum habitatione unius eremitæ. Verùm anno 1614, inquit auctor, ædificari cœpit ecclesia cum monasterio ad usum Franciscanorum, quibus eam ecclesiam cum monasterio donavit Scipio Piguatellus Lauri marchio. Hisce mox adjungit auctor aliam ædiculam sacram, in diœcesi Campanensi non diu antè constructam in honorem S. Januarii; sed annum fundationis non exprimit. Tum fusè auctor ex duobus historiographis Ordinis Montis Virginis assignat monasterium ejusdem Ordinis, S. Januario dicatum, quod jam à seculo XIV in territorio Montis Virginis exstitisse dicitur, eóque translatum fuisse ex alio loco non longè à Benevento, ubi à seculo XII donatum fuerat S. Guilielmo Ordinis fundatori. Addit, aliam S. Januarii ecclesiam eidem Ordini anno 1209 donatam fuisse* in tenimentis Senerchiæ, *qui pagus est Principatus Citerioris, ut affirmat auctor.*

185 *Multa quoque loca* S. Januario *sacra habuit Beneventum, ad quæ modò pergit dictus auctor. Ego verò sequar brevi compendio ob rationes jam dictas. De basilica, quam Gualterius Tarentinus archiepiscopus Beneventi* SS. Januario, Festo & Desiderio *fundavit, jam memini num.* 143. *At illa bellis & terræ motibus ita est destructa, ut vix supersint vestigia, fatente Vipera in Sanctis Beneventanis pag.* 70. *De alia* S. Januarii *ecclesia Be-*

præsertim Beneventi,

ne-

neventi ita ſcribit Vipera: Habet S. Januarius Beneventi templum ei erectum, olim parochiale, ſed temporum injuriâ quaſi collapſum. *Addit de tertia:* Habet & aliud templum extra civitatem, ex quo tota illa regio denominatur. *His relatis, oſtendit Hieronymus à S. Anna, fuiſſe ſeculo* XII *Beneventi eccleſiam aliquam* S. Januarii, *cognomine* de Græcis *dictam, quam ſuſpicatur omnium vetuſtiſſimam, quia Beneventum à ſeculo* VI *fuit ſub Longobardis. Verùm ex diplomatis Pontificum, qua allegat, rectè quidem colligitur, ſeculo* XII *illam eccleſiam ibi fuiſſe. Ex iis tamen probari nequit, eamdem non eſſe, quàm ferè collapſam vidimus, aut ſub Græcorum dominio fuiſſe exſtructam: poteſt enim ſub Longobardorum principatu, aut etiam ſub Pontificis ſummi dominio, talis eccleſia Græcis incolis conceſſa fuiſſe. Pergit laudatus Hieronymus ad aliam, ut putat, eccleſiam Beneventi parœcialem, cujus cognomen erat* de Neophytis, *quemadmodum vocatur in inſtrumento anni* 1501; *ſed quomodo oſtendemus, paræciam* S. Januarii de Neophytis *non fuiſſe eamdem cum illa, quam Vipera ferè collapſam aſſerebat? Deinde Hieronymus enumerat quatuor aut quinque ſacella, in variis Beneventi eccleſiis* S. Januario *aut ſimul* SS. Januario, Feſto & Deſiderio *dicata, de quibus plura apud ipſum videri poſſunt.*

ubi & nonnullæ Sancti reliquiæ in cathedrali

185 *Unum ex illis erat in eccleſia metropolitana, quod anno* 1688 *terræ motu collapſum, ſed poſtea inſtauratum, dicatumque fuit ſanctiſſimæ Virgini Matri dolorosæ,* S. Januario, *aliiſque Beneventi Patronis. Porrò, ſicut mirari non poſſumus, multas ædes Beneventi ſacras fuiſſe* S. Januario, *utpote epiſcopo Beneventano & patrono; ita mirum videri non debet, ſi multas ſacrorum oſſium*

ejus

ejus particulas inveniamus in ea urbe, in qua corpus ipſius aliquot ſeculis requievit. Marius de Vipera in Chronologia epiſcoporum pag. 14 *de reliquiis* S. Januarii *generatim hæc ſcribit:* Reliquiarum Epiſcopi, civis, & martyris noſtri glorioſi hodie pars aliqua Beneventi in principe templo ſervatur, ſicuti corpus Neapoli unà cum capite & ſanguine conditur. *Rurſum in Sanctis Beneventanis pag.* 70 *ita loquitur:* Hodie ipſorum Sanctorum (Januarii, Feſti & Deſiderii) corpora diviſa ſervantur, ſcilicet aliquæ reliquiæ corporis S. Januarii ſub altare majori, quod ibi in marmore inſcriptio ditat, ſicut major pars Neapoli cum capite & ſanguine. *Laudatus frequenter Caracciolus cap.* 20 *ſect.* 16 *utcumque ſe hiſce opponit, ita ſcribens:* Beneventani quoque gloriantur, multa ſe habere S. Januarii patroni noſtri lipſana in archiepiſcopali templo. Sed fortè falluntur, eaque non ſunt Januarii noſtri, ſed unius ex Adrumetinis fratribus, quorum corpora Arechis dux è Lucania Beneventum transferenda curavit. *Fuit revera aliquis Januarius inter Martyres illos duodecim, de quibus egimus ad* 1 *Septembris, ubi ipſorum tranſlatio Beneventum relata eſt & elucidata. Malim tamen cum Hieronymo à S. Anna lib.* 3 *cap.* 4 *credere, reliquias illas, de quibus Vipera loquitur, revera eſſe* S. Januarii *hodierni, quàm alterius, quia veriſimile non eſt, corpus ipſius tribus aut quatuor ſeculis Beneventi fuiſſe ſervatum, & anno* 1129 *ad novam eccleſiam tranſlatum, nec tamen ullas reliquias metropolitanæ eccleſiæ fuiſſe communicatas. At meritò dubitari poteſt, an illæ omnes, quæ tempore Vipera erant ſub altari majori, etiamnum eodem loco ſerventur, & an illæ, quas aliis locis aſſignat laudatus Hieronymus, non ſint partes earum, quas Vipera ſuo tempore ſub altari ſervatas aſſerit.*

& in aliis ecclesiis servantur.

186 *Enumerationem Hieronymi, qui eam accepit à Joanne Nicastrio, tunc archidiacono Beneventano, & postea episcopo Claudiopolitano, breviter huc transferam. Quas anno* 1608 sancti Januarii episcopi Beneventani martyris *cum multis aliis reliquias Pompeius Cardinalis Aragonius, archiepiscopus Beneventanus, ex variis ecclesia locis sub ara maxima collectas deposuerat, instauratâ & ornatâ pretioso marmore arâ, rursum ibidem deposuit anno* 1687 *Cardinalis Ursinus, tunc archiepiscopus Beneventanus, & postea summus Pontifex Benedictus XIII, ut habet inscriptio ab auctore recitata. Ex illis non sunt desumpta duæ particulæ, quas habet eadem ecclesia. Prima, quæ* magnitudinis unius digiti circitèr *dicitur, anno* 1688 *per laudatum Cardinalem Ursinum statua argentea fuit imposita. Hanc acceperat in monasterio Montis Virginis, dum illud ut legatus Apostolicus visitabat. Ex quo colligimus, aliquas* S. Januarii *reliquias in Monte Virginis relictas fuisse, dum corpus Neapolim fuit translatum. Alia eidem statuæ per Cardinalem inclusa est ossis* S. Januarii *particula, quæ cum aliis reliquiis fuerat inventa sub altari ecclesiæ parochialis S. Petri de Tussericis ejusdem civitatis. Tertia particula assignatur in eadem ecclesia, inclusa brachio argenteo, quo cum aliis ornatur altare majus in festis præcipuis. Ejusdem Sancti reliquiæ Beneventi habentur in ecclesia parochiali S. Andreæ, & in ecclesia Societatis Jesu. In ecclesia verò monasterii S. Sophiæ Canonicorum Regularium S. Salvatoris asservantur* S. Januarii *reliquiæ cum reliquiis* SS. Festi & Desiderii *mixtæ, ut habet auctor, cujus assertæ fidem compendio dare volui.*

187 *Ubi laudatus Hieronymus lib. 2 cap. 21 enumeravit ædes sacras civitatis Beneventanæ, transi-*

ist ad alias, quæ in ejusdem diœcesi conspiciuntur. Sequar diligentem auctorem, sed breviter. In amplo pago aut oppido Cervinara habetur ecclesia S. Januarii, quam aliqui ex traditione, non magni facienda, conditam volunt non diu post martyrium S. Januarii: quod difficulter crediderim. Hoc certum est, egregiè instauratam fuisse, & anno 1687 à laudato Cardinali Ursino S. Januario rursum consecratam. Alia S. Januarii ecclesia seculo XII erat in Murcone, diœcesis Beneventanæ pago, ut liquet ex diplomate anni 1112, quo data fuit monasterio Montis Casini. Alia rursum diœcesis Beneventanæ ecclesia post eruptiones Vesuvii anni 1631 ædificata fuerat in pago, qui vulgò vocatur Pietra di Fusi: sed terra motu deinde eversa est. Rursum tamen hoc seculo fuit instaurata, & anno 1706 consecrata à Cardinali Ursino in honorem Sanctissimæ Virginis Mariæ, S. Januarii, & aliorum quorumdam Sanctorum.

Aliæ Sancti ecclesiæ in diœcesi Beneventana.

188 Hinc auctor progreditur ad alias Italiæ partes, ad quas & ego sequor. Ostendit autem, seculo XI fuisse aliquam ecclesiam S. Januarii in Aprutio juxta Piscariam, quæ spectabat ad monasterium Benedictinum S. Joannis in Venere. Alteram ecclesiam S. Januarii possidebat eadem abbatia seculo XII in Apulia. Mox alia memoratur ecclesia, quæ olim fuit in Aprutio, & alia anno 1698 exstructa in eodem regno Neapolitano, sed nulla exprimitur provincia, pagus tamen, in quo est, exprimitur vulgari nomine S. Angelo à Fasanella. Hæc multùm laudatur, quia accola pulverem à parietibus abradere solent, illumque cum aqua bibere, & sic malis febribus liberari dicuntur. Tum subjungitur sacellum sive altare S. Januario dicatum in nova ecclesia civitatis Neritensis, consecrata anno 1710 ab Antonio Sanfelicio, Neritensi epi-

& in variis provinciis

ſcopo antè laudato, qui & reliquias S. Januarii *eò tranſtulit, ſicut eas procuravit alteri eccleſiæ, de qua num.* 183. *Aliud ſacellum* S. Januarii *aſſignatur in eccleſia metropolitica Salernitana; aliud rurſum in oppido, quod Turris Græca dicitur inter Neapolim & Salernum in eccleſia parochiali, ubi & reliquias haberi teſtatur lib.* 3 *cap.* 4: *aliud demum in eccleſia Carthuſianorum S. Laurentii cum reliquiis* S. Januarii, *ſtatuæ dimidiatæ ex argento incluſis, quas dedit Cardinalis Urſinus, ut adjungit lib.* 3 *cap.* 4, *ubi etiam affirmat, periculoſum ceſsâſſe morbum, dum hæ reliquiæ à ſupplicantibus erant circumlatæ.*

Italiæ & Germaniæ:

189 *Laudatus Hieronymus cap.* 22 *conatur aſſignare nonnullas* S. Januarii *eccleſias extra regnum Neapolitanum, orditurque ab ea, quæ Romæ erat in ſuburbio* juxta portam S. Laurentii, *ut habet S. Gregorius lib.* 4 *Dialogorum cap.* 74. *Eamdem fuiſſe* S. Januarii *eccleſiam, cujus tectum Adrianus Papa I refecit. rectè obſervat. Verùm ignorare non debebat, Caracciolum ſect.* 22 *varia afferre argumenta, quibus oſtendere nititur, illam eccleſiam videri potiùs dicatam alicui* Januario *Romano martyri, quàm Patrono Neapolitanorum. Certè plures ſunt Romæ, & in ejus vicinia, Januarii martyres, nec ullum habemus indicium, quo hodierni potiùs videatur fuiſſe illa eccleſia, quàm alterius Januarii, ut res ſaltem ſit dubia. Deinde auctor memorat pagum in territorio Lucenſi,* S. Januarii *dictum, cum eccleſia eidem Sancto dicata, eaque admodùm vetuſta. At rurſum dubitari hic poteſt, an non ſit alius Januarius, à quo pagus ille olim nomen accepit, & cui eccleſia illius primùm fuit dedicata. Hiſce addit auctor, à Ferdinando duce Albano eccleſiam* S. Januario *conſtructam fuiſſe, ut habet Caracciolus, cujus verba dedi num.* 177;

ſed

ſed neuter explicat, qua in urbe fuerit ædificata illa eccleſia: & demum ſacellum ſive altare S. Januarii *aſſignat Romæ in eccleſia ſancti Spiritus nationis Neapolitanæ, in qua & reliquias* S. Januarii *fidelium* venerationi ſolitas exponi teſtatur *lib.* 3 *cap.* 4, *ubi ait, illi eccleſiæ datas eſſe à Cardinali Cantelmo, qui Neapolitanæ præfuit eccleſiæ ab anno* 1691 *uſque ad* 1702. *Hactenus auctor de locis extra regnum Neapolitanum Sancto ſacris, quibus addi poſſunt ſacellum olim in Angia divite, abbatia Suevia,* S. Januario *exſtructum, pro quo deſtructo eidem ara in monaſtica eccleſia fuit ſacrata; quodque* S. Januarius *numeretur inter patronos, quibus dicata eſt celeberrima abbatia Rhinovienſis in Helvetia. De his, ac de reliquiis in utraque abbatia ſervatis, conſuli poſſunt dicta § 9.*

190 *In ſecunda editione Operis Hieronymi à S. Anna, cui non pauca ſunt adjuncta, partim ab ipſo auctore, partim ab alio, qui Opus recudendum curavit, lib.* 2 *cap.* 23 *recenſentur alia quædam ſacella ſive altaria, quæ in variis eccleſiis Neapolitanis* S. Januario *fuerunt dicata. Verum, cùm illorum numerus quotannis creſcere poſſit, & haud dubiè creſcat, iis minutim recenſendis non immorabor. Nonnulla tamen breviter dicenda ſunt de locis, qua* S. Januarius *pœnis ſuis ſanctificâſſe creditur. Andreas Ferrarius in Cœmeterio Nolano Italicè ſcripto pag.* 102 *docet, locum carceris & fornacis, cui Nolæ injectus fuiſſe creditur* S. Januarius, *& in quo olim ſacellum dicitur fuiſſe conſtructum, teſte Hieronymo à S. Anna lib.* 1 *cap.* 5, *fuiſſe inſtauratum, poſita hac inſcriptione: Ædiculam videns hanc, viator, venerare. Hic eſt ille carcer, quem B. Januarius decoravit. Hæc eſt illa fornax, quæ eundem citra noxam accepit, vegetioremque emiſit. Utrumque locum orbi u-*

Sacella in locis ſupplicii Nolæ & Puteolis.

niverſo celebrem inter præcipuas urbis Nolæ reliquias, temporis injuriâ deformatum, ob repreſſum iterum hoc anno MDCXXXI Veſuvii ſævientis furorem, Joanne Baptiſta Lancelotto pontifice, capitulum Nolanum reſtituit. *De incendio illo Veſuvii actum eſt num.* 160. *Tandem etiam anno* 1689 *ſacello honoratus eſt carcer Puteolanus, quo ſancti Martyres fuerant detenti; ſimiliterque decoratum amphitheatrum, in quo fuerunt feris expoſiti. Inſcriptionem prolixam magis, quàm claram, quæ tunc poſita eſt, recitat laudatus Hieronymus. Ex ea partem huc transfero:* Fr. Dominicus Maria Marcheſius, Ordinis Prædicatorum Puteolanus antiſtes, carcerem pervetuſtum beatorum martyrum Januarii, Proculi & Sociorum, antiquitate clauſum devotioni aperuit *&c.*

Reliquiæ S. Januarii variis locis Neapoli, & in aliis

191 *Reſtat modò, ut recenſeamus reliquias* S. Januarii, *variis locis ſervatas, & necdum à nobis memoratas. Quæ præter jam dictas Neapoli ſervantur, apud Hieronymum lib.* 3 *cap.* 4 *enumerantur hoc ordine. Collegio Neapolitano Societatis Jeſu attribuit dentem molarem; domui profeſſæ ejuſdem Societatis alias nonnullas* S. Januarii *reliquias; alias eccleſiæ SS. Apoſtolorum Ordinis Clericorum Regularium; alias eccleſiæ Nativitatis Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, quæ eſt Congregationis Oratorii. In eccleſia verò monialium Benedictinarum S. Mariæ de Alvino dicit haberi modicum ſanguinis* S. Januarii. *In monaſterio majori Annuntiationis beatiſſimæ Virginis teſtatur conſervari duas oſſis particulas magnitudinis ovi Columbini, quas ſe vidiſſe dicit, quia ſtatua dimidiata, cui includuntur, erat renovanda. Affert deinde argumentum, quo probat, Sancti reliquias veriſimiliter olim etiam fuiſſe in aliqua eccleſia caſtri Neapolitani, quod ab ovo nomen habet. Tum ad-*

adjicit aliqua de nervis S. Januarii, *ſepulcro Cavenſis aræ olim incluſis. Cùm autem plures non aſſignet Neapoli, ad alias tranſibimus regni partes. In Monte Virginis particula cranii ſervatur argenteo capiti impoſita. Brunduſii item* S. Januarii *reliquiæ habentur in ade metropolitana. Rurſum in Turre Græca, oppido jam memorato, dicit particulam* S. Januarii *eſſe in eccleſia Capucinorum. In oppido Principatus Citerioris mari adjacente, quod Caracciolus* Caſtrum maris ad Stabias *vocat, vulgò* Caſtello à Mare, *dicitur conſervari pars coſtæ in monaſterio monialium Ordinis S. Franciſci. De his reliquiis etiam Caracciolus hæc ſcribit:* In monaſterio monialium ſancti Bartholomæi in civitate Caſtri maris ad Stabias os è coſta hujus Martyris ſumma veneratione aſſervatur, & devotè in publicis neceſſitatibus per urbem circumfertur. *Plures in regno Neapolitano memoratas non invenio.*

192 *Præter particulam Romæ jam memoratam, alteram eccleſiæ S. Silveſtri attribuit Hieronymus, conſentiente Piazza in Hemerologio ſacro ad* XIX *Septembris. Dubitat quidem Caracciolus, an illæ ſint* S. Januarii *hodierni; ſed cùm Piazza aſſerat, feſtum celebrari* XIX *Septembris in S. Silveſtri eccleſia in Campo Martio, quæ aliàs cognomen habet* de Capite, *ſatis oſtendit, illas haberi à Romanis pro reliquiis* S. Januarii *epiſcopi Beneventani & martyris. In altari ſanctæ Crucis abbatiæ Windergenſis Ordinis Præmonſtratenſis, & diœceſis Ratisbonenſis in Bavaria, cùm multa aliorum Sanctorum, tum* S. Januarii epiſcopi & martyris, *reliquiæ poſitæ leguntur apud Caniſium tom. 6 Antiquarum lectionum, ut obſervant laudati Caracciolus & Hieronymus, qui veriſimili ratione credunt, eſſe* Januarii *hodierni, ſed nomen abbatiæ miſerè luxârunt.*

quoque civitatibus & provinciis.

Nar-

Narrat denique Hieronymus à S. Anna, quo modo reliquiæ S. Januarii *Pragam pervenerint. Comes Martinitz anno* 1707 *pro Carolo rege, pòst imperatore VI, regnum Neapolitanum administrare cœpit; sed post administrationem non diuturnam reversus est in Germaniam, conceptâ tamen magnâ de* S. Januario *fiduciâ. Declaravit igitur duci Gravinæ, multùm se desiderare* S. Januarii *reliquias, quas dux ille, acceptas à Cardinali Ursino, Pragam ad comitem transmisit, ut liquet ex gemina laudati comitis epistola, quâ duci Gravinæ de iis acceptis gratias agit, declaratque, eas, probante archiepiscopo Pragensi, publicæ venerationi fuisse expositas in ecclesia metropolitana. Hactenus Neapolitani scriptores, apud quos plura de servatis alibi reliquiis* S. Januarii *non invenio. Addam modò ea, quæ ex variis scriptoribus dicenda occurrent.*

§ XIV. Prosecutio de S. Januarii & Sociorum reliquiis, ecclesiis &c.

Pragenses reliquias ab Augiensibus acceptas credunt S. Januarii:

Pragenses longè ante acceptas S. Januarii *reliquias, modò relatas, crediderunt, non modicam* S. Januarii *& Sociorum reliquiarum partem apud se conservari. Etenim Thomas Joannes Pessina in Phosphoro ecclesiæ Pragensis, cujus fuit decanus, pag.* 518 *recensens reliquias Pragenses ad* XIX *Septembris ita habet:* S. Januarii martyris, episcopi Beneventani, & duorum Sociorum martyrum medietas corporum, obtenta à Carolo in monasterio Augiæ Majoris Ordinis S. Benedicti MCCCLIII. *Laudatus scriptor pag.* 433 *recitat litteras Caroli*

IV

IV, regis Romanorum & Bohemiæ, poſtea imperatoris coronati, quibus ipſe enumerat reliquias, quas in variis Sueviæ & Helvetiæ locis anno 1353 *acceperat. Inter illas verò, quas in abbatia Augienſi obtinuerat, has numerat:* Item medietatem corporis B. Januarii martyris, Beneventani epiſcopi, & duorum Sociorum ipſius. *Data eſt illa Caroli regis Epiſtola* Moguntiæ, anno MCCCLIV, Indictione ſeptima, IV Nonas Januarii; *& inferiùs ita ſubſcripta:* Hæc ad majus teſtimonium ego Carolus quartus Romanorum auguſtus rex, & Boëmorum rex, manu mea ſubſcripſi ad perpetuam memoriam. *Hæc nullum relinquunt dubium, quin Carolus IV acceperit partem bene magnam illarum reliquiarum, de quibus ſeculo* IX *ad abbatiam Augiæ divitis delatis diſſerui* § 9. *Verùm, ut ibidem obſervavi, corpus* S. Januarii *tunc erat Beneventi cum corporibus* SS. Feſti & Deſiderii; *totaque Augienſium relatio inſinuat, non Beneventi, ſed* in eccleſia *aliqua* ab accolis deſerta, *reliquias illas fuiſſe inventas. Difficulter igitur credi poteſt, ipſius* S. Januarii *eſſe reliquias, præſertim cùm conſtet, corpora* SS. Januarii, Feſti & Deſiderii *uſque ad annum ſaltem* 1129 *manſiſſe Beneventi, & ad novam eccleſiam tunc fuiſſe tranſlata, ut dictum eſt num.* 143.

194 *Quorum ergo Sanctorum reliquias illas fuiſſe dicemus? Jam dixi* § 9 *de Augienſibus, & iterum dicam candidè, quod mihi veriſimillimum apparet. In Epiſtola Caroli trium ſolùm Martyrum reliquiæ commemorantur. Tres autem ex Sociis* S. Januarii, *nimirum* Proculus, Eutyches & Acutius, *ſimul quieverunt Puteolis. Duorum tamen poſteriorum*, Eutychetis *nimirum & Acutii, corpora circa annum* 770 *Neapolim dicuntur tranſlata, ut expoſui num.* 131. *Verùm, ut jam monui, non videntur omnia illorum oſſa Neapolim delata, cùm*

ſed illæ magis videntur eſſe Proculi, Eutychetis & Acutii.

deinde eorumdem corpora à Germanis fuerint inventa cum corpore S. Proculi. *Etsi enim Joannes Diaconus, qui primus meminit de reliquiis* SS. Eutychetis & Acutii *servatis Neapoli*, corpora *vocet; ex illo loquendi modo inferre non possumus, vel mediam partem illorum corporum Neapolim pervenisse. Itaque verisimillimum sit, magnam* Eutychetis & Acutii *partem cum* S. Proculi *corpore in Germaniam clanculùm fuisse translatam; non item corpus* S. Januarii, *quòd tunc Beneventi erat cum corporibus* SS. Festi & Desiderii. *Verùm necesse non est iterum probare, qua videri possunt* § 9 *abundè probata. Sufficiat itaque dixisse, reliquias illas primùm delatas ad abbatiam Augiensem in Suevia, ibique partem illarum acceptam à Carolo IV, missamque Pragam.*

Alia nonnulla S. Januarii reliquia.

195 *De* S. Januarii *reliquiis non nisi pauca occurrunt addenda, nempe eas attribui ecclesiæ S. Stephani Bononiæ, apud Masinum in Bononia perlustrata pag.* 458, *ad* XIX *Septembris. Papebrochius noster in Itinere Romano Ms. pag.* 108 *ait, se Monachii in sacrario Societatis Jesu vidisse* S. Januarii reliquias in artificiosissima veteris operis capsa. *Non addit tamen, utrùm hodierni sint, an alterius. Sic in Vita S. Guilielmi abbatis Divionensis, ad primum Januarii diem data, num.* 7 *mentio fit de reliquiis in Luciacensi cœnobio servatis, dum dicitur:* In quo etiam veneranda habentur ossa beati martyris Januarii. *At rursum non adjungitur, sintne reliquiæ* S. Januarii *episcopi Beneventani, an martyris cujusdam cognominis. Non dubito, quin & aliæ plures ecclesiæ, imò & persona privatæ, credant se nonnihil de reliquiis* S. Januarii *possidere; sed omnes particulas assignare non est diligentiæ humanæ.*

196 *Transeamus ad* S. Sosium, *cujus corpus cir-*

circa annum 910 *Miſeno Neapolim fuit tranſlatum, ut dictum eſt num.* 138. *Ex Hiſtoria tranſlationis edenda liquet, auguſtum ei templum fuiſſe Miſeni, quod unà cum ipſa civitate everſum eſt circa medium ſeculi* IX, *ſtante tamen parte aliqua, in qua circa annum* 910 *corpus Sancti inventum eſt. Condita fuerat illa eccleſia eodem veriſimiliter tempore, quo eccleſia* S. Januarii extra mœnia, *ſive ante primam corporum tranſlationem. Circa medium ſeculi* VII *ſedebat Calvus epiſcopus Neapolitanus, de quo Joannes diaconus in Chronico hac ſcribit:* Hic inter cetera bonitatis ſtudia S. Soſii non longè ab urbe (*Neapolitana*) oratorium inſtituit, ſic in ſublime erectum, ut univerſa, quæ in circuitu poſita ſunt, conſpicere poſſit. *Plura de illo oratorio non invenio. Corpus Sancti, quando Neapolim tranſlatum eſt, ibidem fuit depoſitum* in altario eccleſiæ, ſancti priùs Severini vocabulo dedicatæ, *qua erat, & etiamnum eſt, monachorum Ordinis S. Benedicti. At eccleſia illa cum adjuncto oratorio deinde dicta fuit,* SS. Severini & Soſii. *Epitaphium utrique poſitum dat Ughellus tom.* 6 *Italiæ ſacræ in Archiepiſcopis Neapolitanis, qui tunc erat Stephanus III, ſed mendosè ibi eſt editum. Datum eſt à Majoribus noſtris in S. Severino tom.* 1 *Januarii pag.* 498 *hoc modo:*

Hic duo ſancta ſimul divinaque corpora patres
Soſius unanimes & Severinus habent.

Altera inſcriptio de ſervatis ſub altari majori iſtis corporibus ibidem videri poteſt. Chioccarellus in Catalogo antiſtitum Neapolitanorum pag. 106 *affirmat,* S. Soſii *corpus in eadem eccleſia uſque ad ſua tempora ſervatum fuiſſe. Hieronymus à S. Anna lib.* 1 *cap.* 12 *idem teſtatur, uſque ad tempora noſtra, additque eccleſiam illam eſſe unam ex præcipuis Neapolitanis, ibique à Benedictinis Caſinenſibus*

Corpus S. Soſii Neapoli in eccleſia Ordinis Benedictini:

fibus festivitatem S. Sosii *magna cum solemnitate & splendore celebrari die* XXIII *mensis Septembris.*

videtur etiam Capuæ cultus fuisse & Romæ.

197 *Memoria* S. Sosii *videtur etiam pretiosa fuisse in ecclesia Capuana, ut jam observavit laudatus Caracciolus sect. 6 ita scribens:* In vetusto camerato absidæ ecclesiæ S. Prisci viâ Aquariâ, Capuanæ diœcesis, visitur ex musivo opere imago multorum Sanctorum, in queis est S. Sosius. *Michaël Monachus, qui in Sanctuario Capuano musivum illud exhibet, pag.* 133 *observat,* S. Sosium *ut juvenem ibi repræsentari, meritóque existimat, non alium esse* Sosium, *quàm diaconum nostrum Misenatem. Et* Sosius *quidem, ut alii plures, bis ibi exhibetur, semel solus ex septem hodiernis Martyribus, iterum in inferiori circulo cum tribus aliis ex nostris hoc modo:* S. Festus. S. Desiderius. S. Eutices. S. Sosius. *Ex hisce autem verisimile est, Sanctum prioribus post martyrium seculis in ecclesia Capuana fuisse cultum. Roma quoque cultum fuisse* S. Sosium, *colligitur ex Anastasio Bibliothecario, qui inter opera S. Symmachi Papæ numerat* oratorium S. Sosii ex argento in confessione. *De hoc oratorio Onuphrius Panvinius in Opusculo de Septem Urbis ecclesiis meminit pag.* 47, *ubi describit basilicam Vaticanam, dicens:* A sinistro verò latere (*basilicæ Vaticanæ*) delubra fuere S. Sosii, S. Apollinaris, & sanctæ Crucis à Symmacho Papa, S. Luciæ à S. Gregorio condita. *Piazza in Hemerologio ad* XXIII *Septembris ex oratorio illo* S. Sosii *suspicatur, ejusdem Sancti reliquias olim Romæ fuisse. De* S. Sosio, *inquit Caracciolus,* extabat olim peculiaris Missa, Oliverii Cardinalis Carafæ, archiepiscopi Neapolitani, jussu edita.

Loca SS. Festo & Desiderio

198 *Ecclesias sibi dicatas habuerunt etiam Sancti duo martyres,* Festus *diaconus, &* Desiderius *lector, patriâ Beneventani, quos conjungam, quia mul-*

multa habent communia. Primùm exigua ipſis exſtructa eſt adicula inter Puteolos & Beneventum in loco, ubi ipſorum corpora quieverunt. In Appendice ad Acta prima dicitur de illo loco; Ubi modò cubiculum velut oratorium eſt, in via, quæ (*à loco martyrii*) ducit Beneventum: in quo loco uſque in hodiernum diem dicitur, quia Sanctorum corpora ibi repauſaverunt. *Ex iis verbis apertè intelligimus, oratorium aut ſacellum aliquod fuiſſe exſtructum in loco, ubi vel ad breve vel ad longius tempus* SS. Feſti & Deſiderii *corpora fuerant depoſita. Si autem auctori illius Appendicis, qui diu pòſt ſcripſit, fidem habeamus; breviſſimo ſolùm tempore ibi fuerunt abſcondita. At ea relatio mihi fabulæ ſimilior videtur, quàm veræ hiſtoriæ. Quapropter magis credo, primam* SS. Feſti & Deſiderii *ſepulturam fuiſſe in loco, ubi illud oratorium exſtitit. Poſt hanc adiculam, tranſlatis corporibus, eccleſia* SS. Feſto & Deſiderio *per Cyphium ſenatorem exſtructa eſt prope Beneventum, in eaque ſacra ipſorum corpora manſerunt depoſita, donec apud* S. Januarii *corpus, quando hoc à Sicone Beneventum fuit delatum, intra civitatem fuerint collocata. De quo fidem facit Hiſtoria tranſlationis inferiùs edenda. Marius de Vipera in Chronologia pag.* 13 *de eccleſia illa ſuburbana* SS. Feſti & Deſiderii *hæc ſcribit:* Et fuit primum templum in Sanctorum hónorem Beneventi erectum. Locus, ubi fuit ædificatum, pro certo non habetur: ſed ex majorum traditione prope ripam fluminis, qui Serretella vocatur, fuiſſe fertur. *Ex illa loci ignorantia abundè liquet, illam eccleſiam dudum fuiſſe deſtructam.*

199 *Eccleſia verò illa, in quam Siconis tempore illata ſunt* SS. Januarii, Feſti & Deſiderii *corpora, licèt ipſis ab initio exſtructa non fuerit, verolim dicata:*

riſimiliter tamen ipſorum nomen diu geſſit, & eccleſia, ad quam anno 1129 *tranſlati fuerunt, eiſdem ab initio exſtructa fuit & dedicata, ut jam dictum eſt. Joannes Diaconus in Chronico Neapolitano in Stephano II refert, Stephanum exſtruxiſſe monaſterium monialium in honorem* S. Feſti. *De hoc monaſterio Chioccarellus in Epiſcopis Neapolitanis pag.* 72, *agens de Stephano II, ſic habet:* Is intra Neapolitanæ urbis mœnia tria conſtruxit monaſteria, in quibus regulares virgines ſub abbatiſſæ diſciplina collocavit, prædiis ampliſque redditibus, ex quibus alerentur, donatis. Sunt autem hæc, ſancti Feſti martyris cœnobium, quod patrum noſtrorum diebus dirutum ſcimus, & ſancti Marcellini monialium monaſterio unitum *&c. Ughellus tom. 6 Italiæ ſacræ epiſcopatum Stephani II extendit ab anno* 764 *uſque ad annum* 797, *dictamque fundationem etiam memorat. Hæc itaque facta eſt vergente ad finem ſeculo* VII, *dum corpus* S. Januarii *erat in eccleſia ſuburbana prope Neapolim.*

eorum reliquiæ. Beneventi colunt ut patroni.

200 *De reliquiis* SS. Feſti & Deſiderii *in Sanctis Beneventanis ad* XXIII *Octobris Vipera breviſſimè loquitur hoc modo:* Corpora SS. Feſti & Deſiderii partim Beneventi, partim in monaſterio ſanctæ Mariæ Montis Virgiliaci. *At veriſimile eſt, longè majorem partem in Monte Virginis, qui olim* Mons Virgilii *dictus fuit, conſervari, quàm Beneventi, quia corpora eò fuerunt tranſlata. Colunt tamen Beneventi unà cum* S. Januario *ad* XIX *Septembris ut patroni. Ad hunc diem enim laudatus ſcriptor hæc de cultu memorat:* Beneventani ſanctos Januarium, Feſtum & Deſiderium in patronos ſibi delegunt, ſummaque celebritate colunt, in eorum feſtivitate à ſervili opere ceſſantes, uti urbis ſuæ patronorum. Extat Officium in ipſorum Sanctorum feſtivitatibus, quo eccleſia Beneventa-

na

na ante Breviarii correctionem utebatur, ubi eorum Acta fusè habentur. *Ex illo ſolùm recito unicam Antiphonam, quæ talis eſt:* O quàm innumeris Beneventum fulget miraculis de Januario, Feſto & Deſiderio, ſuæ ſedis ornatæ* martyribus, ut pios ſemper colat Patronos, quos habuit paſtores. *Falconius pag.* 495 *affirmat, Neapoli in eccleſia S. Mariæ de Sapientia, & S. Pauli Majoris haberi aliquid reliquiarum* S. Feſti; *brachiumque & maxillam* S. Deſiderii *tranſlata fuiſſe Neapolim in eccleſiam Guilielmitarum Montis Virginis.*

* *ferè* ornatum

201 *Reſtant aliqua dicenda de eccleſiis & reliquiis trium Sanctorum Puteolanorum*, Proculi, Eutychetis & Acutii, *qui tempore primæ tranſlationis depoſiti fuerunt in prætorio Falcidii. Dubitare vix poſſumus, quin ipſis ibi exſtructa fuerit eccleſia, additumque monaſterium. Certè S. Gregorius Magnus lib.* 10 *Epiſt.* 61 *noviſſimæ editionis (olim* 39) *memorat* monaſterium Puteolis conſtitutum, quod Falcidis dicitur; *quodque ipſius tempore erat ferè derelictum. Nam ea de cauſa illud in perpetuum ſubjicit Adeodato abbati Neapolitano. Itaque veriſimillimum eſt, hoc monaſterium tempore illo dicatum fuiſſe* SS. Proculo, Eutycheti & Acutio, *ſicut omnes ipſorum Socii aliquam ſibi ſacram habebant eccleſiam. Fortaſſe & in illo monaſterio inventa fuere oſſa, quæ in Germaniam tranſlata diximus* § 9, *& iterum num.* 193. *Attamen non omnia horum Martyrum oſſa in Germaniam avecta ſunt: niſi fortaſſe nihil de* S. Proculo *retinuerint Puteolani. Aliqui ſcriptores dicunt, oſſa* S. Proculi *eſſe Puteolis in eccleſia cathedrali, quæ eidem ut patrono dicata eſt, ut dictum eſt num.* 133: *ſed vaga aſſertione fidem non faciunt. Obſervo etiam de eccleſia cathedrali Puteolana, eam anno* 1634 *fuiſſe inſtauratam ab epiſcopo Puteolano, Martino de Leon &*

Proculus Puteolis patronus, ubi cathedralis ipſi dicata.

Car-

Cardenas; majusque altare tunc consecratum fuisse in honorem sanctorum martyrum Proculi diaconi & Januarii episcopi tutelarium, & reliquias sanctorum martyrum Januarii, Festi, Sosii, Desiderii, sociorum ejus *&c. dicto altari fuisse inclusas, ut habet prolixa inscriptio apud Ughellum editionis Venetæ tom. 6 col. 269. Hæc autem inscriptio nihil habet de inclusis eidem altari* S. Proculi *reliquiis. Falconius pag. 512 asserit, aliquid de reliquiis* S. Proculi *esse Neapoli in ecclesia S. Mariæ de Sapientia.*

Eutychetis & Acutii reliquiæ Neapoli;

202 *De sacris ossibus* SS. Eutychetis & Acutii, *quiescentibus sub ara maxima basilicæ metropolitanæ Neapoli, consentiunt laudatus Falconius & Caracciolus cap. 33, ubi dat eorum translationem, aliique scriptores Neapolitani. Addit Falconius, ecclesiæ domus professæ Societatis Jesu datum esse* S. Acutii *caput; alias ejusdem Martyris reliquias reperiri in ecclesia S. Marci. Erunt verisimiliter & aliæ nonnullæ ecclesiæ, quæ alicujus horum Sociorum reliquias habere se credant; sed longè majoris esset laboris, quàm pretii, omnes particulas scrupulosè investigare. Hieronymus à S. Anna lib. 1 cap. 12 testatur, particularem Missam de* SS. Eutychete & Acutio *fuisse editam curâ Cardinalis Oliverii Caraffæ. Paulò post adjungit, ipsorum festivitatem Neapoli in ecclesia metropolitana celebrari die* XXII *Septembris.*

æger sanatus, apparente S. Acutio.

203 *In Officio S. Agrippini, quod anno 1525 impressum habemus, lect. 9 narratur miraculum, magis ad* S. Acutium *spectans, quàm ad S. Agrippinum. Qua de causa id huic loco innecto:* Quidam nomine Paulus, habitator civitatis Neapolitanæ, dum feciſſet muri circuitum, per gradus, ut ad propria remearet, descendens, labente pede ejus in torturam in nervis cum magno tumore recessit,

&

& in ejus coxam defluxerat. Et dum ſemimortuus in ſuo hoſpitio tolleretur : ibi etenim per multa ſpatia temporis lectulo miſer torquebatur doloribus; & penè jam ſuam paupertatem ſpe ſubventionis medicis prærogaverat: & quantùm fuerat pauper effectus, tantùm ejus infirmitatis flammarum nutrimenta, dolorum ſtridores graſſabantur. Et dum nulla fuiſſet concurrendi fiducia : ſpes unica tandem, ad venerabile corpus B. Agrippini confeſſoris Domini noſtri Jeſu Chriſti à ſuis parentibus eſt perductus: ibique in lacrymis & jejuniis per multum tempus oravit. Affuit ſolita Dei concurſio nocte intempeſta quadam, dum ipſe Paulus jam palpitantia (*habens*) membra (ſpiritus enim parvus in ipſo remanſerat) vocis ſonum audit. Illico perſpiciens, vidit quemdam Juvenem ſtolâ candidâ præfulgentem, in ipſo introitu regiæ dicentem B. Agrippino: Ecce venit Frater tuus : venit Frater tuus. Et poſt puſillum facto ſilentio, denuò vox ejus emiſſa eſt : Ecce venit frater tuus. Acutius, cui B. Agrippinus venire profeſſus eſt : Ecce venio. Hoc peracto, Sanctos Dei invicem ſibi occurrere conſpexit honorantes ſe. Mox enim clamans Paulus cum lacrymis extendit manus ſuas, & dixit: Sancte Dei martyr Acuti, ſalvum me fac. Cui ſanctus Martyr non dedignatus eſt jam cenoſa membra manu ſancta palpare: ſtatimque morbus, qui in ipſo irruerat, in coxa diſruptus eſt, & priſtinæ ſalutis formam recepit; collaudans enim & glorificans inceſſabiliter Deum, qui admirabilis eſt in Sanctis ſuis. *Hactenus Officii auctor, Latini ſermonis non ſatis peritus; ſed lector intelliget, quid voluerit ſignificatum.*

§ XV. Variæ S. Januarii feſtivitates Neapoli, aliaque ad cultum ipſius etiam per totam Eccleſiam ſpectantia : patronus totius regni Neapolitani habetur.

Feſtivitas S. Januarii, die XIX *Septembris Neapoli ſolita celebrari,*

VIx finem invenirem, ſi omnia minutim explicanda ſuſciperem, quæ utcumque conducunt ad oſtendendam Neapolitanorum in S. Januarium *pietatem & amorem. Verùm, cùm geſta Sanctorum magis illuſtremus, quàm populorum, qui eorum patrocinio dignos reddere ſe conantur, recenſere ſolùm hic aggredior varias* S. Januarii *feſtivitates, de aliis generatim aliqua breviter perſtricturus. Prima & præcipua* S. Januarii *feſtivitas celebratur Neapoli, & in univerſali Eccleſia ad* XIX *Septembris. Vetuſtiſſimam hanc eſſe apud Neapolitanos feſtivitatem, ſatis liquet ex Martyrologiis aliiſque documentis, laudatis in hoc Commentario* § 1. *Multis ſeculis continuata fuit Neapoli feſtivitas eo die celebrari ſolita. Attamen Clemens IV nonnihil mutationis induxit per litteras Pontificias,* anno tertio *pontificatus ſui, (inquit Caracciolus ſect.* 23 *) id eſt, anno* 1268, *non* 1267, Viterbii Nonis Januari *datas.*

ad 2 *Maii tranſlata olim fuit, ſed brevi tempore,*

205 *Partem harum litterarum, quas Hieronymus Maria à S. Anna totas recitat lib.* 3 *cap.* 1 *& Chioccarellus in Collectione Ms., huc transfero:* Volentes igitur, *ait Pontifex,* ut B. Januarius apud eccleſiam Neapolis, quæ in ipſius honore dicitur dedicata, in ejus maximè feſtivitate fidelium lau-

laudibus ſolemniter extollatur, attendenteſque, quòd XIII Kal. Octob., quo ſolet hujus feſti ſolemnitas celebrari, ſinguli vindemiarum occupati laboribus, ab eccleſiarum viſitationibus neceſſariò retrahuntur, feſtivitatem eamdem, ut omnes liberiùs in ejuſdem Sancti gloria jubilo devotæ jucunditatis exultent, VIII Id. Maii ſtatuimus de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis in eccleſia prædicta deinceps annis ſingulis celebrandam. *Hactenus Clemens IV. Subjungit deinde Hieronymus Maria à S. Anna, multum ſe quæſiviſſe, ut inveniret, quamdiu Pontificium hoc mandatum fuerit obſervatum. At deſideratam hac de re notitiam invenire ſe non potuiſſe. Falconius* pag. 497 *aſſerit, non placuiſſe Neapolitanis eam feſti tranſlationem, ideoque Aiglerium, Neapolitanum tunc temporis archiepiſcopum, à Clemente IV petiiſſe & obtinuiſſe, ut Sancti feſtivitas utroque die celebraretur. At neſcimus, unde illam notitiam hauſerit Falconius, meritóque dubitamus, an præter conjecturas, quibus non rarò nimiùm indulget, ullum hac de re habuerit fundamentum. Vehementer tamen & ipſe ſuſpicor, feſtivitatem diei* XIX *Septembris aut omino omiſſam non fuiſſe, aut non niſi ad breve tempus.*

206 *Quo autem tempore primùm in Eccleſia Romana Officium aut commemoratio de* S. Januario *fieri cœperit, nullibi expoſitum invenio. Verùm apud Hieronymum Mariam à S. Anna lib.* 3 *cap.* 3 *fusè refertur, quibus gradibus, omiſſa in* Breviarii & Miſſalis reformationibus *feſtivitas* S. Januarii, *reſtituta ſit & excreverit. Sixtus Papa V in bulla, data anno* 1586, *Kalendis Februarii, feſtum ſimplex* S. Januarii epiſcopi & Sociorum ejus, *quod olim uſitatum fuiſſe teſtatur, reſtituit, rationeſque allegat, quas partim huc transfero, latiùs ibi*

In eccleſia univerſali Januarii & Sociorum feſtum die XIX *Septembris,*

videndas. Cujus quidem, *inquit,* beati Januarii ſanctitatem Deus omnipotens multis iiſque clariſſimis editis miraculis ad noſtram uſque ætatem in Neapolitana potiſſimùm civitate, in qua ejus corpus ſepultum religiosè aſſervatur, celeberrimè apud omnes gentes teſtatam eſſe voluit, adeo ut non immeritò, tum in divinis Officiis, tum in ipſo Sacrificio, ab univerſo fidelium cœtu eorum commemoratio fieri debeat, prout ante reformationem Romani Miſſalis & Breviarii fieri conſueverat. *Gregorius XIV anno 1591 Officium* S. Januarii *& Sociorum evexit ad ritum ſemiduplicem, voluitque, ut in regno Neapolitano feſtum eſſet de præcepto. Bulla ejus, data* XX Maii, MDXCI *videri poteſt apud laudatum ſcriptorem. Hic autem ſubjungit, ex laudata bulla Neapolitanis ortam eſſe dubitationem, an ipſi ſimiliter, ut ſit in tota Eccleſia, de* S. Januario *ſimul & Sociis celebrare deberent; ſed prævaluiſſe ſententiam illorum, qui crediderunt, Neapolitanis eo die de ſolo* S. Januario *Officium peragendum, uti ſemper fecerant. Tandem anno 1676, die* VII *Decembris, decretum edidit Innocentius XI, quo præcepit, ut Officium* S. Januarii *& Sociorum ejus per univerſalem Eccleſiam recitetur* ſub ritu duplici, *ut videri poteſt apud Hieronymum Mariam lib.* 3 *cap.* 3; *atque eo ritu feſtum* S. Januarii *& Sociorum etiamnum in Eccleſia peragitur.*

quem martyrii diem plerique credant. Rationes

207 *Neapolitani porrò diem* XIX *Septembris, quo præcipua* S. Januarii *& Sociorum ejus feſtivitas in Eccleſia celebratur, habent ut diem natalitium eorumdem, creduntque ipſos eodem die martyrii coronam conſecutos. Nuperrimè tamen laudatus antè Mazochius ab illa opinione diſſentire cœpit, magiſque credidit, alia de cauſa illum præcipuæ ſolemnitatis diem fuiſſe electum. Hujus opinionem magis mihi videri probabilem, jam inſinuavi* § 1,

&

& iterum § 6, & utroque loco nonnullas addidi rationes. Lubet eas hìc breviter colligere & explicare, ne ſine cauſa videar à communi ferè Neapolitanorum ſententia diſſentire. Primò, ut vidimus num. 1 *&* 2, *ſolus ſine Sociis* S. Januarius *in vetuſtiſſimis Faſtis ad* XIX *Septembris annuntiatur, & quidem Neapoli, quò tranſlatus eſt, non Puteolis, ubi coronatus. Atqui, ſi diem martyrii exprimere voluiſſent martyrologi, videntur & locum & Socios martyrii æquè memorare debuiſſe. Quis igitur non perſpiciat, ſolùm eo die annuntiatum Neapoli fuiſſe* Januarium, *quòd Neapoli illo ipſo die coleretur? Secundò, quemadmodum* S. Januarius *ad* XIX *Neapoli, ita* Soſius *ad* XXIII *Septembris primùm ſolus Miſeni fuit annuntiatus, non quia is eſt dies martyrii, ſed quia prima tranſlatio eo die eſt facta, ut fatentur Neapolitani. Ergo veriſimillimum eſt, eadem de cauſa* S. Januarium *cultum Neapoli & annuntiatum fuiſſe.*

208 *Tertiò, Faſti Hieronymiani, ut dictum num.* XI, Januarium *& Socios Beneventanos cum* Acutio *ad* VII *Septembris annuntiant Beneventi, non alia rurſum de cauſa, quantùm conjicere debemus, quàm quia eo die ibidem fuerunt culti ob tranſlationem* Feſti & Deſiderii: *hanc enim eodem die factam veriſimili admodùm conjectura exiſtimare poſſumus, quia* Beneventi *memorantur, ubi paſſi non fuerunt. Rurſum ad* XVIII *Octobris, quo* Proculum *cum Sociis Puteolanis cultum fuiſſe Puteolis, quoque etiamnum ibidem* Proculum *coli novimus, annuntiantur aliqui ex Martyribus noſtris in civitate Puteolana, quia eo die, ut conjicio, Puteolos tranſlata ſunt corpora* Proculi, Eutychetis & Acutii. *Additur quidem in Actis, quæ nobis miſſa ſunt ex codice Richenovienſi, poſt relatam tranſlationem Puteolos:* Eorumque feſtum

tamen variè magis inſinuant,

diem ſolemnem XIV Kal. Novemb., ipſa eademque, quâ paſſi ſunt, die omni cum devotione celebrandam ſtatuerunt; *ſed ideo non credent eruditi Neapolitani, revera paſſos eſſe Martyres noſtros die* XIX *Octobris: nam illorum Actorum interpolator non ſatis antiquus eſt ad fidem nobis hac de re faciendam. Scripſit nimirum ille, quæ reliquiarum tranſlator Puteolis audiverat, & ſolùm docere nos poteſt, qualis eſſet ſeculo* IX *apud Puteolanos opinio de die martyrii.*

non martyrii, ſed tranſlationis

209 *Quartò tamen ex dictis obſervo, Puteolanos non minore jure, ſi vellent, contendere poſſe pro* XVIII *aut* XIX *Octobris, quàm Neapolitanos pro* XIX *Septembris, imò & ſuperiores hac ex parte videri, quia Sancti Puteolis paſſi ſunt, ideoque ipſo die martyrii, ſi hic martyrologis innotuerit, Puteolis annuntiari debuerunt, non Neapoli, non Beneventi. Verùm meo quidem judicio fruſtra de martyrii die contendent tam Puteolani, quàm Neapolitani, quia dies ille videtur fuiſſe ignotus, quando Sanctorum noſtrorum corpora primùm ſunt tranſlata. Certè in Actis altum de martyrii die eſt ſilentium, nec modò in Actis primis, ſed etiam in ſecundis, reliquiſque poſterioribus, & in Breviariis Neapolitano & Beneventano. Quintò, omnes civitates, quæ unum aut plura ex corporibus horum Sanctorum acceperunt, diverſum ſtatuerunt feſtivitatis diem, cùm tamen omnes ſimul ſint paſſi, nimirum Neapolitani* XIX *Septembris, Beneventani* VII, *Miſenates* XXIII *ejuſdem menſis, & Puteolani* XVIII *Octobris. Ex quatuor igitur civitatibus tres certò non coluerunt Sanctos ſuos ipſo martyrii die, ſed veriſimiliter die tranſlationis: cur itaque idem non credamus de omnibus quatuor, præſertim cùm diem martyrii videantur ignorâſſe, ut jam obſervavi?*

210 *Sextò demum obſervo, non alio die prio-*

ri-

ribus poſt martyrium ſeculis Neapoli cultum fuiſſe S. Januarium, quantùm novimus, quàm die XIX Septembris, qui in Appendice ad Acta prima, & in reliquis Actis & antiquis Breviariis ſolus cultui ipſius aſſignatur. Ergo aut dies martyrii, aut tranſlationis dies Neapoli ſine feſto relictus eſt. Hoc autem credibile non eſt de die tranſlationis, cùm hic ignorari non poſſet. Itaque veriſimile rurſum fit, diem martyrii, quia ignotus erat, ſine cultu relinqui debuiſſe. In Calendario Neapolitano nuper invento ad XIII Aprilis legitur: Tranſlatio beati Januarii. Sabbatinus locum intelligit de S. Januario hodierno, creditque, annuntiari tranſlationem primam è Marciano Neapolim. Idem ſuſpicatur Mazochius in Annotatis ad Acta à ſe edita pag. 280. Ego verò exiſtimo, non agi de S. Januario noſtro, ſed de alio quopiam. Cùm enim Calendarium illud Sanctos ex toto orbe Chriſtiano contineat, multique inter illos ſint Januarii; cur credamus, illum eſſe Januarium Neapolitanorum patronum, cùm nulla uſpiam fiat mentio de aliqua ejus feſtivitate die XIII Aprilis celebrata? Plura Martyrologia Hieronymiana ad XIII Aprilis Januarium aliquem ſine loco memorant. Rhinovienſe verò & Richenovienſe illum diſertè Romæ attribuunt. Rabanus tandem de eo ſic habet: Romæ in cœmiterio tranſlatio Januarii martyris. Hæc ſufficiunt, ut credamus, in laudato Calendario non agi de S. Januario noſtro; licèt hic locus non exigat, ut alterum illum curioſiùs inveſtigemus. Quare dictum Calendarium obeſſe nequit, quo minùs exiſtimemus, S. Januarium coli apud Neapolitanos cœpiſſe die XIX Septembris ob tranſlationem corporis ad eccleſiam Neapolitanam extra mœnia dictam. De die martyrii abundè diſſerui § 6, quæ à ſtudioſo lectore conſuli poterunt. De Octava & de aliis ad ſummam

illum eſſe diem.

hanc

hanc ſolemnitatem ſpectantibus plura venient dicenda, dum agetur de capite & ſanguine S. Januarii.

Altera feſtivitas Dominicâ primâ Maii,

211 *Altera* S. Januarii *feſtivitas, multò ſeriùs inchoata, Neapoli modò celebratur mobili die, nempe primâ Dominicâ menſis Maii. De hac Caracciolus ſect.* 23 *ita ſcribit:* Fiebat hæc ſolemnitas ipſo Maio menſe. Suſpicor autem olim celebratam fuiſſe ipſis Kalendis Maii, quibus prima vice tranſlatum fuit corpus à beato Severo, ad cujus inſtar feſtivitatis decens erat & iſtam celebrari. Poſtea verò, ut celebrior eſſet ſolemnitas, tranſlatam fuiſſe à Kalendis ſtatis ad mobilem diem primæ Dominicæ. *De ritu feſtivitatis & cauſa auctor hæc præmiſerat:* Feſtivitatem occurſûs capitis cum pretioſo Martyris ſanguine archiepiſcopus olim pro ſuo libito, in qua volebat eccleſia, inſtituebat.... Ad quam celebritatem non clerici ſolùm, ſed & abbates & epiſcopi ſuffraganei conveniebant. Clerici, inquam, caput redimiti roſeis corollis, vel ex aliis floribus intertextis, ſicuti olim factum fuerat in prima tranſlatione ex Marciano campo Neapolim. *Addit auctor, abrogatam eſſe conſuetudinem coronandi floribus caput.*

quâ corpus tranſlatum nonnulli dicunt:

212 *Ex verbis verò allegatis abundè liquet, iſtam feſtivitatem ab ipſo haberi pro feſto primæ tranſlationis, cujus tempore ſanguis* S. Januarii *ad occurſum capitis prima vice fuit liquefactus, ſi credimus traditioni populari, quam hodie eruditi non admittunt. Aſſerit quidem tranſlationem iſtam Kalendis Maii fuiſſe peractam: ſed non explicat, quàm vetuſtum ſit iſtud feſtum. Poſt Tutinum cap.* 15 *Hieronymus Maria à S. Anna lib.* 3 *cap.* 2 *affirmat, non modò feſtum tranſlationis è Marciano Neapolim Dominicâ primâ Maii hoc tempore celebrari, ſed clarè etiam edicit, illâ ipsâ Dominicâ tranſlationem factam, & miraculum li-*

que

quefacti ad capitis occurſum ſanguinis tunc contigiſſe. Mitto alios ſcriptores, idem ferè aſſerentes, quia ſcriptores oppugnare non lubet, ſed verum inveſtigare.

213 Quod ſpectat ad cauſam feſtivitatis illius, libenter aſſentior, Dominicâ primâ Maii tranſlationem corporis è Marciano Neapolim celebrari; at falli Caracciolum, Tutinum, alioſque, qui crediderunt menſe Maio tranſlationem peractam, mihi ſic perſuadeo, ut ne probabilem quidem eam opinionem exiſtimem. Ratio petitur partim ex antè dictis, partim ex ſilentio omnium antiquorum de ſolemnitate illa menſis Maii. Vidimus num. 205 feſtivitatem S. Januarii anno 1268 per Clementem IV, Pontificem Maximum, à die XIX Septembris tranſlatam fuiſſe ad VIII Idus Maii. Itaque ante annum 1268 non celebrabatur Dominicâ primâ Maii dicta feſtivitas: neque enim credibile eſt, Pontificem fixurum fuiſſe alteram ejuſdem Sancti feſtivitatem ſic prope alteram, ut aliquando duobus diebus conſequentibus fuiſſent celebranda. Hoc, inquam, incredibile eſt, ideoque prorſus improbabile, ullam tunc fuiſſe feſtivitatem S. Januarii Dominicâ primâ Maii, præſertim cùm de hac nullus ſcriptor antiquus umquam meminerit.

verùm hæc tranſlationis feſtivitas orta eſt,

214 Itaque ex hac feſti tranſlatione ortum eſt illud tranſlationis feſtum, quòd Neapolitani noluerint diem XIX Septembris ſine ſolemnitate relinquere. Aſſerit Falconius pag. 496, eodem etiam anno celebratam feſtivitatem diei XIX Septembris, conſentiente Pontifice. Verùm cùm probationem non alleget, dubium id relinquere malo. At res ipſa docet, ex una geminam ortam eſſe feſtivitatem, alteram, quâ celebratur Sancti martyrium, alteram tranſlati Neapolim corporis. Pro hac ſolùm dies VIII Maii mutata eſt in Dominicam primam

quia primarium feſtum ad 8 Maii erat tranſlatum.

ejusdem mensis. Verùm nulla ratione hinc inferrì potest, translationem contigisse die VIII *aut Dominicâ primâ Maii. Quin potiùs perspicimus, quàm parum tribuêre possimus opinioni Neapolitanorum de die martyrii, cùm illa similiter ex sola festi celebratione videatur exorta. Ceterùm illa quoque translationis festivitas celebratur per octo dies ab anno* 1692, *concedente Octavam Innocentio XII per decretum anni* 1691: *de ea redibit sermo, ubi agetur de sanguine.*

Tertia festivitas die XVI *Decembris: festum menstruum:*

215 *Tertium* S. Januarii *festum celebratur die* XVI *Decembris, sed in sola ecclesia metropolitana, & sine Octava. Vocatur id* Patrocinium, *sive* festum Patrocinii S. Januarii, *institutumque fuit ob extinctum anno* 1631 *Vesuvii incendium, de quo egi num.* 160. *De hac festivitatis institutione ob prædictum beneficium testem se præbet Tutinus, cujus Opusculum anno* 1633 *est impressum, cap.* 10 *pag.* 50, *eique assentiuntur alii posteriores, ut mirer, de illius festi institutione nihil legi apud Caracciolum § 23, ubi annuas festivitates exponendas susceperat. Laudatus tamen Caracciolus ibidem de menstrua* S. Januarii *festivitate sic loquitur (post Tutinum pag.* 50 *eadem referentem:)* In Constitutionibus synodalibus, à Gaspare de Diano archiepiscopo Neapolitano editis, statutum fuit, ut singulis mensibus semel Officium de S. Januario ritu duplici celebraretur; nempe XXIV Januarii, IV Februarii, II Martii, XXVII Aprilis, primâ Dominicâ mensis Maii de Translatione, primâ Junii, XIV Julii, XXIII Augusti, XIX Septembris de martyrio cum Octava, VI Octobris, VII Novembris, & XVI Decembris, in qua funesta die deploranda illa conflagratio anni MDCXXXI contigit. *Tutinus constitutionem illam refert ad annum* 1440, *quo revera data est die* XVIII *Novembris. At impres-*

preſſam anno 1442, *ut ait Hieronymus Maria à S. Anna lib.* 3 *cap.* 3, *ubi totam recitat, non facilè credam, cùm ars imprimendi necdum eſſet in uſum inducta. Quidquid verò ſit de tempore impreſſionis, obſervo in ipſis litteris, prout in utraque editione impreſſas ante me habeo, omitti menſes Martium & Aprilem, pro* VII Novembris, *legi* XVII Novembris. *At omiſſio* Martii *&* *Aprilis errore typographico facta fuerit: nam in illo Opere non pauca invenio menda typographica. In Ms. Collectione Chioccarelli, ex qua eaſdem litteras habemus, etiam legitur* XVII Novembris *pro* VII, *ſed menſes omnes enumerantur, ut habet Caracciolus. Litteræ autem non ſunt datæ ab ipſo archiepiſcopo Gaſpare de Diano, ſed ab ejus vicario generali Antonio Angeli, canonico eccleſiæ Neapolitanæ & Decretorum doctore.*

216 *Ordinavit præterea in dictis litteris laudatus vicarius archiepiſcopi, ut fieret quotidie* collecta *de* S. Januario *in Officio, exceptis tamen diebus, quibus collecta non fiunt. Rationem augendi cultum* S. Januarii *his verbis allegat:* Cùm autem inter martyrum turmas glorioſiſſimum antiſtitem Januarium, eximiis miraculis extrenue * decoratum, noſtrum ſentiamus eſſe primum patronum, hujuſque almæ civitatis atque ejus civium favorabilem defenſorem, qui velut ſtella matutina inter angelorum agmina irradiat, & pro clero ſuoque populo affluenter deprecari ac effundere preces non deſinit: (hæſitari enim à nemine debet, hanc Neapolitanam civitatem ejus clypeo ſedulò protegique, muniri*) ideo ejus altiſſimum feſtum *&c. Plura ibidem videri poſſunt de ritibus in menſtruo illo Officio obſervandis. At nec apud allegatum auctorem, nec apud alios inveni, quanto tempore menſtrua illa feſtivitas fuerit continuata. Certò fuit deinde abrogata. Rurſum tamen*

collecta quotidiana: aliud Officium menſtruum.

* *fortè* extremè

* protegi munirique

anno 1691 *Innocentius XII conceſſit clero eccleſiæ metropolitanæ, ut liceat ſemel ſingulis menſibus* die non impedita Officio novem lectionum, *&* exceptis diebus Adventûs & Quadrageſimæ, *recitare Officium de* S. Januario ſub ritu ſemiduplici, *ſicut legitur in ipſo decreto apud biographum laudatum.*

alia tranſlationis feſtivitas olim celebrata XIV *Januarii.*

217 *Alia* S. Januarii *feſtivitas olim celebrata eſt menſe Januario, quia corpus Sancti anno* 1497, *die* XIII *Januarii, è Monte Virginis Neapolim tranſlatum eſt. Feſtivitas tamen non* XIII, *ſed* XIV *Januarii celebrabatur, ut aſſerit Tutinus pag.* 125, *ubi ex catalogo Sanctorum, quorum feſta per totam diœceſim Neapolitanam erant celebranda, compoſito per Decium Cardinalem Carafam, archiepiſcopum Neapolitanum, in concilio anni* 1619, *affert hæc verba:* XIV Januarii. Secunda tranſlatio ſacri corporis S. Januarii è monaſterio Montis Virginis Neapolim. Duplex. Fit idem prorſus Officium, atque in prima Tranſlatione Dominicâ primâ Maii. *Conſentit hiſce laudatus Hieronymus Maria à S. Anna, aitque, invenire ſe non potuiſſe, quo tempore fuerit abrogatum. Vocatur autem* ſecunda Tranſlatio, *quia eâ corpus ſecunda vice Neapolim delatum eſt, licèt aliàs fuerit quarta aut quinta. De Officiis propriis, quæ approbavit ſacra Rituum congregatio anno* 1624, *& Clemens Papa XII anno* 1731, *ne ſim prolixior, conſuli ulteriùs poteſt Hieronymus Maria cap.* 3.

Variæ S. Januarii feſtivitates Beneventi.

218 *Addo ſolùm, Beneventanos ſimiliter celebrare varias* S. Januarii *feſtivitates, nimirum primarium feſtum ut Patroni magna cum ſolemnitate die* XIX *Septembris. Tum feſtum tranſlationis, quâ ipſorum majores olim* S. Januarii *corpus acceperant, Officio ritus duplicis die* XXIII *Octobris: ipſiſque etiam anno* 1710 *à ſummo Pontifice conceſ-*

ceſſum eſſe feſtum menſtruum de S. Januario *patrono ſuo. Demum, ut alia mittam antè dicta, feſtum* S. Januarii *die* XIX *Octobris peragitur in abbatia Rhinovienſi in Helvetia, ut dictum eſt num.* 129.

S. Januarius multis ſeculis Neapoli patronus primarius.

219 *Pauca modò breviter dicenda ſunt de patrocinio* S. Januarii *apud Neapolitanos. Nullum eſt dubium, quin* S. Januarius *inter patronos urbis Neapolitanæ fuerit ab eo ſaltem tempore, quo ſacrum ipſius corpus è Marciano Neapolim delatum eſt, id teſtante Appendice ad Acta prima. Caracciolus ſect.* 21 *obſervat, prioribus ſeculis præcipuos Neapolitanorum patronos fuiſſe S. Agrippinum epiſcopum Neapolitanum, qui multo antiquior eſt, &* S. Januarium; *ſed hiſce poſterioribus ſeculis plures alios acceſſiſſe. Verùm, licèt patronorum numerus non mediocriter fuerit auctus, ex multis tamen liquet, jam à pluribus ſeculis primarium patronum eſſe* S. Januarium. *Verumtamen honor ille* S. Januario *tantùm non fuit ereptus, aut potiùs, ſi Falconio credimus, anno* 1640 *ad tempus ablatus eſt, datuſque S. Dominico, inſtitutori Ordinis Prædicatorum. Verùm in Bulla Urbani VIII, quam datam anno* 1640, *die* XXIII *Auguſti, exhibet Bullarium Prædicatorum tom.* 6 *pag.* 109, *S. Dominicus tantùm conſtituitur patronus civitatis & regni Neapolitani, & necdum protector primarius. In Bulla verò Innocentii X, data anno* 1654, *die* XVIII *Decembris, ibidem pag.* 173 *edita, ſtatuitur, ut feſtum S. Dominici in regno Neapolitano ſit ab opere feriatum; ſed nec ibi fit mentio de conſtituto ipſo primario patrono. At ibi ſubditur decretum Sacrorum Rituum congregationis, datum anno* 1651, *die* XXIX *Aprilis, ubi non ſolùm declaratur* ejus feſtum ex præcepto, *ſed etiam celebrandum* cum omnibus præ-

rogativis principaliori patrono debitis.

ubi electus erat S. Dominicus, excitatâ controversiâ,

220 *Eo ferè tempore, opinor, inchoata est controversia inter Neapolitanos & Prædicatores, uter esset patronus primarius civitatis & regni Neapolitani*, Januariusne *an Dominicus*; *quam litem ab anno* 1640 *perperam orditur Falconius pag.* 513. *Etenim Neapolitani ipsi S. Dominicum elegerunt patronum, nec verisimile est, ipsos egrè tuliſſe quemcumque honorem novo patrono collatum, quamdiu* S. Januarius *non dejiciebatur de antiqua possessione. Verùm exaltatio S. Dominici paulatim incipiebat* S. Januarium *deprimere, ut liquet ex Declaratione S. R. Congregationis, data anno* 1658 *ad interrogata archiepiscopi Tarentini in laudato Bullario pag.* 188. *Petebat archiepiscopus*, an, *instituto festo S. Dominici in toto regno Neapolitano*, sit unà simul in eodem regno continuandum præceptum in festo S. Januarii, de quo tanquam de protectore regni hactenus festum celebrari consueverat... Et sacra Congregatio respondit, S. Januarium esse protectorem civitatis Neapolitanæ tantùm, & non totius regni: idcirco de eo, tamquam de patrono regni non licuisse, nec licitum, alicubi festum celebrare. *Hæc declaratio, opinor, secutaque verisimiliter festi in variis regni locis omissio excitavit Neapolitanos, licèt aliàs S. Dominico etiam addictissimos, ut ereptum* S. Januario *honorem curarent restituendum.*

confirmatur primarius patronus totius regni,

221 *Hoc demum perfecerunt anno* 1663, *Pontificatum adhuc gerente Alexandro VII. Nam eo anno à sacra Rituum congregatione obtinuerunt decretum, quod Hieronymus Maria à S. Anna lib.* 3 *cap.* 3 *recitat hoc modo:* Propositis de ordine Sanctissimi in sacrorum Rituum congregatione controversiis inter deputatos Thesauri S. Januarii & Fratres S. Dominici, cuinam ipsorum debeatur

pa-

patronatus principalis regni Neapolis, ſanctone Januario vel potiùs ſancto Dominico; eminentiſſimi Patres bene ac maturè perpenſis hinc inde deductis, cenſuerunt deberi D. Januario, ac proinde feſtum de præcepto, tamquam de principaliori Patrono regni Neapolitani, fieri debere per totum regnum de dicto S. Januario epiſcopo & martyre, non obſtantibus litteris Apoſtolicis, datis die XXIII Auguſti MDCXL, cæteriſque decretis ejuſdem Congregationis, ſi ita Sanctiſſimo viſum fuerit. Hac die IV Auguſti MDCLXIII. Et facta de prædictis relatione per me ſecretarium Sanctitas ſua annuit, approbavit, & ſervari mandavit: hac die VIII Auguſti MDCLXIII. *Subſcriptum erat:* M. Cardinalis Ginittus. *Et inferiùs:* Bernardinus Caſalis S.R. Congreg. Secr.

probante Alexandro VII.

222 *Neapolitani necdum hoc decreto cauſam* S. Januarii *ſatis in tuto poſitam crediderunt, ideoque rogârunt Alexandrum VII, ut decretum S. R. Congregationis litteris Apoſtolicis confirmaret; uti revera ad preces ipſorum fecit Pontifex per Litteras Apoſtolicas, datas* Romæ die XX Martii MDCLXV, *quæ ibidem videri poſſunt. Alias jam anno* 1664, *die* XXVIII *Junii, litteras Apoſtolicas dederat Alexander VII, editas in laudato Prædicatorum Bullario pag.* 209, *quibus utrique parti omnino ſatisfecit, quantùm exiſtimo. Pauca ex iis tranſcribo:* Cùm itaque ea ſemper fuerit erga S. Januarium dilectorum filiorum populi Neapolitani religio, ut quamvis idem populus S. Dominicum confeſſorem in totius regni patronum duxerit aſſumendum, eum tamen S. Januario digniori patrono, utpote martyri pontifici, præferendum numquam aſſenſerit, proindeque Congregationi venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, ſacris ritibus præpoſitorum, iterum atque iterum

rum ſupplicaverit, ut debitas S. Januario martyri & pontifici patronatûs regni præeminentias decerneret; & eadem Congregatio ſupplicationibus hiſce die IV Auguſti MDCLXIII benignè ſubſcripſerit *&c. Deinde Pontifex concedit deſiderantibus Neapolitanis, ut eo modo, quo cœperant, feſtum S. Dominici celebrare pergant.*

§ XVI. De numiſmatis aliquot in honorem S. Januarii cuſis.

Numiſmata varia in honorem S. Januarii cuſa.

NUmiſmata *in honorem* S. Januarii *cuſa varii exhibuerunt impreſſa. Ego ea recudere non ſtatueram, ſed ſolùm apud alios aſſignare, quia nullibi invenio ea ſine ullis mendis edita. Cùm tamen ex collectione Chioccarelli pleraque mihi tranſmiſſa ſint, eruditique Neapolitani deſiderare videantur, ut omnia à nobis recudantur, ſententiam mutavi, atque incidenda curavi, atque hoc loco recudenda. Sex ex iis primus repræſentavit Tutinus, nimirum quinque cap.* 9 *& ſextum cap.* 10. *Quinque priora habeo etiam ex collectione Ms. Chioccarelli, ubi planè conformia ſunt impreſſis à Tutino. Omnia rurſum recuſa ſunt anno* 1733 *in Vita* S. Januarii *aucta lib.* 3 *cap.* 6, *ſed magis mendosè; additumque ibi ſeptimum, quod anno* 1707 *cuſum. Muratorius tom.* 2 *Antiquitatum Italicarum medii ævi col.* 621 *&* 622, *omiſſo recentiore illo, ſex alia expreſſit cum duobus à ſe ſuperadditis. Ibidem autem ita præfatur:* Inclyta quoque civitas Neapolis, ab antiquitate, amplitudine, ac venuſtate ſummè commendanda, & nunc no-

nobiliſſimi regni caput, quam ſibi ſubjicere (*ad longum videlicet tempus, ne ſui immemor videatur auctor*) nulli umquam licuit Langobardorum regum & principum Beneventanorum, jus monetæ ab antiquis ſeculis ſervat, eoque uſi ſunt duces, ſive magiſtri militum, ibi dominantes, de quibus actum eſt in Diſſertatione v de Ducibus. Nummos nonnullos ab iis percuſſos congeſſit, & mihi ſuppeditavit N. V. Ignatius Maria Como, patricius Neapolitanus, humaniorum litterarum cultor egregius, & ſingularis amicus meus.

224 *Allegata verba inſinuant, numiſmata non expreſſa à Muratorio ex impreſſis exemplaribus, ſed ex ipſis prototypis. Hac de cauſa chalcographum noſtrum ſcalpere juſſi exemplaria, prout data ſunt à Muratorio. Singulis autem ejus obſervationes præmittam; meas verò aut annotationes aut correctiones ſubjungam. Itaque de primo nummo ille ſic orditur:* Primus æreus, incertum eſt, quo tempore fuerit cuſus. Ibi effigies viſitur S. Januarii martyris, ac celeberrimi Neapolitanorum patroni, cum litteris SCS IAN. In poſtica crux cum litteris S T, id eſt, SALUTIS TROPHÆUM. Mentionem hujus nummi fecerunt ſcriptores Neapolitani, Hieronymus de ſancta Anna Carmelita excalceatus in Vita ſancti Januarii, Tutinus, Caracciolus, & alii. *Primus.*



Nummus hic eodem modo expreſſus eſt apud Tutinum, Chioccarellum in Mſ., & in antiqua Vita

Hieroymi de S. Anna, exceptâ tamen modicâ vultûs S. Januarii *& veſtis differentiâ. Tutinus & Chioccarellus crediderunt litteris* S. T., *ab utraque crucis parte poſitis, ſignificari* Sanctam Trinitatem. *At eam explicationem rejecit Caracciolus cap. 20 ſect. 24 ut minùs probabilem, & ſubſtituit hanc:* Salutis trophæum. *Hanc expoſitionem, utpote Cruci congruam, meritò ſecuti ſunt Hieronymus de S. Anna lib. 3 cap. 4, & laudatus Muratorius. Hunc nummum anno 660 cuſum fuiſſe, ſcripſit Tutinus, allegans Hiſtoriam Neapolitanam Capacii.* Sed Capacius id numquam aſſeruit, *de illo videlicet nummo, ait Caracciolus. Itaque fatendum eſt, illum eſſe incerti temporis; & procul dubio longè minùs vetuſtum.*

Secundum,

225 *Ad ſecundum ita procedit Muratorius:* Secundus æreus quoque, quo anno percuſſus fuerit, ignotum prorſus eſt. Ibi ejuſdem ſancti Martyris effigies conſpicitur cum litteris SC. IA. In poſtica crux cum litteris Græcis NEAΠOAIC, id eſt, NEAPOLIS.



Dictus nummus eodem rurſum modo apud alios expreſſus eſt, excepta modica vultûs & veſtium diverſitate.

tertium malè expoſitum à Muratorio,

226 *De tertio ita differit Muratorius:* Tertius pariter æreus effigiem perhibet ejuſdem Sancti, cujus è collo pendet ſtola cum litteris in pectore SIS, quas, donec alii propiora vero me doceant, interpretari liceat SANCTUS JANUARIUS. In lim-

bo

bo legitur Απος. Ιανουαριος, litteris, ut nunc dicimus, curſivis, id eſt, ut conjicio, APOSTOLUS JANUARIUS. Sed cur ſanctum illum Martyrem titulo Apoſtoli donare voluerint Neapolitæ, divinare nondum potui. In poſtica epigraphe viſitur, rudibus Græcis litteris efformata, hoc eſt, λυρωτὴς τῆς πόλειος ἀπὸ τὸ πυρός. Communis Neapolitanorum ſententia eſt, deſignari his verbis liberationem urbis ab immani incendio montis Veſevi. Vide tamen, quàm bene ſcripta fuerint, Λυρωτὴς & Πόλειος. Quod certum mihi videtur, accentus ac ſpiritus appoſiti, ipſique errores & forma characterum, non multam nummi antiquitatem produnt.





Verùm ejuſmodi ratiocinia non indicant magnam linguæ Græcæ peritiam, cùm ejus defectu plures hìc accumulati videantur errores. Certè ego dubitare nequeo, quin in limbo nummi malè legat Muratorius, Αποςο Ιανουαριος. *Nam Græcum π ibi non habetur, ſed γ eſt & ι, ex quibus conjunctis ferè exſurgit Latinum p, ut exprimitur apud Muratorium, non Græcum π. Ultima verò littera ο, quam prima voci addidit, eſt articulus Græcus, ut clarè legendum ſit* αγιΘ- ο Ιανουαριος Sanctus Januarius. *Quod legitur in poſtica, nihilo rectiùs expoſuit Muratorius, dum voces dedit nihil ſignificantes pro veris, quas ibi inveniſ-*

ſet, ſi lingua Græca ſatis fuiſſet peritus. Etenim ſic legenda eſt pars illa: λυτρωτὴς τῆς πόλεως ἀπὸ τοῦ πυρός, *ad litteram*, Redemptor urbis ab igne.

ex Tutino exhibetur;

227 *Voces datæ paulò clariùs exprimuntur in eodem numiſmate, prout datum eſt à Tutino, quod hac de cauſa hic recudo.*



Qui novit linguam Græcam, voces jam datas haud difficulter hîc inveniet. Dubitare quoque non poſſum, quin litteræ meliùs hîc ſint expreſſæ, quàm apud Muratorium. Nam apud ipſum quædam litteræ, quas etiam rectè legit, corruptæ ſunt, & ad formam Latinam traductæ in antica, ut veriſimillimum ſit, in poſtica ſimiliter corruptas eſſe aliquot litteras Græcas. Vel ſic tamen omnes litteræ in figura ab ipſo datæ etiam cognoſci poſſunt, exceptâ forſan littera τ in voce λυτρωτὴς. Nam pro hac litterâ aliquid expreſſit, quod non agnoſcerem, niſi ex figura per Tutinum data τ clarè innoteſceret. In Opere Hieronymi de S. Anna auctо eadem vox alio prorſus modo vitiosè expreſſa eſt; ſed plura alia ibidem ſunt corrupta.

hoc cuſum videtur ob patrocinium Sancti contra eruptiones Veſuvii;

228 *Ex dictis porrò liquet, optimè fundatam eſſe ſententiam Neapolitanorum, nummum fuiſſe cuſum in memoriam repreſſarum patrocinio S. Januarii eruptionum montis Veſuvii, præſertim cùm conſtet, ejuſmodi beneficium S. Januarii patrocinio ſæpiùs impetratum fuiſſe. Quod ſpectat ad rationes*

nes Muratorii, antiquitatem non multam nummo attribuentis; accentus & ſpiritus appoſiti *non evincunt, ſeculo* VIII *poſteriorem eſſe, cum illorum uſus jam cœperit ſeculo* VII, *ut variis locis aſſerit Montfauconus in Palæographia Græca. Quod verò de erroribus dicitur, potiùs ex errore profectum videtur, quàm verè objectum. Forma tamen litterarum mihi etiam magis accedere videtur ad hodiernum ſcribendi uſum, quàm ut exiſtimare valeam, nummum illum fuiſſe cuſum ante tranſlationem corporis S.* Januarii *Beneventum, ideoque auſus non ſui illum referre cum Tutino ad incendium Veſuvii num.* III *relatum. Præterea, teſte Glyca lib.* 4, *Joannes Zimiſches, imperator Græcus, primus juſſit Jeſu Chriſti effigiem in nummis exprimi, idque factum circa annum* 975, *ut veriſimile non ſiat, Sanctos ante id tempus in nummis fuiſſe expreſſos. Quare nummus ille cuſus non videtur ante ſeculum* XI *aut* XII, *aut certè ante ſeculum* X *ferè finitum: & fortè etiam recentior eſt. Vel ſic tamen cudi potuit ob exſtincta Veſuvii incendia, ut habet inſcriptio. Ceterùm, quid ſignificent littera* SIS, *in pectore S.* Januarii *expreſſa, fateor me ignorare. At iis certò non ſignificatur* Sanctus Januarius, *ut ſuſpicatur Muratorius, cùm eadem in ſeptimo nummo ſimiliter compareant in pectore S. Athanaſii.*

229 *Ad quartum nummum Muratorius hac obſervat:* Quartus aureus eumdem ſanctum Januarium exhibet ſtolatum, cum litteris SIS in pectore, & in limbo SANCTUS JANUARIUS. Poſtica crucem habet cum epigraphe Græca NEOΠΟ-ΛΙΤΑΝ, ubi Λ pro Ω fuit impreſſum: hoc eſt NEAPOLITANORUM. *quartum nummum;*



Numiſma illud eodem modo apud omnes expreſſum eſt. Correctio Muratorii neceſſaria non eſt, ſi in ipſo nummo legatur NEOΠOΛITAN *: nam illud dialecto Dorica idem ſignificat, quod* Νεοπολιτῶν. *Si quis conſulere voluerit numiſmata vetuſta Siciliæ & Magnæ Græciæ apud Goltzium, eamdem dialectum inveniet in variis nummis antiquis, & leget ibi* Ταυρομενιτᾶν, Παυορμιτᾶν, *&c.* Tauromenitanorum, Panormitanorum *&c.*

quintum de cujus tempore dubitatur,

230 *De quinto hæc ſcribit Muratorius:* Quintus æreus effigiem parùm à præcedenti abſimilem præfert cum litteris SCS. IANU. In averſa facie viſitur imago Sergii ducis Neapolitani, globum terraqueum, cruce ſuperpoſita ornatum, ſiniſtrâ geſtantis. Additur & aſteriſcus. Ad latera diſpoſitæ ſunt litteræ SERGIU DUX. Uti me monuit prælaudatus Como vir doctiſſimus, multa eſt inter ſcriptores Neapolitanos concertatio, cui tribuendus ſit hic nummus. Quinque enim ejuſdem nominis Sergii duces Neapoli imperârunt. Franciſcus de Petris in Hiſtoria Neapolitana, & nuper memoratus P. Hieronymus de ſancta Anna cenſent, Sergium eximium principem, S. Athanaſii Neapolitani antiſtitis patrem, heic deſignari, qui anno DCCCXL. floruit. Verùm Cl. V. Nicolaus Carminius Falco, nunc epiſcopus Marturanenſis,

ſis, in Vita S. Januarii Italicè ſcripta, veri putat ſimilius, referendum eſſe nummum hunc ad Sergium III Neapolis ducem, qui Protoſebaſti titulum à Græcis Auguſtis ſibi comparavit.





Numiſma hoc ſine notabili differentia impreſſum eſt apud alios. De tempore cuſi numiſmatis mihi praplacet opinio laudati Falconii, olim Marturanenſis epiſcopi, nunc archiepiſcopi S. Severinæ, qui pag. 501 *maluit nummum referre ad Sergium III, quàm ad primum vel ſecundum.*

231 *Duo autem priores Sergii imperârunt Neapoli ſeculo* IX; *tertius ſeculo* XI, *atque hic interceptam à Pandulpho principe Capuano Neapolim recuperavit. Occupationem Neapolis Muratorius in Annalibus refert ad annum* 1027. *Receptam verò à Sergio dicit ſub finem anni* 1029, *aut ſub initium* 1030. *Hæc inſinuant, quo tempore Sergius III, quem aliquando IV lapſu memoriæ vocat Muratorius, ducatum Neapolitanorum tenuerit. Quartus imperavit poſt medium ſeculi* XI, *ac quintus demum ſeculo* XII *ducatum amiſit. Laudatus Falconius ex globo, quem manu geſtat Sergius, nititur inferre nummum eſſe referendum ad aliquem Sergium, qui fuerit protoſebaſtus. At non video ex dignitate illa protoſebaſti, ſi illâ omnino ornatus fuiſſet Sergius, jus oriri potuiſſe picturam ſuam*

fortè cuſum eſt ſeculo XI *à Sergio III.*

ſuam exprimendi cum globo imperiali. Praterea dignitas protoſebaſti, *ut Cangius in Gloſſario Græco-barbaro, aliique obſervant, primùm excogitata eſt ab Alexio Comneno, quo imperante, Sergius III diu erat defunctus. Globum illum in manu Sergii ducis miratur Caracciolus, qui conſuli poteſt. Ego non inquiram, quo illum jure teneat: neque enim aut globum aut protoſebaſti titulum conducere poſſe exiſtimo ad inveniendum Sergium nummi auctorem. At ratio antè data de effigie Sanctorum nummis veriſimiliter non impreſſa ante annum 975 excludit Sergium primum & ſecundum. Pro Sergio III aliquid veriſimilitudinis affert recepta Neapolis, in cujus memoriam nummus cudi potuit, quòd illam beneficio* S. Januarii *receptam exiſtimaret. Nihil tamen occurrit, quo minus etiam Sergius IV aut V nummi auctor eſſe potuerit.*

Numiſma ſextum,

232 *Ad ſextum numiſma, quod primus exhibuit, ita procedit Muratorius:* Sextus nummus æreus, à perquam rudi artifice cuſus, ſed perrarus, à mei amantiſſimo abbate D. Alexandro Chiappinio Placentino ad me miſſus fuit. Perquam ſimilis præcedenti eſt, niſi quòd heic Sergius dexterâ crucem tenet. Eadem utrobique inſcriptio, ita ut veri ſimile videatur, ad unum eumdemque Sergium pertinere & iſtum nummum.



Vul-

Vultus S. Januarii *in hoc nummo expreſſius eſt modo multùm diverſo, & in hoc apparet ætate provectiore, quàm in reliquis. At inutile eſſet ex nummis, qui ſeptem ſeculis, ut minimùm, Sancto ſunt poſteriores, veram diſcere velle effigiem.*

233 *De ſeptimo nummo Muratorius ita diſ-* *ſeptimum;*
ſerit: Septimus æreus effigiem S. Januarii præcedentibus ſimilem nobis oſtendit cum litteris SCS IAN. In poſtica ſculpta habetur imago epiſcopi cum litteris ad latera poſitis ATHA EPS, id eſt, ATHANASIUS EPISCOPUS. Is eſt Athanaſius junior, Neapolitanorum antiſtes ſimul & dux, qui anno Chriſti DCCCLXXX propter fraudes & vitia non pauca famoſus evaſit.





Eumdem nummum ſine notabili differentia exhibent alii & illum ſimiliter attribuunt Athanaſio II cum Caracciolo & Falconio. Verùm cùm ille Athanaſius epiſcopatum & ducatum tenuerit vergente ad finem ſeculo IX, *nummi iſtius auctorem eſſe ſine ſolidis argumentis, quæ non afferunt, non facilè credam. At de his plura poſt ſequentem.*

234 Octavus, *inquit Muratorius*, Neapoli à *octavum:*
P. Dominico Putignano Societatis Jeſu, antiquitatum ſtudioſiſſimo, adſervatur. Cùm ferè in omnibus præcedenti ſit ſimilis, nova explicatione non indiget. *in duobus poſterioribus videtur repræſentari S. Athanaſius.*



Hæc tamen, eaque ſatis notabilis nummi eſt differentia, quòd Athanaſii epiſcopi caput in hac radiis ſit illuſtratum, ut ſolet fieri de Sanctis; non item in præcedenti. Ex hoc autem radiorum circulo colligitur, Athanaſium epiſcopum, cujus effigies in poſtica exhibetur, non eſſe nummi auctorem; neque enim voluiſſet viventem ſe radiato capite exprimere. Ex radiis capitis ulteriùs innoteſcit, S. Athanaſii effigiem eſſe, quæ in poſtica poſterioris nummi exhibetur; indeque ulteriùs veriſimillimum fit, eumdem eſſe S. Athanaſium, qui in priore repræſentatur. De S. Athanaſio ad XV *Julii egit Cuperus noſter. At cùm non niſi priorem vidiſſet nummum, qui nulla in effigie Athanaſii habet Sanctitatis indicia, non cenſuit S. Athanaſium in eo repræſentari; ſed cum Neapolitanis maluit credere, nummum eſſe Athanaſii II, quòd ille dux ſimul eſſet & epiſcopus, ſoliſque ducibus videatur fuiſſe poteſtas cudendi nummos. Hæc nimirum præcipua, aut potiùs unica eſt ratio ſcriptorum Neapolitanorum. At hæc ipſa fallit in nummo, qui Athanaſium exhibet ſanctitatis gloriâ illuſtratum. Quare exiſtimare malim, utrumque nummum fuiſſe cuſum à duce quodam poſteriore, qui* S. Januarium *ab una parte, & S. Athanaſium, ſanguine ſibi junctum, & ſtirpis ſuæ præcipuum ornamentum, ab altera exhibere voluerit. Quòd autem* Sancti *titulus Athanaſio non*

ſit

ſit attributus in iſtis nummis, non obſtat conjectura noſtra: nam ſanctitas Athanaſii agnita quidem citò fuit, & privato cultu honorata; ſed fortaſſe publicus & ſolemnis cultus necdum vigebat, quando nummi illi fuerunt cuſi: quod fieri potuit exeunte ſeculo X *aut ſeculo* XI. *Hactenus de nummis antiquioribus à Muratorio impreſſis.*

235 *Hiſce unum addo recentiorem ex aucto Opere Hieronymi Mariæ de S. Anna, ubi lib.* 3 *cap.* 6 *ſic exhibetur;*

Nonum in memoriam repreſſi Veſuvii hoc ſeculo cuſum.





Nummus hic procuſus fuit nomine civitatis Neapolitanæ, ut gratam ſe præberet Sancto, cujus patrocinio acceptum ferebat, quòd horrendum montis Veſuvii incendium ſubitò fuerit exſtinctum, ut relatum eſt num. 164. *Repræſentatur autem* S. Januarius *in habitu pontificali hodierno cum hac inſcriptione:* D. Janu., liberatori urbis, fundatori quietis. *In poſtica ſuperiùs conſpiciuntur duæ ampullæ, quales ſanguinem* S. Januarii *continent, ac deinde hæc inſcriptio:* Poſtquam collapſi cineres & flamma quievit, cives Neapolitani incolumes A. D. MDCCVII. *Hæc ſufficiant de prædictis nummis.*

§ XVII. Utrùm eccleſia Neapolitana aliquando habuerit epiſcopum Græcum Latino ſubditum, qui Græcorum haberet curam.

Sententia Neapolitanorum de epiſcopo Græco præter Latinum Neapoli;

Occaſione nummorum, quos partim Græcos videmus, partim Latinos, lubet breviter examinare opinionem Clariſſimi Mazochii de eccleſia Neapolitana ſic ſemper unica, ut non admittat epiſcopum Græcum ullo unquam tempore Neapoli fuiſſe, qui Græcorum habuerit curam, & epiſcopo vel archiepiſcopo Latino fuerit ſubjectus. Contrarium credidit Bartholomæus Chioccarellus in Epiſcopis Neapolitanis pag. 95, ubi fusè conatur probare, duos ſeculo IX ſediſſe Neapoli epiſcopos, alterum Latinum, Græcum alterum, eumque Latino ſubditum. Ejuſdem ferè ſententia eſt Antonius Caraccioluſ in Sacris eccleſiæ Neapolitanæ Monumentis cap. 35 ſect. 2. Mitto recenſere alios Neapolitanos, cum hi nullam videantur auctoritatem habere apud Mazochium. Nam in Diſſertatione de Eccleſia Neapolitana ſemper unica part. 2 cap. 2 ſect. 2 queſtionem illam tractaturus, orditur hoc modo: Fuiſſe inter noſtrates ſcriptores nonnullos, qui duplicem epiſcopalem cathedram Neapoli agnoverint, parum equidem miror. Utinam ſcriptores noſtri (quid enim diſſimulandum eſt?) ea tantum hallucinatione peccâſſent: quorum ſi ſecùs dicta recenſere velim, non modò data ad dicendum clepſydra, ſed & dies me deficiat.

237 Id potiùs miror, Danielem Papebrochium, virum, quod ſatis conſtat, egregiè eruditum, tum alibi, tum ad xv Junii in S. Fortunato epiſcopo Neapolitano in hunc ipſum errorem incidiſſe. *Rurſum § 2 de Papebrochio ita loquitur:* Dan. Papebrochium V. Cl. memini alicubi id datâ operâ laborâſſe, ut binas Neapoli epiſcoporum ſedes fuiſſe ſtatueret, Græcorum unam, Latinorum alteram. Sed piget nunc in eo Jeſuitæ conquirendo loco tempus terere. *Tum affert ſummatim argumenta Papebrochii ad* xv *Junii in S. Fortunato data, ibique ſubjungit:* Etſi poſtea num. 11 idem Papebrochius ſatis apertè declarat, Græcum hunc Neapolitanorum epiſcopum fuiſſe Latino ſubjectum. *Fuit hæc ſanè ſententia Chioccarelli & Caraccioli, quam Papebrochius in S. Fortunato num.* 9 conjecturam plus quàm veroſimilem *cenſet, & utcumque confirmat. Si credebat Mazochius, Papebrochium alibi* datâ operâ *eam controverſiam tractâſſe, quærendus erat locus viri egregiè eruditi, ut ipſe loquitur, antequam ad opinionem ejus refellendam leviter proſiliret. Attamen facilè condonabimus erudito viro, quòd non invenerit alibi diſputata hac de re à Papebrochio, cùm ipſe ea non inveniam, & numquam diſputata credam. Hoc ſolùm vellem, ne opinionem illam in titulo capitis* commentum *vocâſſet; nec in fine diſputationis ſuæ dixiſſet:* Faceſſat igitur iſta duplicis epiſcopalis ſedis Neapolitanæ chimera. *Etenim nimiùm cogitata ſua amat Mazochius, ſi credat, argumenta ſua reſpondere tantæ loquendi fiducia. Imò fortaſſe non deerunt, qui exiſtiment, argumentorum inopiam verborum fiduciâ fuiſſe ſupplendam. Quidquid ſit, vim ego in argumentis deſidero, in verbis modeſtiam. At, his miſſis, argumenta Neapolitanorum & Papebrochii proponere incipiam, reſponſa-*

adoptata à Papebrochio, nuper oppugnata à Mazochio,

que Mazochii examinare ad ſingula.

238 *Primum ac præcipuum argumentum petitur ex Vita S. Athanaſii epiſcopi Neapolitani, data tom.* IV *Julii ad diem* XV *loco ſecundo. Hanc autem Vitam ſcripſit auctor anonymus, ſed contemporaneus, primis quinque annis poſt obitum S. Athanaſii, anno* 872 *defuncti, id eſt, inter annum* 872 *&* 877, *quo Sancti corpus Caſino, ubi fuerat ſepultum, Neapolim tranſlatum eſt. Epocha hæc ſcripta Vitæ certa videtur, & poſt ſcriptores Neapolitanos clarè probata à Cupero noſtro in Commentario prævio § 2. Pauca ex iis huc traduco. Vita num.* 6 *habet :* Quandoquidem noſtris nuper temporibus ſanctiſſimus Athanaſius... ita carus extitit Deo *&c. Hic locus manifeſtè probat, auctorem eſſe coævum, quod ipſa ſcribendi methodus ubique inſinuat. Num.* 27 *auctor enarrat ſepulturam in monte Caſino* in eccleſia beati principis Apoſtolorum, *& adjungit :* Ubi exuberant multa mirabilia per eum ad laudem Domini noſtri Jeſu Chriſti uſque in præſentem diem. *Itaque necdum erat Sancti corpus inde tranſlatum, dum Vita eſt ſcripta, non ſolùm quia de tranſlatione tacetur, ſed quia etiam inſinuatur, corpus fuiſſe in primo ſepulturæ loco, dum Vita eſt ſcripta. Præterea idem auctor ſcripſit Sancti tranſlationem, in qua non ſolùm modo loquendi inſinuat, omnia, quæ narrat, nuperrimè fuiſſe peracta; ſed novam rurſum habet præfationem, in qua luculenter indicat, diverſis temporibus ſcriptas à ſe fuiſſe Vitam & Tranſlationem.* De cujus Vita, *inquit*, aliquid adhuc fari cupiverat animus. Sed in libello præcedenti de ejus vita & moribus, quantùm iners ſtylus valuit rimari, ſecutum eſt. *Hæc primò evincunt, eumdem eſſe Vitæ & Tranſlationis au-*

probatur ex Vita S. Athanaſii, quæ auctoris eſt contemporanei;

auctorem, ut ipſe utriuſque ſtylus confirmat, & agnoſcit Mazochius.

239 *Evincunt praterea, Vitam priùs eſſe ſcriptam, & poſt aliquod tempus Tranſlationem. Si enim conſequenter utrumque libellum ſcripſiſſet; non poterat redire cupido rurſum aliquid* de vita & moribus *memorandi in ſecundo libello, cùm id totum fieri deberet in primo. At poſt aliquot menſes, & fortè poſt annum unum alterumve, quando peracta erat tranſlatio, & enarranda veniebat, poterat viro S. Athanaſii amanti, cupido nova inceſſere vitam & mores laudandi, idque revera contigit. At eam repreſſit vir prudens, quòd omnia abundè enarrâſſet; ſubjunxitque:* Nunc verò de ipſius miraculis, & reverſione ipſius Sancti corporis ſermo texendus eſt. *Non attendam ad vocem* reverſione, *aut ad plura ſimilia, quibus inſinuatur nuperrimè facta tranſlatio; ſed ſolùm inveſtigabo, cur tunc auctori de reverſione ſermo texendus eſſet. Cauſam ipſe edicit, ubi conqueſtus erat de iis, qui etiam defuncto S. Athanaſio detrahebant, hiſce verbis:* Sed.... pius Redemptor de ſuis fidelibus diſponit famulis, prout ejus poteſtatis immobilis eſt voluntas, qui nobis B. Athanaſii reliquias reddere dignatus eſt, in propriam illum ſedem reducens, ut de tanto patre gratificemur, & Domino proinde laudes ſedulas referamus. *Hac tam clarè ſignificant, tempore auctoris factam eſſe tranſlationem, ut difficulter dicendo obſcurari valeant, & hujus ſaltem Vitæ epocham inter errores ſcriptorum Neapolitanorum numerare non debeat Mazochius.* *ut oſtenditur:*

240 *Hic tamen, cùm laudatam Vitam ubique inveniat ſuis aſſertis oppoſitam, in dicto Opuſculo pag. 36 & 37 de ejus epocha vitilitigare voluit, ſpem-* *quod ineptis ratiociniis fruſtra negat Mazochius:*

ſpemque verbis ſimulans, ita loquitur: His igitur de cauſis, & quòd ſtylus multo cultior quàm pro IX aut X ſeculi captu videtur; numquam adducar, ut credam, hunc ſcriptorem ſive æqualem ſive ſupparem S. Athanaſio fuiſſe. *Verùm objectiones examinemus. Una jam data habet, ſtylum eſſe cultiorem, quàm pro captu* IX *ſeculi, quo ad finem vergente Vitam nos credimus ſcriptam. Falſa eſt hæc aſſertio: neque enim deerant ſcriptores* IX *ſeculo, qui ſtylo tali utebantur, neque melior ſeculo* XI *aut* XII *erat ſtylus ſcriptorum, quàm* IX. *Altera, aut potiùs prima, Mazochii ratio eſt, quòd biographus ille de Ludovico Pio num.* 7 *dicat*, cognomento Almum *dictum. Hoc cognomen, ſi Mazochio credimus, de Ludovico Pio non reperitur uſitatum ante ſeculum* XI, *affertque Chronica Caſinenſe & Vulturnenſe, in quibus idem reperitur. Habent illa Chronica Ludovicum fuiſſe* Almum *cognominatum. Qua autem veritate id aſſerere poterant laudati Chronographi, ſi ante ipſos nullus eo cognomine erat uſus? Erat igitur ante illos uſitatum. Qua modò veriſimilitudine inferet Mazochius, uſum illius cognominis potiùs inchoatum ſeculo* XI, *quàm* IX? *Contrà veriſimilius eſt, aut vivente aut non diu defuncto Ludovico, cognomen* Almi *à paucis uſurpari cœptum, quàm duobus ſeculis poſt mortem ejus, & auctoritas biographi, quo de agitur, ſufficit, ut ea de re minimè dubitemus. Frivola igitur eſt illa Mazochii objectio, & nihilo melior eſt alia, quam ut reſponſo indignam omitto. Fallitur ſanè Mazochius, ſi id genus ineptiis argumenta certiſſima, quibus auctor probatur coævus, infringi exiſtimat: neque enim ſexcentis ejuſmodi ratiociniis vel minimum evincet apud prudentes. Ab hac velitatione, qua ad controver-*

verſiam de gemino epiſcopo non erat omnino neceſſaria, ad rem ipſam accedamus.

241 *Laudatus auctor Vitæ S. Athanaſii cap.* 1 *multas accumulat laudes urbis Neapolitanæ, atque inter alia ejus decora hoc recenſet:* Nam & introrſus binas præſulum geſtat ſedes ad inſtar duorum Teſtamentorum, quamquam una ſit, quæ eam gubernat, & regit reliquam, ut capite reguntur artus diverſi. *Locus cum nonnulla diverſitate producitur ab aliis; ſed ea lectionum varietas nihil ad rem facit; omneſque ex loco diverſimodè lecto æquè validum ſumunt argumentum, quo oſtendunt, alteram fuiſſe cathedralem epiſcopi Latini, alteram Græci Latino ſubjecti. Hinc Mazochius part.* 2 *cap.* 2 *ſect* 3 *ait:* Ac ſatis ſcio, hunc locum terriculamento apud eos fuiſſe, qui tamen ſatis ſuopte ingenio ab ea ſedium duplicitate abhorrerent: itaque multos ad hunc locum tamquam ad Maleæ promontorium expaviſſe; nec tantùm Chioccarellum pag. 96, Caracciolum & alios plures, ſed & ipſum Baronium hac auctoritate fractum, fateri coactum, fuiſſe interdum (nam, uti dixi, vir magnus in recitatis Vitæ verbis pro INTRORSUS legere INTERDUM maluit) tempus, quo bini epiſcopi, ſed unus alteri ſubjectus, Neapoli conſederint. *Eadem Baronii eſt ſententia & Papebrochii in S. Fortunato, ubi num.* XI *obſervavit*, paucos fortaſſis Græcos *ſedisſe. Ut autem ſtudioſus lector advertat, qua de cauſa id factum fuerit, obſervanda ſunt viciſſitudines ſermonis olim Neapoli prævalentis. Fatetur Mazochius, ante natum Chriſtum & ſeculo* I *æræ Chriſtianæ civitatem fuiſſe Græcam, ſed eam paulatim ex conſuetudine cum Romanis Latinam factam. Fortaſſe paulò citiùs, quàm probari valeat, totam deinde quaſi Latinam facit; at hiſce non lubet inſiſtere.*

Sententia Baronii & Papebrochii aſſerta in dicta Vita,

242 *Fatetur ſaltem, Græcum ſermonem ſeculo* VI *vires reſumpſiſſe Neapoli, quando Gothis erepta à Beliſario, cœpit ſubeſſe imperatoribus Conſtantinopolitanis. Erant itaque plures Neapoli Græcorum eccleſiæ, quæ deinde paulatim diminutæ ſunt. Verumtamen, fatente Mazochio,* ſex Græcorum eccleſiæ adhuc ſeculo XIII perdurabant, hujuſmodi diſtinctæ nominibus, "Eccleſia S. Georgii ad „Forum, S. Januarii ad Diaconiam, Sanctorum „Joannis & Pauli, S. Andreæ ad Nidum, S. Ma„riæ Rotundæ, S. Mariæ ad Coſmodin. „ *Si autem ſex erant, poſtquam ſeculo toto ſub Latinis principibus fuerat civitas, veriſimile eſt, plures fuiſſe ſeculo* IX, *quando tribus ſeculis obnoxia Græcis imperatoribus fuerat Neapolis. Certè biographus S. Athanaſii nullibi inſinuat, plures ſuo tempore Neapoli fuiſſe Latinos, quàm Græcos. De Neapoli num.* 5 *dicit:* In qua laïci ſimul cum clericis aſſiduè Græcè Latinéque communi prece pſallunt Deo. *Rurſum num.* 20: Inter hæc Græca Latinaque pars ſacerdotalis *&c. Et in Tranſlatione num.* 7: Confluebant autem uterque ſexus, & ætas diverſa; & qualiter poterant, pſalmodiæ cantus utriuſque linguarum Græcè & Latinè ſuavi modulatione reſonabant. *Ex hiſce abunde conſtat, Neapolim ſeculo* IX *partim Latini ſermonis fuiſſe, partim Græci. Græcos quoque uſos fuiſſe ritu Græcorum in ſacris miniſteriis, & in adminiſtratione Sacramentorum, nullus negare poterit. Itaque mitto alia, quæ ad illud probandum afferri poſſunt.*

eaque de ſe veriſimilis ob diviſas Neapoli linguas:

243 *Ex dictis autem intelligimus, miniſterium epiſcopi Græci utile fuiſſe Neapoli, & utcumque neceſſarium ad Græcis adminiſtranda ea Sacramenta, quorum adminiſtratio ſolis reſervatur epiſcopis. Examinemus modò, an allegatus locus pro gemino epiſcopo non ſit tam clarus, ut nequeat aliam*

nequit illa Vita alio ſenſu exponi, ut ex adjunctis probatur.

am recipere expositionem, maximè consideratis antecedentibus & consequentibus. Nam & introrsus binas præsulum gestat sedes ad instar duorum Testamentorum, quamquam una sit, quæ eam gubernat, & regit reliquam, ut capite reguntur artus diversi. *Frustra laborat Mazochius, ut voces* binas, præsulum *& sedes in alienum detorqueat sensum. Nam vocem* binas *hîc significare* duas *liquet ex comparatione cum* duobus *Testamentis, & ulterius ex subsequentibus verbis*, quamquam una sit, quæ eam gubernat, & regit reliquam: *nimirum una regit alteram adjutricem & subjectam. Quod verò vox* præsules *designet episcopos, & vox* sedes *ecclesias cathedrales, liquet primò ex verbis* gubernat & regit, *atque ex additis,* ut capite reguntur artus diversi. *Una enim ex binis illis dicitur ut caput regere alteram cathedralem, simulque omnes alias civitatis ecclesias. At regere ecclesias omnes alicujus civitatis episcopi est, non alterius. Secundò de* frequentissimis ecclesiis, *& de* monasteriis *paulò antè generatim meminit auctor. Tum verò* binas præsulum sedes, *ut singulare urbis decus, speciatim commemorat, ut nequeant aliæ intelligi, quàm præcipuæ sive cathedrales, quemadmodum voce* præsulum *indicatur. Tertiò voce* præsul *sæpiùs idem auctor utitur, eaque voce ubique designat episcopum. Ita num. 6 S. Athanasius* ejusdem urbis præsul *dicitur. Sic num.* 8 *meminit* S. Athanasii Alexandriæ præsulis. *Num.* 9 *S. Joannes IV primùm Neapolis* præsul *& mox* pontifex *vocatur, ac iterum num.* 10 præsul. *Rursum num.* XI *S. Athanasius dicitur* præsul, *sicut & ejus successor Athanasius in Translatione num.* 3, 4, *& bis* 6, *ac eodem iterum titulo insignitur defunctus S. Athanasius num.* 7, 11, 17 *&* 21. *Itaque cùm idem auctor decem & tribus locis voce* præsul *episcopum*

designet, nec ea ullibi in alia significatione utatur, vel sola hac ratio evincit, per præsules *in loco controverso* episcopos *designari, sicut ipsa adjuncta luculenter insinuant.*

Ineptè Mazochius per præsules parochos vult intelligere,

244 *Quapropter inani labore non minùs se ipse torsit Mazochius, quàm allegatas voces, dum iis alienas, quas renuunt, significationes attribuere voluit. Miseret sanè me viri eruditi, qui conatur probare, quod nulla subtilitate probari potest. Enumerat varias significationes vocis* præsul, *eamque usurpatam vult* pro quibusvis præpositis sive profanis sive sacris. *Tum ait, complures fuisse Neapoli ecclesias, cùm Latinas, tum Græcas, quibus præpositi erant presbyteri. Hos autem presbyteros vult* præsules *vocatos, atque eorum ecclesias* præsulum sedes. *At loci adjuncta omnia talem expositionem, aut potiùs vocis depravationem, apertè renuunt. Nam multò plures erant ecclesiæ, quibus præerant presbyteri; at duæ memorantur* præsulum sedes. *Præterea una ex his regit, quod certè non congruit ecclesiæ, cui solùm præerat presbyter. Demum presbyterum sive parœciæ præfectum umquam* præsulem *fuisse vocatum, non ostendit Mazochius, quamquam lubens fateor, abbates subinde etiam* præsules *vocari. Verùm frustra quærentur diversæ significationes illius vocis, cùm scriptor ipse, de cujus loco disseritur, ea voce toties in eadem episcopi significatione utatur, ut ibi aliam illi significationem affingere non potuerit, nisi datâ operâ nos decipere ineptissima locutione voluisset. Verba Innocentii Papæ III, quæ objecit Mazochius, examinabo inferiùs, ostendamque ibi per* præsulem *significari episcopum.*

245 *Vocem* binas, *quâ ibi non vult* duas *significari, mirè torquet laudatus Mazochius.* Quòd binas, *inquit*, eas sedes dixit, non sic accipe, quasi

si

ſi duas dixiſſet, ſed quaſi duplices, hoc eſt, DUORUM GENERUM, aut verò, ſi mavis, quaſi ſi dixiſſet BILINGUES. Nam utrumque horum poteſt per illud binas deſignari. *At falſum eſt, voce* binas *exponi poſſe* duorum generum *aut* bilingues. *Probatio Mazochii non minùs inepta eſt, quàm dicta vocis* bini *expoſitio commentitia. Allegat Cyrilli Gloſſas Græco-Latinas, aitque, voci Græcæ* διττὰ (duplicia) *reſpondere* bina, *& vocem* διττὸς *exponi* bilinguis. *Ex his novâ prorſus dialectica infert, Cyrillo* BINUS *&* BILINGUIS fuiſſe propemodum ſynonyma; quia utrumque nomen è regione τῦ διττὸς (hoc eſt, duplex) poſuit. *Riderent ſanè, ſi viverent, Chioccarellus & Caracciolus, ſuos ſcilicet errores ejuſmodi ratiociniis corrigi. Vox Græca* λόγος *aquè exponitur* ratio *&* ſermo. *Ideone* ratio *&* ſermo *propemodum ſynonyma ſunt?* λόγοι *rurſum ſignificat* ineptias *aut* figmenta. *Quis modò prudens dicat, prope ſynonyma eſſe* rationes, ſermones, ineptias, figmenta? *Verùm mittamus logos, logicâ deſtitutos; & candidè edicamus, nec Gloſſarium Cyrilli, nec ullum aliud profuturum Mazochio, ad probandum, vocem* binus, *quæ reddi aliquando* duplex *poteſt, ſimiliter exponi poſſe* duorum generum, *aut* bilingues. *Quanto diutiùs id tentabit, tanto plures dabit ineptias. Nam per* binas præſulum ſedes *intelligi* duas, *ipſæ voces indicant, & confirmat adjuncta comparatio cum duobus Teſtamentis.*

nec minùs inepte vocem binas explicare nititur.

246 *Papebrochius noſter credidit, ſe revera duos ſimul epiſcopos Neapoli inveniſſe, quia eodem anno* 347, *quo ſedebat S. Fortunatus, reperitur aliquis Calepodius, qui ſimiliter videtur epiſcopus fuiſſe Neapoli. Certè apud Labbeum tom.* 2 *Conciliorum col.* 658 *Concilio Sardicenſi legitur ſubſcripſiſſe* Calepodius Neapolitanus, *qui in Fragmen-*

Anno 347 *videntur Calepodius ſimul & Fortunatus*

gmentis S. Hilario perperam attributis col. 1293 *dicitur* Calepodius à Campania, *ut dubitandum non videatur, quin fuerit epiſcopus Neapoli in Campania. Interim eodem anno epiſcopi S. Athanaſio inimici, qui ſe ſubduxerunt è concilio Sardicenſi, & Philippopoli conciliabulum habuerunt, ibidem col.* 699 *ſcribunt* Fortunato Neapolis Campaniæ epiſcopo. *Videntur igitur ſimul epiſcopi fuiſſe Calepodius & Fortunatus; cúmque Fortunatum inter epiſcopos Neapolitanos recenſeat Joannes Diaconus, non item Calepodium; exiſtimavit Papebrochius, S. Fortunatum Latinum fuiſſe ac præcipuum, Calepodium verò Græcum ejus adjutorem. Reſpondet ad hæc Mazochius, circa medium ſeculi* IV *Neapoli neceſſarium non fuiſſe epiſcopum Græcis*, ut qui tunc nulli in hac urbe erant. *At nec veriſimile id eſt, nec probatum à Mazochio, imò numquam probandum. Ad alia igitur ejus reſponſa progredior.*

Neapoli ſediſſe epiſcopi.

247 *Reſpondet primò, Calepodium poſt ſubſcriptum concilium Sardicenſe mori potuiſſe eique ſuccedere Fortunatum, ad quem Philippopolitanum conciliabulum tranſmiſerit decretum ſuum. Nec probabilis nec veriſimilis eſt hæc reſponſio: nam eodem tempore habebatur concilium Sardicenſe & conciliabulum Philippopolitanum. Ordinatio autem Fortunati non poterat fieri Neapoli, niſi cognita morte Calepodii, qui concilio, utique finito, ſubſcripſit. Itaque, etſi fingamus mortuum, antequam redierat Neapolim, ſaltem notabili tempore ordinatio Fortunati poſterior eſſe debebat concilio Sardicenſi ob ingentem diſtantiam, quæ eſt inter Sardicam, Mœſiæ circa Thraciæ confinia urbem, & Neapolim. Philippopolenſes verò ad S. Fortunatum ſcribere non poterant, niſi audita ejus ordinatione, quam illi in Thracia ante finitum conciabulum*

lum

lum verisimiliter non intellexerint: neque enim credibile est, S. Fortunatum ad episcopos tam longè dissitos, & ab ecclesia Catholica dissentientes, de sua ordinatione nuntium misisse. Gratis igitur, & contra omnem verisimilitudinem fingitur, epistolam conciliabuli Philippopolitani missam ad Fortunatum Calepodii successorem. Ut hoc fieri potuisset, necesse erat, ut conciliabulum dictum aliquot mensibus fuisset continuatum post concilium Sardicense, quod factum non videtur. Vidit ipse Mazochius, responsum illud parùm esse probabile; alterumque addidit nihilo probabilius, nimirum Calepodii & Fortunati nomina ejusdem esse episcopi Neapolitani. Scripsissent igitur Philippopolitani ad episcopum concilii Sardicensis, quocum convenire noluerant, & à quo erant condemnati. Utraque responsio est volentis aliquid dicere, & nihil probabile invenientis.

248 *Audiamus tamen argumenta, quibus Mazochius evincere nititur, numquam duos Neapoli fuisse episcopos, non dico æquales, quos nemo unquam admisit, sed ea etiam ratione, ut unus alterius pro Græca parte esset vicarius, eique subjectus. Clamat laudatus scriptor,* contra canones contraque receptos mores esse, *si duplex eidem civitati detur episcopus, objicitque canonem Nicænum* VIII, *ex quo profert hæc verba:* Ne in una civitate duo sint episcopi. *Verùm si totus canon consideretur, satis patebit, solùm agi de duobus episcopis potestate æqualibus, quorum unus alteri non sit subjectus. Apud Labbeum tom. 2 Conciliorum col. 47 Canon ille agit de Novatianis, qui voluissent ad Ecclesiam Catholicam redire; eisque conceditur, ut redeuntes maneant* in suo ordine. *Tum cavetur, ne Catholici episcopi, presbyteri & diaconi locum suum amittant, accedentibus ad*

Objectus canon Nicænus prohibet, ne duo sint ejusdem civitatis episcopi æquales.

Ec-

Eccleſiam Novatianis. Verba ſubjungo: Si verò, epiſcopus vel presbyter Eccleſiæ Catholicæ fuerit, ad quem aliqui ex his (*Novatianis*) accedunt, certum eſt, quòd epiſcopus quidem Catholicus ſuam habeat dignitatem, ſimiliter autem presbyteri & diaconi habeant. Hi verò, qui ab iſtis (*Novatianis*) veniunt, ſi fortè epiſcopus fuerit, habeat ſacerdotii dignitatem: niſi fortè placeat Catholico epiſcopo concedere ei etiam epiſcopalis nominis honorem. Si verò non placuerit, inveniat ei locum, ut* ſit in parochia chorepiſcopus, aut in clero presbyter; ut in civitate una non videantur duo epiſcopi eſſe, & ille omnimodis in clero permanere videatur.

* *al.* ubi

249 *Poterat epiſcopus Catholicus concedere accedenti & converſo Novatiano* epiſcopalis nominis honorem. *Poterat itaque permittere, ut alius in ſua civitate degeret & vocaretur epiſcopus: poterat eidem parochiam aſſignare, in qua chorepiſcopus eſſet, & munia epiſcopalia obiret chorepiſcopis licita. Canon itaque permittit, ut aliquo ſenſu duo in una civitate ſint & nominentur epiſcopi; non item ut duo eamdem civitatem jure epiſcopali æqualiter regant, aut ut duo ejuſdem civitatis ſint capita. Quapropter dictus canon adeo non favet Mazochio, ut eidem potiùs ſit contrarius. Nam ſicut civitatis epiſcopus alteri concedere poterat, ut honore & nomine epiſcopali in ſua civitate gauderet; ita procul dubio ejus operâ uti poterat in concionibus, in adminiſtratione Sacramentorum, in aliis officiis epiſcopalibus; quemadmodum plures fecerunt, iique ſanctiſſimi ac doctiſſimi epiſcopi. Quis neſcit, S. Gregorium Nazianzenum, hortante S. Baſilio, pro patre epiſcopo Nazianzeno epiſcopatum adminiſtrâſſe? Peccavitne igitur in canonem Nicænum uterque S. Gregorius Nazianzenus, quia filius patrem in admi-*

non item ne civitatis epiſcopus habeat epiſcopum adjutorem aut vicarium.

ni-

niſtratione epiſcopatûs juvit? Peccavitne in eumdem canonem Chryſoſtomus, quando adminiſtrationem eccleſiæ ſuæ Conſtantinopolitanæ commiſit Severiano Gabalorum epiſcopo? Non dicet hoc Mazochius, opinor. Attamen non video, canone Nicæno magis prohiberi epiſcopo Neapolitano epiſcopum Græcum habere adjutorem pro eccleſiis Græcis, quàm Nazianzeno epiſcopo filium habere vicarium aut adminiſtratorem, aliiſque alios epiſcopos adjutores; modò abſolutum jus adminiſtrationis apud unum remaneat.

250 *Objicit ſecundò Mazochius capitulum* IX *concilii Lateranenſis* IV, *cui præfuit anno* 1215 *Innocentius III. Capitulum apud Labbeum tom.* XI *col.* 161 *ſic habet:* Quoniam in pleriſque partibus intra eamdem civitatem atque diœceſim permixti ſunt populi diverſarum linguarum, habentes ſub una fide varios ritus & mores; diſtrictè præcipimus, ut pontifices hujuſmodi civitatum ſive diœceſum provideant viros idoneos, qui ſecundum diverſitates rituum & linguarum divina officia illis celebrent, & eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, inſtruendo eos verbo pariter & exemplo. Prohibemus autem omnino, ne una eademque civitas, ſive diœceſis diverſos pontifices habeat, tamquam unum corpus diverſa capita, quaſi monſtrum. Sed, ſi propter prædictas cauſas urgens neceſſitas poſtulaverit, pontifex loci Catholicum præſulem nationibus illis conformem provida deliberatione conſtituat ſibi vicarium in prædictis, qui ei per omnia ſit obediens & ſubjectus. *Non poterat afferri canon ad propoſitum noſtrum accommodatior. Dicta autem decreta fuerunt facta pro eccleſiis Cypri inſulæ, ubi Latini tunc cum Græcis erant mixti. Profectò aut ego multùm fallor, aut allegatis verbis decernitur, ut id ipſum*

Verba concilii Lateranenſis directè Mazochio ſunt contraria;

fiat, quod olim Neapoli factum credimus. Primò jubet concilium, ut in civitatibus diverſarum linguarum & rituum, quales Neapoli erant ritus Latinus & Græcus, epiſcopus idoneos pro ſingulis ritibus provideat miniſtros. Secundò prohibet, ne in una civitate duo ſint epiſcopi æquales, ſive diverſa capita *ejuſdem corporis. Tertiò ſi propter diverſitatem rituum* urgens neceſſitas poſtulaverit, *jubetur epiſcopus civitatis epiſcopum alium pro iis, qui diverſi ritus ſunt, vicarium conſtituere ſibi ſubjectum. Cùm enim epiſcopo ritus Latini non liceat uti ritu Græco, quomodo presbyteros alioſque clericos ordinabit Græcos, ſive pro ritu Græco? Thomaſſinus in Opere de veteri & nova eccleſiæ Diſciplina part.* I *lib.* I *cap.* 29 *eumdem concilii Lateranenſis locum recitat, eodemque modo explicat, ac pluribus exemplis confirmat.*

qui ea in falſum ſenſum fruſtra trahit:

251 *Mazochius, qui* Catholicum præſulem *intelligere vult ſine Ordinatione epiſcopali, nimiùm confidit de benevolentia eruditorum, ſi commentitias id genus ac violentas verborum expoſitiones, quibus totum illud Opuſculum abundat, iis placituras exiſtimaverit, præſertim quando adjuncta omnia, ut hìc fit, repugnant. Si clariſſimus Mazochius inſpicere ſolùm cogitâſſet Conſtitutionem Cypriam Alexandri IV. non dubitâſſet de epiſcopis Græcis intra diœceſes Latinorum epiſcoporum ſtatutis in Cypro, & quidem electis à clero Græco, ſed confirmatis ab epiſcopo Latino, cui obedientiam promittebant. Legitur ea Conſtitutio apud Labbeum tom.* XI *col* 2253. *Ex illa ſolùm huc transfero modum, quo Græci epiſcopi erant promovendi:* Quoties quamlibet prædictarum ſedium Græcorum præſule vacare contigerit: alter à clericis ſedis ejuſdem, invocatâ Spiritus ſancti gratiâ, in epiſcopum eligatur. Cujus electionem Latinus pontifex,

in

in cujus diœceſi fuerit ſedes illa, ſi eam invenerit de perſona idonea celebratam canonicè, auctoritate ordinaria ritè ac ſine difficultate confirmet, ac ſibi faciat per epiſcopos Græcos vicinarum diœceſum, quos ad hoc idem Latinus advocabit pontifex, munus conſecrationis impendi; epiſcopalem ſolicitudinem atque curam monaſteriorum, eccleſiarum, cleri & populi Græcorum, in ſua civitate atque diœceſi conſiſtentium, auctoritate propria commiſſurus eidem, & recepturus ab eo juratoriam profeſſionem obedientiæ. *Hæc, opinor, ſufficiunt, ut quilibet perſpiciat, non minùs falſam, quàm ineptè excogitatam, eſſe expoſitionem vocis* præſul *in verbis Innocentii III, qui de Cypro inſula agit, de qua etiam loquitur Alexander IV. Neceſſitas Græcos Catholicos juvandi effecit, ut iis Græci darentur epiſcopi, ſed Latinis ſubjecti. Non erant ſic duo capita ejuſdem corporis; omnibus tamen erat proſpectum.*

epiſcopus Græcus Romæ ad Græcos ordinandos ſtatutus.

252 *Ob ſimilem neceſſitatem Clemens Papa VIII in Conſtitutione* Sanctiſſimus, *quæ in Bullario eſt* 34, *hæc ſtatuit:* Inſuper idem Sanctiſſimus D. N. conſtituit, Romæ habendum eſſe epiſcopum Græcum Catholicum, qui Græcos epiſcopis Latinis Italiæ & inſularum adjacentium ſubjectos, ab epiſcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimiſſoriis, ad id tantùm concedendis, ritu Græco ordinet. *Non audebit aſſerere Mazochius, hæc eſſe* contra canones contraque receptos mores. *Idem tamen eſt, quod Neapoli factum credimus: nam qui Græcus ibi aliquando fuit epiſcopus, non ſolum Græcis illius civitatis eccleſiis miniſtros ordinare poterat, ſed etiam aliis vicinis ditionis Neapolitanæ, ubi erant neceſſarii. Quod objicit Mazochius de diverſitate linguarum in variis regio-*

nibus, in quibus tamen unicus eſt epiſcopus, ad rem non facit. Nam diverſitas linguarum non inducit neceſſitatem plurium epiſcoporum, niſi diverſo etiam ritu ſacra peragantur. Quod additur de diverſitate ritûs in Apulia, Lucania, Brutiis, *ubi* hodieque, *ut teſtatur*, pars Latino ritu, pars Græco ſacra faciunt, *etiamſi Latinum dumtaxat habeant epiſcopum, etiam non urget. Nam ut illis eccleſiis Græcis miniſtri ritu Græco ordinari poſſint, Eccleſia Romana habet epiſcopum Græcum, ut ex verbis Clementis VIII perſpeximus. Demum ſilentium Joannis Diaconi de epiſcopis illis Græcis nihilo plus evincit: nam ille ſolùm recenſuit epiſcopos Neapolitanos, qui diœceſim jure epiſcopali regebant, omiſſis eorum adjutoribus. Hæc mihi ſufficere videntur ad aſſerendum eccleſia Neapolitana epiſcopum olim Græcum, Latino ſubditum. De eccleſia, in qua ille ſacra peregit, non diſputabo, ne longiùs recedam à* S. Januario. *Illud ſolum Neapolitanos amicè moneo, ne operoſis magis quàm ſolidis Mazochii ratiociniis, quibus perſuadere nititur, eccleſiam S. Reſtituta eſſe antiquam Stephaniam, nimiùm fidant.*

§ XVIII.

§ XVIII. Inquiritur, quo loco caput & ſanguis S. Januarii fuerint conſervata: oratorium apud eccleſiam cathedralem ſeculo IX à S. Athanaſio conſtructum, eique illatas dictas reliquias, non probatur.

Caput S. Januarii haud dubiè unà cum corpore

QUamquam multa hactenus differui de tranſlationibus corporis S. Januarii, *omniaque aſſignavi loca, in quibus illud variis temporibus fuit conſervatum, de capitis tamen & ſanguinis tranſlatione ſtudioſè filui, ut ab hac inquiſitione ad perpetuum ſanguinis liqueſcentis miraculum continuò procedere poſſem. Inquirendum igitur venit hoc loco, ubi caput & ſanguis, de quibus apud antiquiores altum eſt ſilentium, olim conſervata fuiſſe videantur. Varias hac de re invenio opiniones, ut contingere ſolet in rebus obſcuris. Dubitari non poteſt, quin pretioſæ illæ capitis & ſanguinis reliquiæ Puteolis Neapolim fuerint tranſlatæ; ſed ambiguum videtur, utrùm unà cum corpore, an citiùs aut ſeriùs eò fuerint delatæ, cùm in Actis tranſlati corporis nulla de capite aut ſanguine fiat mentio. Verùm cùm nulla ſimiliter notitia reperiatur, ſaltem vetuſta, de tranſlato ſeorſum capite aut ſanguine, probabilius certè ac veriſimilius eſt, caput & ſanguinem fuiſſe una cùm corpore in eodem loculo, quando corpus ex primo ſepulturæ loco ad eccleſiam ſuburbii Neapolitani tranſlatum eſt. Ne-*

que enim eſt, cur dubitemus, quin corpus & caput ſimul fuerint ſepulcro tradita, ut paſſim factum eſt in ſepulturis martyrum. De ſanguine collecto nullum quoque poteſt eſſe dubium, cùm ferventiſſimo ſtudio martyrum ſanguinem colligere ſolerent Chriſtiani, ut variis locis probat Aringus in Roma ſubterranea.

ſepulcro illatum fuit, & veriſimiliter etiam ſanguis.

254 *Non æquè certum eſt, ſanguinem intra ſepulcrum ab initio fuiſſe depoſitum; nam aliquando Chriſtiani ſanguinem, ſive in linteis ſive in vaſculo collectum, intra ſepulcrum depoſuerunt; at non rarò etiam vaſcula vitrea aut teſtacea, ſanguinem continentia, ita inſeruerunt parieti lateritio, quo clauduntur ſepulcra, ut foris cernantur, quemadmodum in cœmeteriis Romanis ipſe plura id genus vaſcula, integra ac ſanguine tincta, cæmento ſepulcrorum affixa vidi. Quin & tria ex iis ſepulcris, quibus vaſcula erant præfixa in muro, nobis tunc primùm aperta fuere; ſed in illis nihil vidimus præter oſſa corporum. Videntur & nonnulli fuiſſe, qui ſanguinem martyrum, linteis aut veſtibus aſperſum, religiosè apud ſe ſervarent. Ex hiſce igitur certum non eſt, ſanguinem* S. Januarii *intra ſepulcrum fuiſſe depoſitum cum corpore & capite. Attamen, ſi attendamus ad ſepulturæ adjunctæ, & conſideremus ampullas, quibus ſanguis ille pretioſus etiamnum conſervatur, veriſimillimum fiet, ſanguinis ampullas cum corpore & capite fuiſſe ſepulcro illatas. Nam Neapolitani dicuntur rapuiſſe Sancti corpus & ſepeliiſſe, ut veriſimile non ſiat, uni alicui ampullas, in quibus collectus erat ſanguis, fuiſſe relictas. Neque enim permiſiſſent alii, quantum videtur, ut unus aliquis theſaurum iſtum ſibi ſolus vindicaret. Credunt Neapolitani, à pia femina collectum fuiſſe* S. Januarii *ſanguinem, ut inſinuat Caracciolus*

in

in Hiſtoria S. Januarii *cap.* 20 *ſect.* 16 *his verbis:* A fæmina quoque S. Januarii ſanguinem fuiſſe collectum, indicat egregia ejus imago, in valvis organi archiepiſcopalis eccleſiæ ab inſigni pictore Georgio Vaſario depicta tempore Pauli Papæ III: & alia in porticu eccleſiæ ſancto Martyri dicata extra mœnia civitatis. *Conjecturam illam dat Caracciolus tamquam veriſimilem, quia femina pia ejuſmodi officia obiiſſe ſubinde leguntur.*

255 *At neque ipſe, neque alii Neapolitani, reliquis eruditione præſtantiores, cogitationem illam aliquot pictorum pro traditione bene fundata allegant. Chioccarellus diſſertationem ſuam de ſanguine* S. Januarii *in Collectione Ms. ita orditur:* Primò eſſet indagandum, quis ſanguinem illum divi Januarii ejus decollationis tempore collegerit, quod haud habetur exploratum. Attamen in antiquis quibuſdam picturis ac iconibus, in aliquot templis exiſtentibus, inſpeximus à muliere quadam fuiſſe collectum: quod credibile ac veriſimile videtur, mulierem id egiſſe, cùm devotus fæmineus ſexus id agere conſueverit: ſed ſanguis ille tamdiu celatus ac ignotus extitit, ut per tot ſæcula nulla de eo notitia fuerit habita. *Tum allegat Acta, Miracula, aliaque documenta antiqua, in quibus de ſanguine nulla ſit mentio. Ex eo autem ſilentio colligit, certò reſciri non poſſe, quis* S. Januarii *ſanguinem collegerit. Ex eodem ſilentio laudatus Chioccarellus acriter refutat opinionem popularem, quam dolet à nonnullis obtruſam fuiſſe pro traditione eccleſiæ Neapolitanæ, nimirum ſanguinem Sancti à muliere, quæ illum collegerat, fuiſſe ſervatum, donec* S. Januarii *corpus Neapolim eſſet tranſlatum; ac tum demum eam* Neapolitanis civibus ſignificâſſe, ſe ſervare ejus Sancti ſanguinem,... ac velle eum illis tradere, ut unà cum

Certè credibile non eſt, à perſona, quæ eum collegerat, diu ſervatum,

ca-

capite ac corpore ſervarent. *Quàm improbabile ſit illud figmentum, quod ſumma cum indignatione refutat Chioccarellus, vel ex ſolo tranſlationis tempore colliget ſtudioſus lector. Nam, ut probatum eſt § 7, tranſlatio prima toto ferè ſeculo poſterior eſt martyrio* S. Januarii, *ut minimè ſit verisimile, perſonam illam, qua* S. Januarii *ſanguinem collegit, uſque ad illam tranſlationem ſuperfuiſſe.*

& poſt corporis tranſlationem à muliere prolatum,

256 *Adjuncta traditionis improbabilis ita exponit Chioccarellus:* Neapolitani verò eo nuncio exhilarati ſunt, ac valde illum (*ſanguinem*) exoptare dixerunt. Ac dicta die, quâ mulier ſe venturam dixerat,... venit per viam Appiam, quâ è Puteolis Neapolim gradiebatur. Neapolitani verò ea die cum epiſcopo & clero, ac maxima fidelium turma, & univerſo populo caput D. Januarii deferentes, & clerici proceſſionem tunc geſtantes, atque obviàm euntes, præ nimio calore in menſe Maio coronas è roſis aliiſque floribus eorum capitibus imponentes, proceſſerunt: atque mulieri obviàm facti ſunt in villa quadam prope Neapolim, quæ Antinianum vocatur, & ſecundo (*lapide, opinor,*) diſtat ab urbe Neapoli, ubi poſtea in ejus facti memoriam ædicula, ſeu ſacellum D. Januario erectum eſt. Mulier verò illico ſanguinis phialam protulit; qui durus & concretus erat, & in conſpectu capitis poſitâ (*ſcilicet phialâ,*) liqueſcere ac ebullire ſanguis viſus eſt. Et exinde obſervatum atque perſpectum fuit, ut, cùm ſanguis capiti appropinquaret, liquefieret, cùm autem elongaretur, dureſceret: & ab eo ſumpſit initium, & cœptum eſt liquefactionis ejus ſanguinis miraculum ſingulis annis eo menſe renovari, quod huc uſque ſervatur, vocaturque feſtum delli preti inghirlandati.

257 *Hactenus Chioccarellus, exponens aliorum aſ-*

asserta, qua mox refutat his verbis: Hujus autem traditionis scriptor omnium primus fuit & antesignanus Paulus Regius, canonicus priùs Neapolitanus, deinde Vici Æquensis episcopus, in Actis S. Januarii, quæ scripsit: & quis revelaverit, aut quo auctore didicerit, ac unde depromserit tam recens scriptor, qui post annos MCCC (*imò* MCC *ferè à prima translatione*) floruit, aut quis assertam traditionem ejus auribus intonuerit, ignoramus. At dolemus, ut tam recens scriptor, quod veteres nescierunt, vel posteris non tradiderunt, is suo marte effingere, ac uti vera, & pro antiqua traditione tradere, ac scribere non sit veritus, quod falsum deprehenditur. Scimus enim, Paulum tot tantosque libros de Sanctis hujus civitatis ac regni scripsisse, sed parùm diligenter & infaustè, & infelicissimè, adeo ut Antonius Caracciolus in libello de Patria D. Januarii eum Paulum appellet minorum gentium scriptorem, & solo cognomine Regio, cæterùm autem plebeio ingenio & stylo. *Hæc miro candore Chioccarellus, addens Pauli Regii asserta ab aliis pluribus, quos* more pecudum *secutos dicit, adoptata fuisse.*

quod primus scripsisse dicitur Paulus Regius,

258 *Prudentem Chioccarelli crisim non adoptârunt omnes Neapolitani scriptores, sive quòd illa ejus scripta numquam fuerint vulgata, sive quòd plures Regium jam antè essent secuti, horumque asserta avidè fuerint excepta. Certè novellam illam traditionem etiam exponit Tutinus cap.* 15 *cum aliqua tamen mutatione, cùm velit, corpus, caput & sanguinem* S. Januarii *simul Neapolim fuisse translata; liquefactionem verò sanguinis contigisse in colle Antiniano, postquam episcopus Neapolitanus omnes praditas reliquias ibidem exceperat, & sanguinem capiti oppositerat. Addit præterea, corpus tunc fuisse translatum ac ecclesiam*

& nonnulli deinde adoptârunt,

extra muros civitatis conditam, quod certum est, caput verò & sanguinem ad ecclesiam cathedralem, de quo necdum constat. Tutinum alioque, quos laudat, novissimè secutus est Hieronymus Maria à S. Anna in Vita lib. 2 cap. 5, vocatque opinionem communem *historicorum Neapolitanorum.*

non tamen omnes; ut probatur,

259 *At certè inter historicos Neapolitanos eruditiores est Caracciolus mox laudatus, qui sect. 16 non obscurè Tutini opinionem refellit.* Nam primò existimat, ampullas istas (*sanguinis*) cum ejus (*S.* Januarii) corpore fuisse tumulatas; *non verò conservatas à muliere usque ad corporis translationem. Mox conjicit, ampullas fuisse* in Stephaniam *translatas, sive in eadem cathedralem, quando corpus à Sicone Beneventum fuit translatum, id est, seculo* IX; *caput verò jam antea in cathedrali fuisse. Deinde relata opinione Tutini, hac adversus eam subjungit:* De qua tamen re; nec Acta Translationis, nec scriptores Vitæ S. Severi, & Joannis, qui tunc erat Neapolitanus episcopus, meminerunt. *Tum alia laudat documenta medii avi, in quibus de liquefactione sanguinis* S. Januarii *nulla fit mentio, subditque:* Itaque incertum apud me est, quo primùm tempore ea liquescentia vel contigerit, vel fuerit observata. Omnino autem, si non statim ab ejus cæde contigit, sed multis pòst seculis, id in occultam Numinis providentiam rejiciendum est. *Illustrissimus Sabbatinus in Annotatis ad vetustum Calendarium Neapolitanum tom. 9 Diss. 7 pag. 121 agnoscit, certò dici non posse, quo tempore sanguis* S. Januarii *primùm Neapolitanis innotuerit, & pag. 122 insinuat, non placere sibi opinionem ante relatam, quæ glorioso traditionis nomine insignita fuit à pluribus, indignante Chioccarello, ejusque refutationem his verbis ordiente:* Unde autem aliqui

liqui ſcriptores, ne dicam nebulones, didicerint, deprompſerint, ſive confinxerint, ab antiquis fuiſſe traditum, & eſſe traditionem eccleſiæ Neapolitanæ *&c.*

260 *Similiter clariſſimus Mazochius dictam opinionem de ſanguine primùm liqueſcente, aut in prima corporis tranſlatione, aut paulò pòſt adeo contempſit, ut in Diſſertatione hiſtorica de Eccleſia Neapolitana ſemper unica, ubi pag.* 50 *in epocham liqueſcentis primùm* S. Januarii *ſanguinis inquirit, ne referendam quidem aut refutandam duxerit; candidéque edicat,* fruſtra ſe fatigare ſcriptores *aliquot Neapolitanos* in figenda ſanguinis liquefacti epocha. Nam, *inquit*, ſi quid tale umquam ſæculis illis remotioribus ac martyrio proximioribus acciderit, id planè ignoramus. *Rectè hæc Mazochius. Si enim meritò contemnitur, quidquid recentior ſcriptor de rebus adeo vetuſtis aſſerit ſine antiquorum teſtimonio, quam fidem habere poſſumus Paulo Regio, poſt duodecim ferè ſecula aſſerenti, ſanguinem* S. Januarii *à muliere conſervatum uſque ad primam corporis tranſlationem, tum demum præſuli Neapolitano traditum, eodemque tempore liquefactum? Quis, inquam, prudens ejuſmodi novelli ſcriptoris, qui floruit ſeculo* XVI *ad finem vergente, aſſertum non contemnat, cùm nullum alleget ſcriptoris vetuſti teſtimonium, & in ſcribendo parùm fuerit accuratus?* *& meritò;*

261 *Non inquiram ſcrupulosè, an ante Paulum Regium nullus illam opinionem aſſeruerit, quemadmodum affirmat Chioccarellus: nam video eamdem opinionem aſſeri etiam in Ode, edita apud Caracciolum pag.* 285, *quam nonnemo in Diſſertatione aliqua Ms., de hiſce ad nos miſſa, reducit ad ſeculum* XV. *Verùm pag.* 220 *ait Caracciolus ipſe:* De horum carminum antiquitate ſum quidem *cùm non videatur vetuſta traditio*

dem dubius. *Carmina verò ipſa maximè videntur congruere ſeculo* XVI, *& fortaſſe ipſo ſeculo* XVII, *quo edita ſunt, aut exeunte* XVI, *dum florebat Paulus Regiò, fuere compoſita. Si antiqua fuiſſent, id ex ſcriptura ipſa vidiſſet Caracciolus, qui veriſimiliter autographa vidit. Chioccarellus, qui hymnos complures & carmina ſua collectioni Ms. inſeruit, ea carmina non habet. Quare nihil intererit, illine poëta, an Paulo Regio, tribuamus primam illius opinionis inventionem. At certè perperam ab aliquibus vocatur* antiqua *aut* antiquiſſima *traditio, niſi forſan opinio, quæ ducentos necdum annos attingere videtur, antiqua traditio vocari poſſit. Ita quidem conjecturas, quæ ſtatim aliquibus placuerant, & ſic utcumque invaluerant, poſt annos quinquaginta aut ſexaginta pro traditionibus vetuſtis ab aliquibus venditari, alia occaſione animadverti.*

ſed opinio popularis.

262 *Verùm in ſimilibus magis verſati ſumus, quàm ut ejuſmodi nominum larvis terreamur aut deludamur. Opiniones illas, quas conjecturandi aut fingendi audacia poſterioribus ſeculis peperit, & credulitas populi nutrivit, pro vetuſtis traditionibus admittendas non credimus; ſed vetuſtas exiſtimamus traditiones, eaſque pro rerum adjunctis magis aut minùs certas, quando earum vetuſtas antiquis documentis probari poteſt. Beneventani aiunt, in domo, quam in civitate ſua oſtendunt,* S. Januarium *fuiſſe natum, & antiquam vocant traditionem, cujus tamen antiquitatem vetuſtis documentis probare nequeunt. Non admittent Neapolitani, vetuſtam revera eſſe illam traditionem. Neque nos admittere poſſumus, opinionem antè relatam de liquefactione prima ſanguinis* S. Januarii *ex vetuſta traditione ortam. Cùm enim omnia vetuſta documenta, quæ edituri ſumus, de illa li-*

que

queſtione ſileant; ac de ea, ſi facta fuiſſet, certè mentio fieri debuiſſet in Actis tranſlationis, & magis etiam in Homilia de miraculis; nihil reſtat, niſi ut dicamus, minimè probabilem eſſe opinionem illam, omnique ſolido fundamento deſtitutam.

Caput & ſanguis veriſimiliter tranſlata ſunt cum corpore,

263 *Jam verò Mazochius in laudato Opere de Eccleſia Neapolitana unica cap. 5 ſect. 2 exiſtimat, caput & ſanguinem* S. Januarii *unà cum corpore tranſlata fuiſſe ad eccleſiam* S. Januarii, *in ſuburbio Neapolitano ſitam; ibique ſemper manſiſſe uſque ad tranſlationem corporis, quod Sico princeps ſeculo* IX *Beneventum detulit. Primum mihi admodùm apparet veriſimile, cùm nihil innotuerit de capite aut ſanguine jam tum ſeorſum poſito. Nulla tamen habentur documenta, quibus ea conjunctio omnino fiat certa. At longè magis incertum eſt, an caput & ſanguis in eadem eccleſia manſerint uſque ad tranſlationem corporis per Siconem. Nihil hac de re ab antiquis traditur. Ratio verò, quæ allegatur à Mazochio, nequaquam urget. Laudatus ſcriptor ita loquitur:* Nunc ſi poſſumus, inquiramus, quid acciderit, poſtquam Sico princeps Beneventanus anno DCCCXVII (*imò poſt illum annum, ut probatum eſt num.* 120) ex illa extramurana baſilica Januarii corpus Beneventum abſtulit. Tunc quidem ſolum ſancti Martyris truncum fuiſſe aſportatum, ſacrum verò caput & cruoris ampullas Neapoli remanſiſſe, certiſſimum eſt. Ubinam ea pignora remanſerint, rogas? Facilè viris doctis aſſentior, ea tunc in eadem extramurana S. Januarii æde remanſiſſe. Nam ſive forſan ſeorſum ibi aſſervabantur à corpore, ſive alia de cauſa, facile fuit ea duo pignora, ſive Siconis piæ aviditati præripere, ſive eodem Sicone aſſentiente retinere. Atqui non diu ibi tan-

tum thesaurum substitisse, sed mox in cathedralem fuisse translatum, minimè dubito; etsi quandonam id acciderit, nemo antiquorum scriptum reliquit.

at non est verisimile, illa mansisse cum corpore usque ad alteram hujus translationem.

264 *Vellem, minùs asseveranter conjecturas suas proposuisset clarissimus Mazochius. Non enim capio, qua ratione* minimè *dubitet, quin* non diu *post ablatum corpus secuta sit translatio capitis & sanguinis ad cathedralem. Fatetur, nullibi scriptum, quandonam ea translatio fuerit peracta. Non video igitur, cur non aquè precedere potuerit Beneventanam corporis translationem, quàm sequi. Neutrum legitur scriptum. Cur ergo postremum eligit Mazochius? Creditne, sacra ea pignora cum corpore fuisse tempore translationis, quia cum corpore ablata non sunt? At id non esset hominis rationem ducem sequentis. Certè contrarium ex ea ratione fit verisimillimum. Neque enim Sico, qui Neapolim non intravit, auferre poterat caput & sanguinem, si ea jam antè in urbem ipsam erant delata, & in cathedrali servabantur. Hoc itaque si factum est, facilè capimus, cur ablata non sint. At non ita verisimiles sunt conjectura Mazochii de relicto illo thesauro. Etenim ex Historia translationis constat, Siconem hostili fuisse animo in Neapolitanos, ut verisimile non sit, aliquid reliquiarum* S. Januarii, *ipso consentiente, in ecclesia suburbana relictum. Minùs quidem incredibile est, seorsum fuisse servata caput ac sanguinem, eaque de causa non inventa à Sicone. At rursus eam ipsam conjecturam infirmat ipse Mazochius pag. 46 his verbis:* Non solebant martyrum reliquiæ apud antiquos alibi, quàm sub altari reponi. *Nam si corpus similiterque caput & sanguis in eadem ecclesia erat sub altari, quomodo non omnia simul invenit ac transtulit Sico, præsertim cùm usus fuerit*

rit operâ alicujus, qui optimè noverat, ubi corpus eſſet repoſitum? Qui enim corpus aſſignare poterat, veriſimillimè noviſſet etiam, ubi caput eſſet & ſanguis, ſi in eadem fuiſſent eccleſia.

265 *Quare nimis aſſeveranter de re incerta iterum loquitur Mazochius, ita pergens:* Atequidem eam capitis & cruoris tranſlationem medio IX ſeculo ab S. Joanne Scriba, ejus nominis quarto, quem hujuſmodi plurimis tranſlationibus ditâſſe Stephaniam (*ita vocabatur eccleſia cathedralis*) ex chronographo Joanne conſtat, factam, ac mox ab ejus ſucceſſore S. Athanaſio nobilem S. Januarii memoriam Stephaniæ adjacentem fuiſſe adornatam, & in ejus altari caput & ſanguinem Martyris fuiſſe recondita, perſuaſiſſimum habeo. *Sanè rurſum non capio, quâ ratione id* perſuaſiſſimum *habeat Mazochius. Nam eas conjecturas magis deſtruunt, quàm probant, omnia illa, quæ ab eo allegantur ad probandum.* Ac primùm omnium, *inquit*, ex quodam Joannis Diaconi loco, nondum cuiquam intellecto, conſtat, fuiſſe ante S. Athanaſium quamdam S. Januarii eccleſiam, ſive potiùs eccleſiæ rudimentum, quam ipſe Athanaſius exornaverit, in eaque altare conſtruxerit ejus formæ, quæ ad reliquias (ipſius utique Martyris) recondendas comparata videretur. *Audiamus mirabilem Joannis Diaconi locum, quem nemini intellectum credit Mazochius.*

Quæ ad iſtud probandum allegat Mazochius,

266 *Laudatus Joannes tom. 1 Scriptorum Italiæ part. 2 pag. 316 in S. Athanaſio ſic habet:* Præterea eccleſiam S. Januarii in ipſo cubiculo poſitam renovavit, nobiliumque doctorum effigies in ea depinxit, faciens ibi marmoreum altare cum regiolis (*ut habet editio Muratorii, ſed alii legerunt* cum regilis, aut cum regulis, *ſed* cum regiolis, *id eſt, cum oſtiolis veriſimiliter ſcriptum fuerit*)

etiamſi vera eſſent, nihil evincerent.

ar-

argenteis. Supra quod velamen cooperuit, in quo martyrium S. Januarii ejusque Sociorum acupictili opere digessit. *Hic ille locus nondum cuiquam intellectus, quem allegat Mazochius. At numquam probabit, agi ibidem de ecclesia intra aut juxta cathedralem posita. Hoc autem si omnino probari posset, translatio capitis & sanguinis per S. Joannem S. Athanasii decessorem nihilo magis probaretur. Longè faciliùs intelligam locum nemini intellectum, quàm ullam inveniam connexionem, quâ alterutrum ex allegato loco deducat Mazochius. Longum nimis esset omnia Mazochii verba huc transferre, & magis etiam tadiosum. At, si dialecticam ego intelligam, tota ejus disputatio nihilo magis prodest ad alterutrum probandum, quàm agri somnia valeant ad veritatem rei somno representatæ ostendendam. Missa igitur tadiosa planèque in rem præsentem inutili dissertatione, inquiram, quanam sit illa ecclesia, quam renovavit S. Athanasius, quia diversa de ea sunt scriptorum sententia.*

At Joannes Diaconus per ecclesiam S. Januarii in ipso cubiculo positam,

267 *Unica ex omnibus loci expositio mihi naturalis videtur & vera. Est ea Sabbatini in Annotatis ad Kalendarium tom. 9 pag. 116, ubi ecclesiam* in ipso cubiculo positam *exponit ecclesiam in ipso loco sepultura* S. Januario *dicatam. Hanc sententiam jam indicavi num. 171 sine ullo dubio, quando necdum perspexeram, locum tam variè exponi. Verùm prolixam deinde accepi ab amico Neapolitano Dissertationem Ms., in qua de expositione dicti loci multis disputatur, Sabbatinique sententia oppugnatur, ut alia stabiliatur, quæ est Falconii. Liberum sanè mihi erat mutare sententiam, verbulo solùm indicatam, ac necdum vulgatam. At argumenta, quæ opponuntur non cogunt, genuinam loci expositionem deserere; sed solùm hanc prolixiùs as-*

asserere, & ad argumenta, quæ opponuntur, respondere. Varia significatio vocis cubiculum *varietati sententiarum occasionem præbuit. Nota satis est Latina vocis significatio, quâ indicatur locus, in quo cubile aut lectus habetur, ut nonnulli vocem in allegato loco exponunt.* Cubiculum *medio ævo etiam significabat locum sepulcri; ac tertiò designabat sacellum aut oratorium. Duæ hæ notiones satis probantur apud Cangium in Glossario Latino-barbaro; neque eas negabunt adversarii. Reliquas vocis* cubiculum *expositiones non adduco, cùm ad propositum nostrum non conducant.*

268 *Jam verò* cubiculum *à Joanne Diacono ibidem accipi pro loco sepulcri, omnia adjuncta, cum aliis documentis collata, prorsus insinuant. De cubiculo* S. Januarii *crebra fit mentio in Homilia de Miraculis, ubi num.* 2 *hæc leguntur:* Cùm rerum natura periret, ad solitum beati martyris Januarii concurrunt cubiculum. *Rursum num.* 6 *de Gregorio tribuno dicitur:* Cubiculum ingressus B. Januarii martyris *&c. Tum num.* 10 *ad* B. Januarii martyris currunt cubiculum, *nimirum Crescens & Innocentius, ex quibus posterior dicitur attulisse,* sanctum pulverem, quem desuper Martyris sepulcrum sumpserat; *ut nullum possit esse dubium, quin per* cubiculum *intelligatur locus, sive oratorium illud, in quo erat Sancti sepulcrum. Hinc aliquando opem flagitantes* ad sepulcrum *Sancti accurrisse dicuntur, uti Florentius num.* 8: Vix tandem ad sepulcrum pergens beati martyris Januarii *&c. Sic num.* 13: Et dum cernant quotidie numerosas orationum catervas beatissimi Januarii martyris tumulum, tamquam radiantes gemmas, stipare *&c. Ex allegatis colligitur, notissimum fuisse* cubiculi *nomine oratorium subterraneum, in quo erat corpus* S. Januarii, *& quidem tempore Joan-*

designat oratorium, in quo fuerat Sancti corpus extra urbem.

vis Diaconi: nam auctor illius Homiliæ ante dictum Diaconum ſcripſit; nec dubitari poteſt, quin ſcripta ejus Neapoli eſſent notiſſima, utpote Miracula Patroni Neapolitanorum enarrantia. Si modò attendamus ad modum loquendi Joannis Diaconi, meritò non dubitabimus, quin de illo ipſo loquatur oratorio renovato. Dicit enim: Eccleſiam S. Januarii in ipſo cubiculo poſitam renovavit. *Nam dum ait* in ipſo cubiculo, *clarè inſinuat, unicum fuiſſe locum, qui* cubiculum S. Januarii *Neapoli vocabatur: neque enim rectè dixiſſet*, in ipſo cubiculo, *ſi plura fuiſſent* S. Januarii *cubicula, aut plura loca ſic dicta.*

Primum argumentum, contra illam expoſitionem objectum, ſolvitur;

269 *Attamen in Diſſertatione Ms. aliqua contra ſententiam illam formantur objectiones, quas neceſſe eſt examinare. Prima eſt, quòd Joannes Diaconus eccleſiam* S. Januarii *extra muros poſitam videatur diſtinguere ab eccleſia poſita in cubiculo. Nam poſtea de eodem S. Athanaſio dicit:* In eccleſia denique S. Januarii, foris ſita, monachorum collegium ſub abbatis regimine ordinavit, offerens eis unum hortum in campo Neapolitano poſitum. *Ex Falconio pag.* 489 *ſumpta eſt objectio. At reſpondeo, nullam in ea objectione eſſe difficultatem. Nam ſi Joannes Diaconus de eadem eccleſia bis fuiſſet locutus, ac eidem etiam diverſa attribuiſſet nomina; nihil inſolens aut ſibi inuſitatum feciſſet. Sic in eodem Athanaſio bis loquitur de eccleſia cathedrali ſub diverſis nominibus, ſed quæ eamdem prorſus deſignant. Primò dicit:* In eccleſia Stephania tredecim pannos fecit *&c. Deindeverò poſt alia interpoſita:* Ordinavit etiam, ut in eccleſia Salvatoris omni die Miſſa publica cum dipicis (*diptychis*) celebretur *&c. Atqui tamen nullus dubitat, quin* Stephania *&* eccleſia Salvatoris *una ſit eademque cathedralis, cùm id Joannes*

nes ipſe pag. 311 *luculenter declaret his verbis:* Eccleſia Salvatoris, quæ de nomine ſui auctoris Stephania vocitatur. *&c. Quapropter mirandum non eſſet, ſi bis etiam de eadem* S. Januarii *eccleſia ſcripſiſſet Diaconus. Hoc tamen non ita fecit. Nam eccleſia in ipſo cubiculo poſita erat ſolùm pars totius eccleſiæ ſuburbanæ* S. Januarii. *Hanc autem partem, quàm eccleſiam non incongruè vocat, renovatam primò narrat, fortaſſe quia ordine temporis ſingula expoſuit. Deinde verò docet, eccleſia toti monaſterium fuiſſe additum, & ſic ſuis nominibus rectè ſingula deſignavit.*

270 *Altera objectio petitur ex Homilia de Miraculis ſuprà laudata, in qua num.* 9 *dicitur Florentius, poſt obtentam patrocinio* S. Januarii *præfecturam*, altare ejus pretioſis *exornâſſe* marmoribus,... quodque altare vallavit cancellis cum oſtiis fabrefactis argenteis. *Nam ex eo infertur, verum non videri, quod Joannes Diaconus in eccleſia* S. Januarii in cubiculo, *ſi hæc ſuburbana creditur, ab Athanaſio factum ſcribit his verbis:* Eccleſiam S. Januarii in ipſo cubiculo poſitam renovavit,... faciens ibi marmoreum altare cum regiolis (*id eſt, oſtiolis*) argenteis. *Si credimus auctori Diſſertationis, quæ Athanaſius feciſſe dicitur, jam antea erant in ſuburbana* S. Januarii *eccleſia, & conſequenter in alia quapiam eccleſia eadem fecit S. Athanaſius. Verùm hæc objectio ſententiam noſtram confirmare magis, quàm infirmare videtur. Cùm enim S. Athanaſius non dicatur eccleſiam exſtruxiſſe, nec tantùm exornâſſe ſupellectile, ſed renovâſſe; neceſſe eſt, dicamus, talia ferè ibi fuiſſe antea, qualia ipſe fecit. Si igitur antè ibi erat altare* marmoribus *exornatum, quod vetuſtate fatiſcebat, aliud exſtruendo marmoreum altare renovabat eccleſiam. Si antea ibi erant cancelli cum oſtiolis ar-*

tuti & ſecundam, quod potiùs datæ expoſitioni favet.

genteis, ſed quæ aut injuriâ ſolius temporis multum detrimenti erant paſſa, aut avaris fortè prædonum manibus confracta, partimque aut tota ablata; poterat rurſum eccleſiam renovare Athanaſius curando, ut nova fabricarentur oſtiola, ſive ex argento vetuſtorum, ſi illud ſupererat, ſive ex alio ſua liberalitate comparato. Vim haberet objectio, ſi Florentius altare, quod exornavit marmoribus, totum ex marmore ſtruxiſſet, idque ac oſtiola argentea fabricâſſet æternùm duratura ſine ulla immutatione. At cùm Florentius duobus fortè aut tribus ſeculis S. Athanaſium præceſſerit; altare ab ipſo marmore ornatum, oſtiolaque exſtructa, facilè poterant inſtauratione egere, aut non ſatis ornata videri S. Athanaſio, qui omnia curavit inſtauranda.

Duæ aliæ expoſitiones refelluntur:

271 *Nihil igitur obſtat data expoſitioni verborum Joannis Diaconi, eaque ſola eſt genuina & vera, cùm nulla alia Neapoli eſſet eccleſia, quæ* in ipſo cubiculo S. Januarii *poſita rectè dici poſſet. Cuperus noſter ad* XV *Julii in S. Athanaſio, cùm præ manibus non habuiſſet Homiliam de Miraculis* S. Januarii, *ex qua maximè innoteſcit, quid per* cubiculum S. Januarii *intelligatur, in Annotatis locum expoſuit de oratorio in cubiculo domûs epiſcopalis poſito; ſed ſententiam haud dubiè mutaret, ſi viveret. Lectio quoque ibidem data, jam ſuperiùs correcta eſt. Falconius in Annotatis pag.* 489 *contendit, eccleſiam* S. Januarii *ad diaconiam fuiſſe renovatam à* S. Januario, *ibique vult fuiſſe ipſam* S. Januarii *domum. Nimirum ejuſmodi ſomnia hauſit Falconius ex fictitia Vita Græca. Verùm cùm de domo* S. Januarii *nullus antiquorum meminerit, dictæque Vitæ Græcæ non attribuamus majorem fidem, quàm fabulis Æſopi; neceſſe non eſt ſomnia illa Falconii prolixiùs refutare. Nam ex his verbis,* Eccleſiam S. Januarii in ipſo cubiculo

lo poſitam renovavit, *velle hanc deducere conſecutionem*; Ergo renovavit eccleſiam ad Diaconiam; *nec eſt hominis logicam intelligentis, nec ſobriè ratiocinantis. Non igitur ex Joanne Diacono ſuam opinionem hauſit Falconius, ſed ex figmento Vitæ Græcæ, cui Joannem ſuffragantem exhibere conatus eſt, licèt, remoto illo figmento, Joannes nihil dicat, quod ad ejus propoſitum faciat.*

272 *Mazochius pro ſua opinione non habet melius fundamentum, quàm Falconius. Quæſivit nimirum in imaginatione ſua aliquod* S. Januarii *oratorium, cathedrali eccleſiæ ſive Stephaniæ adhærens. Tum verò, acſi imaginando efficere potuiſſet, ut tale oratorium aliquando ſteterit, multa prolixè ratiocinatur de cubiculis, de oratoriis, de regiolis & de aliis, quæ nihil conducunt ad probandum tale oratorium* S. Januarii *ſeculo* IX *Stephaniæ adhæſiſſe, & vel ſic videtur exiſtimare, ſe probâſſe idem oratorium à S. Athanaſio inſtauratum, cùm nihil rationis attulerit, quâ credere poſſumus, umquam exſtitiſſe. In ipſo diſputationis iſtius ingreſſu pag.* 41 *Mazochius ita loquitur:* Ullum S. Januarii oratorium in Stephania autin proximo Stephaniæ ab antiquo fuiſſe, nuſquam litteris proditum reperitur. Neque id immeritò; quia ubi corpus requieſcebat, ibi & ejus baſilicam fuiſſe neceſſe eſt. *Hæc verè & rectè Mazochius. Jam verò pauca mihi ad allegata verba ratiocinari liceat. Si nuſquam litteris proditum eſt,* in Stephania aut in proximo Stephaniæ *fuiſſe antiquitus oratorium* S. Januarii; *unde ſuum illud, niſi ex ſola imaginatione, accepit Mazochius, quidve conſtruxit, niſi oratorium planè imaginarium? Nam ex verbis Joannis Diaconi*; Præterea eccleſiam S. Januarii in ipſo cubiculo poſitam (*S. Athanaſius*) re-

refutatur item expoſitio Mazochii, omni fundamento deſtituta.

novavit; *ratiocinando deducere hanc conſecutionem*, Ergo renovavit oratorium S. Januarii, quod erat in Stephania aut prope Stephaniam: *hanc, inquam, deducere conſecutionem, eſt imperitis illudere, peritis riſum movere. Fatetur, nihil de cubiculo aut oratorio* S. Januarii *in Stephania legi apud antiquos. Nihil ſimiliter legitur de tranſlatis per S. Athanaſium aut ipſius deceſſorem Joannem capite & ſanguine* S. Januarii. *Cur igitur oratorium in Stephania gratis exſtruit, eóque tunc tranſlatas* S. Januarii *dictas reliquias comminiſcitur, præſertim cùm notiſſimum eſſet* S. Januarii *cubiculum in ſuburbio, multiſque miraculis clarum?*

Confirmatur magis ſententia noſtra,

273 *Non ſolus locus ſepulturæ* S. Januarii *vocabatur* cubiculum; *ſed idem quoque nomen datum eſt loco, ubi ſepultus eſt S. Athanaſius, cui Diaconus convixit. Sepultus fuit S. Athanaſius, poſtquam corpus anno* 877 *ad ſuburbanam* S. Januarii *eccleſiam erat tranſlatum, in oratorio S. Laurentii, quod in porticu dictæ eccleſiæ locat Chioccarellus. Hæc videri poſſunt in S. Athanaſio ad* XV *Julii, ubi poſt Acta etiam data eſt Tranſlatio cum miraculis, ab auctore coævo ſcripta. Laudatus ſcriptor num.* 15 *de muliere, cujus puer ad extrema redactus erat, ita loquitur:* Quæ miſera & periculoſa mater,... intra templum beatiſſimi Januarii anxiè huc illucque diſcurrens, ingreſſa eſt cubiculum, ubi ſanctiſſimum corpus ejus (*S. Athanaſii*) quieſcit *&c. Rurſum num.* 21 *de infirma ſanctimoniali:* Quæ ad beati Athanaſii concurrit cubiculum *&c. Ex his lector colliget, etiam tempore Joannis Diaconi, cui Tranſlationis auctor contemporaneus fuit, vocem* cubiculum *pro loco ſepulturæ alicujus Sancti uſitatam fuiſſe. Quare non aliud quærendum eſt* S. Januarii *cubiculum, in quo eccleſiam renovavit S. Athanaſius, quàm locus ſepulturæ* S. Januarii.

nuarii, *Neapolitanis ſeculo* IX *notiſſimus. Hac etiam ſignificatione verba Joannis Diaconi optimum formant ſenſum. Nam, cùm locus ſepultura poſſit eſſe ſine eccleſia vel oratorio, rectè dicitur:* Eccleſiam S. Januarii in ipſo ſepulturæ loco poſitam renovavit. *At ſi oratorium aliquod Stephaniæ per* cubiculum *veniret intelligendum, ut imaginatus eſt Mazochius, non rectè locutus fuiſſet Joannes. Nam eccleſia illa, ut ipſe exponit Mazochius, erat oratorium; & conſequenter, ſi* cubiculum *ſit idem apud Joannem ac* oratorium, *dixiſſet ille:* Eccleſiam S. Januarii in ipſa eccleſia poſitam renovavit, *qui ſanè ridiculus eſt loquendi modus.*

274 *Hinc multùm laborat clariſſimus auctor, ut verba chronographi imaginario ſuo cubiculo vel oratorio adoptet, nec laborando proficit. Oſtendit pag.* 43 oratoria *etiam* cubicula *vocari. Tum verò,* Ergo illud, *inquit,* de quo Joannes Diaconus memorat, rectè antea CUBICULUM S. JANUARII dicebatur: at poſtquam altare ibi conſtructum, in eo reliquiæ conditæ fuerunt, ab eo tempore ECCLESIA S. JANUARII vocari cœpit, & quidem in ipſo cubiculo, hoc eſt, ejuſdem nominis cubiculo poſita. *Fruſtra ſic ex labyrintho evadere conatur. Neque enim ratiocinando efficiet, ut in illo loco antea non fuerit eccleſia, cùm Athanaſius* eccleſiam *renovaverit, renovari autem nequeat, quod antea non fuit. Erat igitur antea in cubiculo illo eccleſia, erat & altare, ſed fortè minùs elegans aut vetuſtate fatiſcens; eaque de cauſa fecit* marmoreum. *Nihil rurſum proficit Mazochius, cùm dicit, eccleſiam illam ante S. Athanaſium dumtaxat* rudem & imperfectam *fuiſſe. Nam vel eccleſia erat, vel erat ſolùm eccleſia inchoata. Si ſolùm erat inchoata, non diceretur eam* renôvaſſe *S. Athanaſius, ſed* perfeciſſe. *Si verò erat* eccleſia, *fruſtra*

magiſque refutatur Mazochiana.

tot verbis utitur Mazochius, ut perſuadeat, antea eccleſiam non fuiſſe. Fruſtra rurſum laborat, dum voces in ipſo cubiculo *explicare nititur, in* ejuſdem nominis cubiculo, *aut* in cognomine cubiculo. *Neque enim hæc eſt genuina loci expoſitio; ſed violenta corruptio. Liceat igitur ex dictis concludere, locum Joannis Diaconi non rectè intellectum à Mazochio, totumque illud oratorium, quod in Stephania conſtruere tentavit, pro omni fundamento habere meras imaginationes, non rectè coharentes.*

§ XIX. Inquiritur, utrùm eccleſia cathedralis aliquando S. Januario, cujus nomen ſeculo XII & XIII geſſit, fuerit dicata: caput & ſanguis Sancti ibidem ſervata, incertum à quo tempore.

Cathedralis Neapolitana ſeculis 12 *&* 13 *S. Januarii dicta fuit,*

TUtinus *in* S. Januario *pag.* 122 *exiſtimat, eccleſiam cathedralem Neapolitanam aliquando dedicatam fuiſſe* S. Januario, *& eidem ſaltem ſacram fuiſſe ſeculo* XIII. *Falconius pag.* 493 *&* 501 *refert, inſtauratam fuiſſe cathedralem ſeculo* XI *per Sergium III ducem Neapolitanum, & eo tempore* S. Januario *dicatam. Mazochius verò pag.* 47 *illos arguit erroris, contenditque, non quidem* S. Januario *fuiſſe dicatam, nominatam tamen* S. Januarii *eccleſiam. Attamen priori ſententiæ etiam adhæſit Sabbatinus tom.* 9 *pag.* 120. *Contrà Ma-*

zochii ſententiam antea tradiderunt Caracciolus cap. 15 *in S. Reſtituta virgine & martyre ſect.* 4, *& Hieronymus Maria de S. Anna lib.* 3 *cap.* 1, *ubi Caraccioli verba allegat, & ſequitur.* Ea item (*cathedralis, ſeu Stephania*) à capite & cruore, ut puto, & ſacello S. Januarii, BASILICA S. JANUARII dicta eſt Petro ſubdiacono, ſcriptori Tranſlationis ſanctorum Julianæ & Maximi martyrum, *inquit Caracciolus. Eamdem opinionem inſinuat Caracciolus cap.* 20 *in* S. Januario *ſect.* 22, *ibique oſtendit, eodem ferè ſe modo locum Joannis Diaconi intellexiſſe, quo eum exponere ſtudet Mazochius. Nam ita habet:* Olim præterea in ipſo epiſcopio, ſive Stephania, capellam adfuiſſe S. Januarii, aſſerit Joannes Diaconus in Athanaſio epiſcopo. Acta inſuper Tranſlationis SS. Julianæ & Maximi martyrum clarè dicunt, tranſlatum eſſe corpus S. Maximi ad ædem S. Januarii, quæ certè alia non erat, niſi epiſcopium, illo quidem tempore vetuſtum templum & anguſtum, poſtea verò novum & auguſtum. *Rurſum contrariam opinionem inſinuat Chioccarellus in Epiſcopis Neapolitanis pag.* 94, *eoque ſenſu exponit laudatum mox auctorem Tranſlationis SS. Juliana & Maximi. Ex his lector ſtudioſus intelligit, ſcriptores Neapolitanos conſentire de nomine* S. Januarii, *quod cathedralis Neapolitana maximè habuit à ſeculo* XII *uſque ad* XIV *inchoatum, quo nova cathedralis condita eſt, ac beatiſſimæ Virgini Mariæ dicata; at diſſentire de cauſa nominis, cùm alii velint* S. Januario *revera dicatam fuiſſe, alii id inficientur, aliamque nominis rationem ex conjecturis quærant.*

276 *Locus, qui ab omnibus allegatur aut aſſignatur, apud nos tom.* 2 *Februarii pag.* 883 *in Tranſlatione SS. Juliana & Maximi, peractâ anno* — *ut colligitur ex monumentis illorum temporum;*

no 1207, *ſcriptâque ab auctore contemporaneo*; *num.* 8 *ita habet:* Deinde alias ſanctas reliquias martyris & levitæ Maximi, & ipſius Chriſti martyris diſcipuli, quæ cum eo repoſitæ fuerant, cùm honore ac lætitia maxima ad majorem eccleſiam veniens, ſatis devotè & honorificè collocâſti. *Ita auctor, alloquens archiepiſcopum, qui tranſlationem fecerat. At obſervo in hoc inſtrumento nomen* S. Januarii, *quod alii ex eo produxerunt, apud nos non inveniri. Hunc tamen ſcrupulum eximunt antiquæ lectiones Officii, ibidem pag.* 884 *datæ, ubi num.* 6 *ultima verba ita leguntur:* Ad majorem eccleſiam B. Januarii martyris ſatis honorificè collocâſti. *Quapropter rectè infertur, cathedralem ſeculo* XIII *nomen habuiſſe* S. Januarii. *An verò eidem etiam fuerit dicata, ex illo loco nequit certò colligi. Ex nomine tamen veriſimilis fit dedicatio. Idem nomen ſeculo* XII *cathedrali Neapolitanæ fuiſſe, certum redditur ex litteris Henrici VI imperatoris, datis anno* 1195, *quas recitat Mazochius in Anteloquio Diſſertationis de Cathedrali unica pag.* XXX. *Confirmat iis Henricus* quædam præcepta prædeceſſorum *ſuorum*, quibus divi martyris Januarii baſilicæ, quæ ipſius Neapolitani archipræſulis caput eſt, donaria multipliciaque beneficia, ab ipſis ibidem collata, corroboraverant. *Locus hic fortiùs urget, quàm præcedens. Si enim eo tempore cathedralis unicè dicata fuiſſet Sanctiſſimo Salvatori, ut vult Mazochius; non videtur imperator & rex Neapolitanus illud nomen omiſſurus fuiſſe, ut ſolo* S. Januarii *nomine uteretur, præſertim cùm ipſum alloquatur archiepiſcopum.*

eidemque dedicata fuiſſe dicitur;

277 *De eadem eccleſia cathedrali exponit Mazochius pag.* 46 *litteras Clementis Papæ IV, quas edidit Tutinus pag.* 123, *quaſque ſimiliter recitat* Chioc-

Chioccarellus in Collectione Ms. Verba ad propositum noſtrum ſpectantia, in iis hæc leguntur: Volentes igitur, ut B. Januarius apud eccleſiam Neapolis, quæ in ipſius honore dicitur dedicata, in ejus maximè feſtivitate fidelium laudibus ſolemniter extollatur *&c. Poſſent quidem hæc verba utcumque intelligi de eccleſia* S. Januarii *extra muros ſita; genuina tamen magis erit loci expoſitio, ſi credamus cathedralem iis verbis deſignari, cùm quòd vocetur* eccleſia Neapolis, *quod nomen ſoli eccleſiæ principi ſive cathedrali congruit, nulli verò eccleſiæ inferioris ordinis; tum quòd ex verbis allegatis Henrici imperatoris omnino conſtet, eccleſiæ cathedrali annis ſeptuaginta ante Clementem IV nomen* S. Januarii *fuiſſe. Lubens itaque aſſentior Mazochio, Clementem loqui de eccleſia cathedrali. At eidem nullo modo aſſentiri poſſum, dum ſummi Pontificis verba ad ſacellum ſuum imaginarium violenter trahit.* Quod eccleſia Neapolitana in ipſius B. Januarii honore dedicata memoratur, id non de primaria baſilica, quæ quidem Salvatori dicata fuerat, ſed de ejus parte illa, quæ eccleſiam ſive oratorium S. Januarii conſtituebat, eſſe capiendum, infrà oſtendetur. *Tum pag.* 47 *ait, cathedralem Salvatori dicatam fuiſſe, & infert:* Quare Clementis verba non niſi de eccleſia S. Januarii, quæ cathedrali adhærebat, ſunt capienda: quæ conditis à S. Athanaſio ſub altari capitis & cruoris reliquiis rectè in S. Januarii honorem dedicata dicitur. *Verùm ineptiſſima eſt hæc verborum Clementis expoſitio, aut potiùs aperta corruptio. Ait pag.* 45, *confirmari nomen* S. Januarii *eccleſiæ cathedrali* Clementis IV diplomate, *tamquam* longè locupletiore teſte. *De nomine tamen non loquitur Clemens, ſed vocat* eccleſiam Neapolis, *eamque* S. Januario *dedicatam dici, adjungit.*

git. Quomodo appellatio cathedralis ex verbis Clementis probabitur, ſi de cathedrali non loquitur? Si enim ea, quam vocat eccleſiam Neapolis, quæ in ipſius (*nimirum* Januarii) honore dicitur dedicata, *non eſt eccleſia cathedralis, de cathedrali prorſus Clemens non loquitur. Qua igitur ratione ejus verba laudantur ad probandum cathedralis nomen? Dicam candidè, benigne lector, quod ſentio. Vidit Mazochius, cathedralem dici dedicatam* S. Januario: *ex dedicatione autem nomen* S. Januarii *rectè deduci. Verùm, ut frequenter verba auctorum ſolùm admittit, in quantùm ſuis opinionibus invenit conformia, quod ex dedicatione ſequitur, voluit admittere, non item dedicationem ipſam. At verba ſunt clariſſima de dedicatione cathedralis, cùm non alia dicatur* S. Januario *dedicata, quàm quæ vocatur* eccleſia Neapolis.

illam ut limina S. Januarii quotannis viſitabant clerici diœceſis.

278 *Accedit formula juramenti, quod olim præſtare ſolebant archiepiſcopo Neapolitano clerici, qui beneficia obtinebant in diœceſi Neapolitana. Totam formulam, quæ uſitata fuit tempore Humberti archiepiſcopi, id eſt, inchoato ſeculo* XIV, *cùm anno* 1308 *cathedram adeptus dicatur, recitat Chioccarellus in Collectione Ms. apud nos fol.* 118. *Ex ea ſolùm recito verba huc ſpectantia, quæ ſunt iſta:* Limina B. Januarii ſingulis annis perſonaliter viſitabo, niſi præpeditus fuero canonica præpeditione *Formula tota etiam videri poteſt apud Tutinum pag.* 100. *Mazochius allegata verba etiam intelligit de cathedrali. At ego difficulter credam, eccleſiam cathedralem* limina S. Januarii *vocandam fuiſſe in formula juramenti, per archiepiſcopum præſcripto, niſi fuiſſet eidem* Januario *dicata, prout* S. Januario *dicatam credidit Clemens IV. Quippe non fiebant* limina S. Januarii *per depoſitas ibi reliquias, nec per adjunctum oratorium,*

ſi

ſi id omnino adjunctum eo tempore cathedrali fuiſſet, quod negamus. Nonnulli per limina S. Januarii *intelligunt ſuburbanam* S. Januarii *eccleſiam; ſed planè improbabiliter, cùm ea tunc eſſet ſub abbate & monachis, ut veriſimile non ſiat, illius viſitationem præſcriptam fuiſſe ab archiepiſcopis. Objici tamen poteſt, cœptam fuiſſe ante annum* 1308 *novæ cathedralis ædificationem. Hoc verum quidem exiſtimo. At dedicatio illius novæ cathedralis necdum erat peracta, ideoque mutanda non erat antiqua formula.*

279 *Majoris momenti eſt objectio Mazochii, contendentis, cathedralem Neapolitanam fuiſſe divino Salvatori dedicatam. Certum hoc eſt, ſi ad priora reſpiciamus ſæcula, quibus primùm condita, ac deinde à Stephano II fuit inſtaurata. Chioccarellus in Archiepiſcopis Neapolitanis pag.* 132. *hæc ſcribit:* His fermè temporibus annum circiter MCL Neapolitana cathedralis eccleſia ſummis atque incredibilibus ſumptibus, illuſtriumque architectorum atque artificum manibus erecta fuit, & ſculptis marmoreis ſtatuis & iconibus affabrè factis exornata, ut teſtatur Georgius Vaſarus in Vita pictorum ac ſculptorum, prima parte in Vita Arnolfi de Lapo Florentini architecti. At dolemus ex iis ædificiis & rebus nihil nunc in ea majori eccleſia nec veſtigium quidem ſupereſſe. *Hoc ſi verum eſſet, potuiſſet eo tempore dedicari* S. Januario. *At Falconius pag.* 501 *obſervat, ea non eſſe ſcripta à laudato Vaſaro, cujus opus mihi ad manum non eſt, ſed Vaſarum loqui de conſtructione cathedralis, quæ exeunte ſeculo* XIII *inchoata ac ſequenti ſeculo perfecta eſt, quando beatiſſimæ Virgini Aſſumptæ fuit dedicata. Quare Falconius ibidem conjicit, reædificatam fuiſſe circa annum* 1033, *ac tunc dedicatam* S. Januario. *Me-*

Non evincit Mazochius, ſolo nomine S. Januarii gaviſam eſſe,

ra tamen hæc eſt conjectura, nulla vetuſti ſcriptoris teſtimonio nixa. Ut autem conjecturam faciat veriſimilem, ædificationem, omneſque inſtaurationes ſic enumerat. Ædificata eſt, inquit, à Stephano I circa annum 510, *readificata à Stephano II circa* 770. *Tum iterum readificatam credit à Sergio III duce circa annum* 1033. *Deinde tertiò readificatam dicit circa* 1298 *à Carolo II rege; quartò anno* 1456, *ac quintò demum circa annum* 1676. *Hæc quidem enumeratio nequit probare, circa annum* 1033 *readificatam fuiſſe cathedralem; at veriſimillimum facit, inter illam inſtaurationem, quæ circa* 770 *contigit, aliamque Caroli II circa* 1298 *aut paulò ſeriùs, interceſſiſſe mediam quampiam ſeculo* X, XI *aut* XII, *ac tunc* S. Januarii *titulo dedicatam. Ipſa nominis mutatio, quæ ſeculo* XI *aut* XII *facta videtur, perſuadet, alio titulo dedicatam fuiſſe, ſicut rurſum alio titulo dedicatam conſtat poſt inſtaurationem Caroli II.*

& eidem non fuiſſe dedicatam.

280 *Si antiquum* S. Salvatoris *nomen eidem datum reperitur poſt ſeculum* XII, *quod curiosè non inquiſivi, ex eo non labefactabitur conjectura noſtra. Nam potuit antiquo* S. Salvatoris *titulo dedicari, adjecto novo* S. Januarii, *ut aliàs non rarò Chriſto Domino, beatæ Virgini, & particulari alicui Sancto ædes ſacræ dedicantur. Itaque argumentum, quo unico Mazochius pag.* 47 *contendit*, S. Januario *dedicatam non fuiſſe, non ſolùm eget probatione, ſed nihil etiam evinceret, etſi ipſum rectè foret probatum.* Nam Neapolitana vetus cathedralis, *inquit*, uſque ad hodiernæ ſtructuram ſemper Salvatori divino ſacra fuit: quod ex innumeris horum ipſorum temporum monumentis & paſſim docuimus, & cap. ſeq. confirmabimus. *Neſcio, quâ fiduciâ Mazochius innumera jactet monumenta, cùm ego nul-*



Pictura vetustissima Altaris S. Salvatoris veteris in Cathedrali Neap.

nullum apud ipſum invenire potuerim, ex quo colligi valeat, cathedralem Neapolitanam ſeculo XII *aut* XIII *ſacram fuiſſe divino Salvatori, aut illud nomen geſſiſſe. Quare pro innumeris vel unum quaro monumentum in locis aſſignatis, ac nullum reperio. In parte tamen ſecunda invenio congregationem aliquam* Salvatoris *dictam, aut etiam* Salvatoris veteris. *At ex illa congregatione nec argumentum deſumit Mazochius, nec deſumere poteſt: nam, ut obſervat ipſe Mazochius pag.* 132, *affixa eſt ea Congregatio ſacello, in nova cathedrali erecto, quod* Salvatoris veteris *dicitur. Picturam altaris ſacelli, prout inſcio mihi tranſmiſſa eſt Neapoli ob depictum ibi* S. Januarium *unà cum S. Athanaſio, cujus nomen* Actenaſius *ſcribitur huic loco infero. Potuit, ſimile ſacellum eſſe in cathedrali, quando* S. Januario *erat ſacra, prout magnificum ibi eſt modò* S. Januarii *ſacellum, ſemperque fuit, poſtquam eccleſia ipſa Virgini Aſſumptæ fuit dedicata.*

281 *Reſtat examinandus geminus locus, ex Tranſlatione S. Athanaſii à Mazochio adductus. Nam ſi illum auctorem rectè intellexit laudatus ſcriptor, cathedralis Neapolitana à ſeculo* IX *nomen* S. Januarii *habuit. Credit pag.* 45 *Mazochius, aliquid ſe inveniſſe aliis incompertum. At nova inventa Mazochii, qua cogunt me prolixiùs agere, ne iis hiſtoria Neapolitana pervertatur, nolim ſine examine admitti à Neapolitanis.* At interim, *inquit*, noſtrorum hominum ſolertiam longè antiquius monumentum fugit, quod infernè ex Tranſlatione S. Athanaſii proferimus, ac ſimul nondum viris doctis intellectum exponimus. *Ego vehementer timeo, ne nova illa expoſitio rurſum ſit loci corruptio. Primùm obſervo, auctorem Vitæ & Tranſlationis S. Athanaſii fuiſſe contemporaneum* San-

Tranſlatio S. Athanaſii, quam de cathedrali exponit Mazochius.

Sancto, ut contra Mazochium probavi num. 238 *& ſeqq. Scripſit itaque vergente ad finem ſeculo* IX. *Locus, quem de baſilica cathedrali exponere meditatur Mazochius, hic eſt ad* XV *Julii pag.* 86 *num.* 9: Itaque, ut dicere cœperamus, omnis illa multitudo pſallentium cum ſanctis exſequiis ad templum properans S. Januarii, aſcendentes ingreſſi ſunt baſilicam, & depoſito locello, juxta altare poſuerunt: ibique ſummus pontifex, cuncto aſtante populo, laudis ſacrificavit hoſtiam, & ſumpto munere ſacro, finita prece complevit. Mox levantes corporis ſanctum pignus; & diaconus impoſitâ antiphonâ: "Aperite mihi portas „juſtitiæ„ *&c.*... tunc univerſus populus in ingenti fletu converſus, educentes eum extra fores in oratorium ſancti & confeſſoris Chriſti Laurentii, ejuſdem ſedis antiſtitis, juxta ſanctiſſimi Johannis anteceſſoris & nutritoris ejus ornatum diligentiſſimè & dignè ſepulturæ tradiderunt cum ipſo locello, cum quo adductus eſt. *Hunc locum, quem omnes de ſuburbana* S. Januarii *eccleſia rectè intellexerant, violenter ad cathedralem trahere nititur Mazochius.*

agit de ſuburbana S. Januarii eccleſia,

282 *Chioccarellus in Epiſcopis Neapolitanis pag. 66 de oratorio S. Laurentii epiſcopi, cui illatum eſt corpus S. Athanaſii, ita loquitur.* Celebre priſcis temporibus fuit ſancti hujus Laurentii oratorium in D. Januarii ſacra æde, extra mœnia Neapolitana poſitâ, pro ſepulcris virorum inſignium, qui in eo reconditi memorantur. Etenim inibi præter eumdem Laurentium ſancti quoque Joannes & Athanaſius, ejus ſucceſſores, ſepulti recenſentur. *Hæc falſa eſſent, ſi S. Laurentii epiſcopi oratorium fuiſſet in cathedrali. Caracciolus cap.* 31, *ubi agit de S. Laurentio epiſcopo, meminit quoque de oratorio S. Laurentii epiſcopi in eccleſia* S. Januarii

fo-

foris ſita; refutat verò Engenium, qui ædem S. Laurentii, *olim in metropolitana poſitam, dixerat eſſe S. Laurentii epiſcopi, cùm fuerit S. Laurentii levita & martyris, ut pluribus ibi oſtendit: Quare allegatus locus non prodeſt Mazochio, ſed magis eſt contrarius. Ille tamen ex alio Tranſlationis loco opinionem ſuam probare nititur, ſed fruſtra. Mulieri cuidam de infirmitate filii ſui anxiæ num.* 22 veneranda cujuſdam effigies *dicitur in ſomnis apparuiſſe, eamque monuiſſe, ut opem peteret S. Athanaſii. Deinde verò mulieri, dicenti:* Ubi eum, domine, quæſitura pergam? Ille reſpondit: In Eccleſia Salvatoris, vel ad venerabile ejus ſepulcrum; quia ibi petentibus beneficia præſtaturus crebrò conſiſtit. *Hic locus, opinor, decepit Mazochium, qui ait,* vel *hic idem eſſe ac* et. *Hac de cauſa ait, ſepulcrum fuiſſe in cathedrali. At inane eſt commentum: conjunctio* vel *ſignificationem habet maximè obviam, quâ mulieri optio datur, ut vel cathedralem adeat oratura, vel ſepulcrum S. Athanaſii in eccleſia* S. Januarii, *aut certè in contiguo ſacello poſitum.*

283 *Etenim certis argumentis, ex ipſa Tranſlatione petitis, oſtendam, non aliam poſſe intelligi eccleſiam, quàm ſuburbanam* S. Januarii. *Miracula S. Athanaſii cap. 2 ita auctor narrare incipit:* Quæ verò beneficia tunc ad ejus pretioſum ſepulcrum concurrentibus Dominus præſtiterit, veraciſſima locutione perſtringam. In eodem namque monaſterio ſanctiſſimi Januarii erat quidam monachus, Anaſtaſius nomine, *&c. Mox illius monachi ſanatio narratur. Jam verò, quò referemus illa verba,* in eodem monaſterio, *niſi ad monaſterium eccleſiæ, in qua mox relata erat ſepultura S. Athanaſii? Quare clarum eſt, S. Athanaſium fuiſſe ſepultum in ea* S. Januarii *eccleſia, cui*

ut variis argumentis oſtenditur.

monaſterium ipſe adjunxerat, & in qua monachos collocaverat. Neque enim cathedralis eccleſia erat monachorum, ut locus nullo modo de ea intelligi queat. Accedit alia ratio, quæ vel ſola poteſt ſufficere. Nam auctor Vitæ & Tranſlationis, quando loquitur de eccleſiis, illas accuratè deſignat, ut nequeat una ſumi pro altera. In Vita num. 14, *ubi primùm de cathedrali loquitur, utrumque nomen ſic exprimit:* In eccleſia Domini Salvatoris, quæ Stephania vocatur. *Paulò pòſt inſulam Salvatoris ita deſignat:* In inſula, Salvatoris vocabulo cognominata, [quæ à Neapoli vix duodecim diſtat ſtadiis. *Rurſum num.* 15, *loquens vice prima de eccleſia* S. Januarii, *eam accuratè his verbis aſſignat:* In eccleſia namque ſanctiſſimi ac beatiſſimi martyris Januarii, quæ juxta memoratæ urbis mœnia condita eſt *&c. Quis igitur prudens credat, ſcriptorem, tam accuratè eccleſias diſtinguentem, in Tranſlatione tam fuiſſe negligentem, ut cathedralem num.* 8, 9, *&* 15 *vocaret* templum S. Januarii; *eamdemque demum num.* 22 *ſine ulla explicatione diceret* eccleſiam Salvatoris. *Hoc ſcilicet credere potero, ubi oſtenderit Mazochius, monaſterium* S. Januarii, *in quo monachi degebant, ut habet auctor num.* 10, *fuiſſe ipſam cathedralem, monachiſque poſtea ſucceſſiſſe canonicos: aut, ut verius loquar, ſicut numquam oſtendere poterit, monachos pro canonicis fuiſſe in cathedrali, ita nullus ſana criſi exiſtimabit, eccleſiam* Domini Salvatoris, quæ Stephania *vocabatur, toties ibi dictam eſſe* templum S. Januarii.

Ex dictis colligitur, incertum eſſe, utrùm in cathedrali,

284 *Ex dictis conſtat, in Tranſlatione S. Athanaſii non agi de cathedrali, ſed de eccleſia* S. Januarii *ſuburbana. Itaque non conſtat, an cathedralis nomen* S. Januarii *habuerit ante ſeculum* XII. *Illud autem nomen eccleſiæ fuiſſe, quia dedicata e-*

rat

rat S. Januario, *certè probabilius eſt, cùm ex ipſo nomine, quod ſolet eccleſiis imponi ob dedicationem, tum ob auctoritatem Clementis IV. Sive autem cathedralis* S. Januario *tunc ſacra eſſet, ſive ſolo* S. Januarii *nomine appellaretur; dubitari vix poteſt, quin eo tempore reconditas haberet ſacras capitis & ſanguinis reliquias. At rurſus obſcuriſſimum & incertum eſt, à quo tempore eas acceperit. Nam conjectura Mazochii, qui caput & ſanguinem* IX *ſeculo ad oratorium ibi conſtructum delata voluit, aut à S. Joanne IV aut à S. Athanaſio, omni carent antiquitatis teſtimonio, ac nullo nituntur fundamento. Potuerunt illæ reliquiæ conſervari ſeorſum in cathedrali, antequam* IX *ſeculo corpus auferretur per Siconem. Potuerunt illa pignora etiam eſſe in eccleſia Diaconiæ* S. Januarii, *quæ ſeculo* VII *conſtructa eſt. Verùm nihil certi poteſt dici, cùm nulla exſtent documenta de loco, ubi fuerunt conſervata, aut de tempore, quo ad cathedralem pervenerunt.*

285 *Imò dubitari poteſt, an caput & ſanguis olim in eadem fuerint eccleſia. Certè præter Diaconiam erat olim & alia* S. Januarii *eccleſia,* Spolia mortis *dicta. Hæ autem duæ* S. Januarii *eccleſiæ, de quibus egimus.* 172 *&* 173, *non dicuntur ullas* S. Januarii *habuiſſe reliquias. Hinc fortè conjicere quis poſſet, in altera fuiſſe caput, in altera ſanguinem. Neque enim neceſſe erat, ut hæ partes, quæ in ipſo martyrio à corpore fuerunt ſeparatæ, deinde ſemper eodem loco cum corpore ſervarentur, etſi veriſimiliter diu in eodem cum corpore fuerint ſepulcro. Hæc igitur conjectura incidere poſſet, maximè cùm eccleſia olim non ſolerent Sanctorum titulo dedicari ſine eorum reliquiis. Verùm ex his omnibus non oritur, niſi veriſimilitudo aliqua, eaque ſolido fundamento deſtituta. Quare malim ignorare, ubi uſque ad ſe-*

an in aliis eccleſiis Neapolitanis olim conſervata ſint caput & ſanguis.

culum ſerè duodecimum conſervata fuerint pretioſa illa S. Januarii *pignora, quàm cum Mazochio affirmare, quod neſcio. Hoc certum eſt, non defuiſſe Neapoli eccleſias, in quibus decenter ac honorificè conſervari poſſent, & in una aut in pluribus revera conſervata fuiſſe.*

§ XX. Caput S. Januarii pretioſâ thecâ recluſum, uti & alterâ ampullæ ſanguinis : conſtructum ferculum, quo ſanguinis ampullæ circumferuntur, & antiquum Theſauri ſacellum.

Cùm caput eſſet ſeculo 13 in cathedrali, neſcimus à quo tempore,

JAm dixi, dubitandum non videri, quin caput & ſanguis S. Januarii *fuerint in baſilica cathedrali ab eo ſaltem tempore, quo illa* S. Januario *aut dedicata fuit, aut ſaltem ejus titulum aſſumpſit : ignorari verò, ex qua eccleſia, & quo tempore, ad cathedralem fuerint delata. Mazochius, qui in cathedrali aut prope cathedralem ſeculo* IX *oratorium* S. Januario *exſtruxit, caputque & ſanguinem ſub altari illius oratorii collocavit, pag.* 49 *conjecturis illis, omni fundamento carentibus, novas adjungit, vultque oratorium illud diruendum fuiſſe exeunte ſeculo* XIII *aut ineunte* XIV, ut novæ cathedralis, *quæ tunc exſtructa eſt*, ampliſſima navis cum ſuis alis explicari poſſet. *At nec de exſtructo ibi oratorio, nec de reliquiis eò umquam delatis, nec de oratorio deſtructo, nec de inventis ea occaſione reliquiis, ullum prater imagi-*

ginationes ſuas profert teſtimonium. Tam fortiter tamen de omnibus loquitur, acſi certa eſſent; nec minùs intrepidè reliquias tunc inventas docet his verbis: Eo igitur prorſus temporis articulo (planè quartodecimo, ut dicetur, ineunte ſeculo) venerandum Januarii caput & cruoris ampullas in conſpectum veniſſe, non dubito: nam ante id tempus nulla prorſus earum reliquiarum mentio invenitur. *At ex ſilentio antiquorum de illis reliquiis non rectè infertur, tum primùm fuiſſe inventas. Etenim de hac ipſa inventione ſilent ſcriptores. Debebat igitur aſſignari ratio, ob quam de inventione illius temporis ſilere potuerint ſcriptores, & cur de tranſlatione aliqua anteriore tacere non potuerint. Silentium omnium ſcriptorum non impedivit Mazochium, quo minùs in ſua imaginatione ſacellum* S. Januarii *ſeculo* IX *conſtruxerit, idemque deſtruxerit ineunte* XIV; *quo minùs reliquias* S. Januarii *ſeculo* IX *ibi collocaret; eaſdemque inventas diceret ineunte* XIV. *Qua igitur ratione idem Mazochius contendit ex ſolo ſcriptorum ſilentio, illas non veniſſe* in conſpectum, *niſi demolitione altaris, ſub quo erant recondita? Certè, ut nequit ob ſcriptorum ſilentium probari, eas antea ſupra terram in theca honeſta conſervatas fuiſſe, ita minùs etiam evinci poteſt, eaſdem fuiſſe ſub altari aliquo, & præſertim ſub illo, quod exſtitiſſe neſcimus.*

287 *Quocumque autem modo caput & ſanguis* S. Januarii *fuerint antea ſervata, Carolus II Andegavenſis, rex Neapolitanus, magnificam juſſit conflari thecam, ſive ſtatuam dimidiatam, in qua deinceps ſacrum caput cuſtodiretur. Notitia hujuſce liberalitatis Caroli regis habetur ex regeſto regio, ex quo de iis aliqua dedit Tutinus pag.* 127, *& paulò plura dat Chioccarellus in Collectione Ms.*

Carolus II rex pretiaſam theccam conflari juſſit,

fol. 115. *Ait hîc auctor, regeſtum eſſe ſignatum* MCCCVI (*anno, opinor,*) in quo theſaurarii generales regni hujus (*Neapolitani*) in computis eorum adminiſtrationis, quos regi ipſi, ſive ejus curiæ & magno camerario tradunt, id ſolviſſe & expendiſſe ponunt: de quibus rex ipſe eos quietat & abſolvit. *Ex dicto autem regeſto de theca ſic loquitur Chioccarellus:* Pius ac religioſus rex Carolus ſecundus in anno MCCCVI caput glorioſi hujus Martyris recludi fecit in argentea atque aurea theca:... quam quidem thecam rex dono dedit eccleſiæ Neapolitanæ. Sic enim dicitur, *nimirum in regeſto:* Magiſtro Stephano Gottifredo, Guillelmo de Verdelaga, & Milectæ de Auſuris aurifabris noſtris pro gagiis eorum menſium Novembris & Decembris prædictæ tertiæ Indictionis, ad certas rationes in quaterno ipſo diſtinctas, in Carolenis argenti uncias novem, & eiſdem aurifabris convertendas per eas * in expenſis faciendis pro opere capitis B. Januarii, quod per eos deargentari mandavimus, in Carolenis argenti uncias novem. *Hæc in Regeſto fol.* 115. *Deinde fol.* 118: Gottifredo aurifabro & familiari noſtro pro deaurando opere argenteo, quod ad includendum caput S. Januarii fieri mandavimus, de auro fino florenorum in pondere libram unam. *Hæc omnino evincunt, Caroli II munificentiâ pretioſam illam thecam fuiſſe compoſitam.*

* *Tutin.* eas

eâque Sancti caput recludi.

288 *De tempore Chioccarellus utcumque diſſentit ab aliis. Nam exiſtimat thecam eſſe conflatam anno* 1306, *cùm Tutinus & Mazochius aſſignent annum* 1305. *Opus compoſitum notatur Novembri & Decembri* tertiæ Indictionis. *Hæc autem currebat anno* 1305 *uſque ad Septembrem, aut uſque ad ſequentem Januarium, prout hic ſumpta fuerit, ſi opus compoſitum eſt anno* 1305. *Certè non cur-*



Mich. Foschini del. *P. Caultier Sculp. Neap.*

S. Januarii Protome

in qua sacrum ejusdem M. Caput includitur.

currebat Indictio tertia anno 1306, *ſed veriſimiliter hoc anno pretium pro opere, quod circa finem anni* 1305 *perfectum erat, fuerit perſolutum. Obſervat porrò Chioccarellus*, opus *eſſe* tanto rege dignum, in quo, *inquit*, arma & inſignia dicti regis per pluviale ac ſacerdotalem veſtem, quam in humeris geſtat, diſperſa conſpiciuntur, ut vocant, ſmaltata, *id eſt, encauſto diſtincta. Addit Chioccarellus:* Fertur fuiſſe compertum ex aurifabrorum relatione, qui id experti ſunt, tabernaculum illud, in quo caput B. Januarii recluſum eſt, non integrum ex argento eſſe confectum & deauratum; ſed faciem S. Januarii eſſe ex ſolido auro, eoque puriſſimo, reliquum verò ex argento, & deauratum. Fertur quoque, eam eſſe effigiem ad vivum S. Januarii, ac deſumptam ex ipſius ſancti martyris ſtatua marmorea, quæ tunc temporis in eccleſia, ſeu ædicula S. Januarii, Puteolis ad ſulphurariam erat, *& qua etiamnum ibidem conſpicitur. At non rectè ſimilitudinem vultûs videtur expreſſiſſe aurifaber, ſi Puteolanam ſtatuam imitari voluit: nec etiam novimus, an illa veram* S. Januarii *effigiem exhibeat. Videri illa poteſt pag.* 798. *Thecam verò capitis ex ſcalpro Neapolitano hîc repræſento. Hanc Tutinus pag.* 95 *exiſtimat factam ſecundum Muſivum ſacelli S. Mariæ de Principio, cujus figuram dedi pag.* 799: *Poterunt ipſi Neapolitani hac de re judicare.*

289 *An eodem ferè tempore etiam conſtructa fuerit pretioſa theca, quâ duæ ſacri ſanguinis ampullæ continentur, certò non conſtat. Chioccarellus fol.* 116 *obſervat*, nullam mentionem haberi ſanguinis S. Januarii; *indeque ſuſpicatur, necdum innotuiſſe ſanguinis ampullas, dum caput pretioſâ illâ thecâ recluſum fuit. Mazochius, ubi pag.* 50 *thecam capitis per Carolum II compoſitam dixerat,*

Ejuſdem aut filii ejus Roberti curâ videtur etiam conflata theca, quâ continentur ampullæ.

rat, ſubjungit: Cúmque ampullarum cruoris theca ejuſdem planè videatur operis atque ingenii, & coronam ſupernè impoſitam habeat; dubitari nequit, quin ea quoque ſive eodem circitèr tempore ab rege pientiſſimo conſtructa fuerit, ſive non multò pòſt ab alio principum Andegavenſium. *Conjectura hæc ex operis ſimilitudine ſit veriſimillima. Teſtatur enim cum Chioccarello ipſe Mazochius, inſignia regis Caroli in theca capitis relucere cum nomine, ut dubium non ſit, quin eadem quoque inſignia habeantur in theca ſanguinis, cui pro nomine addita eſt* corona. *Hæc autem corona inſinuat, regis eſſe opus; inſignia verò, regis eſſe ex familia Andegavenſi; ſimilitudo demum ſuadet, ejuſdem eſſe Caroli II, aut certè ejuſdem artificis, qui idem componere potuiſſet ſub Roberto rege, qui patri Carolo in regno Neapolitano ſucceſſit anno* 1309. *Sub Carolo & Roberto ædificata eſt baſilica cathedralis, ac beatiſſimæ Virgini aſſumptæ ſub Roberto dedicata. Hujus ſtructura dum perficiebatur, in quam reges Carolus & Robertus multa expenderunt, compoſita certò eſt theca pretioſa, quâ caput* S. Januarii *recluditur, ut jam dictum; veriſimillimè etiam theca altera, quâ ſacri ſanguinis ampulla continentur. Figuram, ut ſcalpro Neapolitano expreſſa eſt, hîc exhibeo.*

290 *Mazochius tamen à conjectura veriſimillima, quam dedi, ſtatim reſiluit, ubi inquirere cœpit in tempus, quo ſanguis* S. Januarii *primùm liquefactus eſt. Nam pag.* 52, *cùm exiſtimaret, ſacri cruoris liquefactionem non eſſe cœptam, niſi medio ferè ſeculo* XIV, *ſimiliter pretioſæ thecæ conſtructionem differendam credidit, ita ſcribens:* Nihil ergo probabilius afferre poſſe mihi videor, quam Carolum quidem II nihil præter ſacri capitis ſimulacrum conflaviſſe. Sanguinis enim ampullæ tunc temporis aut adhuc ignotæ delituiſſe vi-

neque contrarium probant conjecturæ Mazochii.



Theca hæc cum inclusis Sacris Ampullis naturali magnitudine expressa fuit.

A. *Quoddam maltæ genus exhibet, quo Ampullæ ab initio glutinatæ fuerunt, ne loco moverentur.*

B.B. *Maculas sanguineas minoris Ampullæ notat.*

Mich. Foschini delin. *Pet. Caultier Sculp.*

Ampullæ Cruoris Beatiss. Januarii Mart.

videntur, aut certè aliquamdiu ſine theca, quâ nunc includuntur, in armario repoſitæ jaçuiſſe. Necdum enim è regione capitis poſitæ, nullas adhuc fluoris & concretionis vices oſtenderant. *Ita quidem ratiocinatur Mazochius. At nec ſolidè probat, ſanguinem numquam fuiſſe liquefactum ante medium ferè ſeculum* XIV; *nec rectè deducuntur alia, etiamſi tantiſper fingere velimus, id verum eſſe. Etenim, etſi non conſtet, an caput* S. Januarii *nominatim prodigiis inclaruerit ante annum* 1305, *dignum tamen erat, quod pretioſâ thecâ honoraretur, quia ſancti Martyris erat caput. Idem ſanè eſt de Sancti ſanguine, qui honorificâ thecâ ornari poterat, antequam liquefieret. Erat certè* S. Januarius *Neapolitanorum à multis ſeculis patronus; ideoque aquiſſimum erat, ut quacumque ejus reliquiæ in magno honore eſſent apud Neapolitanos. Quapropter non crediderim, ampullas ſanguinis tempore Caroli II delituiſſe, aut ſine theca jacuiſſe in armario. Sanè ſi caſu aliquo circa medium ſeculi* XIV *inventa eſſent ampullæ, ac paulò poſt prodigiis clareſcere cœpiſſent, ut vult Mazochius, inventio tanti theſauri non fuiſſet ſilentio preſſa, ſed ſatis innotuiſſet per ſcripta Neapolitanorum aut aliorum, qui poſt medium ſeculi* XIV *floruerunt. Nec tamen eadem eſt ratio de prima ſanguinis ebullitione, ut inferiùs oſtendam.*

291 *Quapropter neceſſe non eſt dicere, ſanguinem aut ſub terra delituiſſe, aut honorificè ſervatum non fuiſſe, antequam liquefieret. Quòd caput* S. Januarii *aliquando à ſupplicantibus per urbem circumlatum fuerit ſine ſanguine, nequaquam evincit, ſanguinem eo tempore ignotum latuiſſe, aut jacuiſſe neglectum. Nihilo magis pretioſiſſima theca, quâ Carolus II Sancti caput honoravit, evincere poteſt, illud antea ſub altari jacuiſſe, aut*

Immeritò ille ſuſpicatur, reliquias illas ante Carolum II ſub terra jacuiſſe,

honorificâ thecâ carnisse; idemque rursum de sanguine dicendum. Nihil enim frequentiùs occurrit de reliquiis Sanctorum, quàm quòd thecis aut arcis minùs pretiosis, quibus antea erant recondita, substituantur magis pretiosa, splendidiúsque ornata. Ita Carolus pro antiquiore capitis theca potuit auream partim partimque argenteam substituere, ipseque aut alius pro sacro cruore idem facere: neque enim vel minima voce indicatur, primas illas fuisse illarum reliquiarum post elevationem thecas, aut eo tempore primùm elevatas. Imaginatio est ista Mazochii omni destituta fundamento, cùm nullo nitatur testimonio, nulla ratione idonea; sitque apertè contra usum illorum temporum, quo reliquiæ Sanctorum in pretiosis thecis supra terram solebant servari. Non loquor de integris corporibus, quæ etiam hoc tempore aliquot locis sub altaribus jacent depositæ; sed de reliquiis à reliquo corpore separatis, quales sunt caput & sanguis. Ejusmodi partes, ubi semel à corpore erant separatæ, rursum sub terra reconditas fuisse, non facilè ostendet Mazochius; aut si fortè unum alterumve invenerit exemplum, (quod tam curiosè non inquisivi) saltem immeritò negaverit, ejusmodi corporum sacrorum partes jam ante seculum XI, & magis sequentibus seculis, non sub terra, sed in sacrariis, thecisque honorificis servari solitas. Innumera istius consuetudinis in Opere nostro inveniet exempla, si quis glorias Sanctorum posthumas diligenter pervolvere voluerit.

cùm id illius temporis consuetudini variisque scriptoribus sit contrarium,

292. *Quapropter dicta Mazochii conjectura de reconditis à S. Athanasio sub altari reliquiis* S. Januarii, *capite & sanguine, eisdemque dejectione altaris ibidem inventis ineunte seculo* XIV, *uti caret omni testimonio, ita & omni verisimilitudine. Eadem conjectura testimoniis scriptorum contraria est. Repugnat Fabio Jordano, laudato apud Caracciolum*

pag.

pag. 256, *qui existimavit, caput & sanguinem* S. Januarii *jam à seculo* VII *ita servatum fuisse, ut in supplicantium processionibus proferrentur, cùm incendium Vesuvii, quod anno* 685 *figit Caracciolus, exstinctum dicat,* solemni pompa sacerdotum B. Januarii caput & durum sanguinem proferentium. *Repugnat Vita S. Peregrini, quam seculo* XV *ferè medio scriptam agnoscit Mazochius. Nam si illi auctori, de quo plura dicam* § 21, *credendum est, caput & sanguis* S. Januarii *jam seculo* XII *miraculis clarescebant. Tutinus pag.* 86 *adducit verba anonymi, qui Chronicam Ms. Fr. Maraldi Cartusiani continuavit. Hic,* nisi fallor, *inquit Mazochius,* sæculo XV vixit aut perdiu certè post Caroli II tempora. *Audiamus tamen, quid afferat:* Hoc anno MCXL Rogerius post coronationem suam Neapolim se contulit, & cives obviàm illi occurrerunt contra portam Capuanam, & archiepiscopus urbis Neapolitanæ processionaliter eum recepit unà cum Sanctorum reliquiis, capite & sanguine S. Januarii, quas reverenter adoravit; quæ postmodùm ad ecclesiam rediere.

293 *Ad hos scriptores respondet Mazochius, eos fuisse locutos pro more sui temporis:* Nam, *inquit,* usque ad Caroli II tempus [illegible] reliquiæ, sub altari positæ, non ostendebantur. *At saltem ita loqui non poterant, si credidissent, reliquias illas usque ad seculum* XIV *sub altari jacuisse reconditas. Si modò quæramus, unde Mazochius didicerit, altare* S. Januarii *sub Carolo II destructum, reliquias predictas sub eo umquam fuisse positas, aut eo tempore inventas; nullum poterit assignare testimonium, auctorem nullum prater propriam imaginationem, in qua hæc omnia nata sunt. At saltem pluris facio anonymum Cartusianum seculi* XV, *quàm cogitationem leviter conceptam, præsertim cùm relatio*

neque illi scriptores hac in re prorsus sunt contemnendi:

Cartuſiani optimè congruat cum Falcone Beneventano, qui tunc vivebat, & ingreſſum Rogerii narrat tom. 5 Scriptorum Italiæ pag. 131. Solùm non dicit Falco, reliquias fuiſſe portatas à clero. At Cartuſianus, qui Chronicam continuabat, illud ex documentis Neapolitanis diſcere potuit. Idem ex ejuſmodi documentis, quæ præ oculis habenda erant Chronicæ ſcriptori, nôſſe potuiſſet inventionem ſacri capitis & ſanguinis, ſi ea tempore Caroli II ſub altari eſſent reperta, & ſic non ſcripſiſſet, archiepiſcopum cum iis occurriſſe Rogerio regi Neapolim intranti. Verum quoque non eſt, quod ait Mazochius, Cartuſianum ex more ſui ſæculi *ſcripſiſſe, ſi ſcripſit ſeculo* XV. *Neque enim loquitur de liquefacto ad capitis præſentiam ſanguine, prout liquefieri ſolebat ſeculo* XV. *Quare non oſtenditur, Cartuſianum ex mera conjectura dixiſſe, cum capite & ſanguine* S. Januarii *archiepiſcopum veniſſe obviàm Rogerio: at clarum eſt, ejuſmodi conjecturam prudenter fieri non potuiſſe pro anno* 1140, *ſi caput ſecundo pòſt ſeculo ſolùm è terra eſſet erutum, & ſanguis etiam ſeriùs.*

Ferculum ampullarum, quod ſeriùs videtur compoſitum:

294 *Tota Mazochii ratio, quâ ſibi perſuaſit, thecam ſanguinis* S. Januarii *fuiſſe compoſitam circa medium ſeculi* XIV. *ſanguinemque non priùs innotuiſſe, petitur ex epocha ſanguinis primùm liquefacti, quod miraculum circa idem tempus contigiſſe credit. Hoc poſtea examinabo. At interim ſatis oſtendi, unum ab altero non dependere, ſacrumque Patroni ſanguinem in honore haberi debuiſſe, etſi aut non liquefieret, aut id non obſervaretur. Exiſtimat præterea Mazochius pag.* 52, *eodem tempore cum theca ſanguinis* etiam nobile ac magnificum ferculum, cui theca ampullarum immittitur, fuiſſe *conflatum. Hoc non fuiſſe compoſitum, niſi poſtquam conſilium inierunt Neapolitani ſan-*

gui-



Scala palmorum 1 2 Neapolit.

Mich.l Foschini delt.

Gaultier sculp.

Sacri Cruoris S. Januarii M. ferculum circumferri et exponi statis temporibus solitum.

guinem S. Januarii *unà cum capite circumferendi ſupplicantium ritu, facilè aſſentiar. Ferculum illud ex argento inaurato conflatum eſſe, diſco ex teſtimonio nobilium virorum inferiùs dando. Figuram ſcalpro Neapolitano ari inciſam hic exhibeo. Hiſce dictis de gemina theca & magnifico ferculo, quod ſeriùs ſtructum videtur, quia ſanguis non ſolebat in proceſſionibus circumferri ſub initium ſeculi* XIV, *ut infrà videbimus, redeo ad tempora Caroli II & Roberti regum, ſub quibus hodierna cathedralis fuit ædificata.*

295 *Dubitandum non videtur, quin ſacellum illud, quod* antiquus Theſaurus *nominatur, & etiamnum eccleſiæ cathedrali adhæret, ædificatum fuerit unà cum eccleſia cathedrali. Mazochius id ipſum exiſtimat pag.* 49, *creditque ſubſtitutum fuiſſe antiquiori oratorio* S. Januarii. *At antiquius illud* S. Januarii *oratorium exſtitiſſe numquam probavit; vetus verò Theſaurus etiamnum cernitur. De eo ornato per Mariam Toletam, Albani ducis conjugem, jam dixi num.* 177. *De exſtructione ita loquitur laudatus Mazochius:* Sed tamen ejus loco (*non quidem loco oratorii* S. Januarii, *ut ille vult, ſed potiùs loco Theſauri, qui fuerat in antiqua cathedrali, aut certè ad cuſtodiendas reliquias*) curris in angulo novæ cathedralis prope portam erecta fuit, in qua tamquam in munimento tutò beati Martyris reliquiæ unà cum ceteris ſacris patronorum pignoribus recondi viſum fuit. *De eo ſic loquitur pag.* 47: Exſtat hodieque is vetus, uti dixi, Theſaurus prope ſiniſtram novæ cathedralis portam, quæ alæ ſanctiſſimi Sacramenti recta regione objicitur. Ad veterem hunc Theſaurum, turri cuiquam impoſitum, olim cochlearibus aſcendebatur ſcalis, nunc directis ſatiſque venuſtis. Idem porrò Theſaurus Mariæ Toletæ munificentiâ anno

antiquus Theſaurus, in quo olim caput & ſanguis ſervata,

MDVII ornatus fuit; ſed diu antea, imò ante hominum memoriam, ibi ſanctiſſimi Patroni reliquiæ aſſervabantur. *Hæc rectè.*

qua occaſione olim fuerit inſtauratus & ornatus.

296 *Rectè etiam addit ſequentia:* Cur ſcalæ, cochleatim antea diſpoſitæ, poſtea ſub archiepiſcopo Alfonſo Carafa à Maria Toleta, proregis piiſſima conjuge, in directum reficerentur, hanc Tutinus pag. 111 ex Actis curiæ archiepiſcopalis affert cauſam, nempe cuſtodis ætate Grandævi, dum cruoris ampullas allaturus deſcenderet, inopinatam ruinam. Nam ubi ille primo in gradu, fallente veſtigio, concidit, excuſſæ ex pectore ſacerdotis ampullæ totam gradatim cochleam ad imum uſque pavimentum circumactæ decurrerunt. Illico omnes vitra confracta, cruoremque effuſum deplorabant. Quæ ubi integra compererunt; id miraculo adſcriptum, feminam lectiſſimam ac pientiſſimam impulit, ut & ſcalas rectas atque magnificas conderet, & ipſum Theſaurum reficeret atque exornaret. *Ita omnino habet laudatus Tutinus Italicè; aitque Mariam Toletam, qua pro incolumitate proregis conjugis dictum ſacellum exornare voverat, audito lapſu ampullarum earumque integritate, magis excitatam fuiſſe, ut votum ſuum exſolveret. In prædicto autem ſacello caput & ſanguis* S. Januarii *manſerunt uſque ad annum* 1647. *Quid interim acciderit, examinabimus.*

§ XXI.

§ XXI. Caput S. Januarii in previgilio tranſlationis ad aliam eccleſiam ferri ſolitum & referri ad cathedralem ſinè ſanguine : an epocha ſanguinis primùm liquefacti ex eo aliiſque utcumque colligi poſſit ?

In pervigilio tranſlationis ſeculo 14 caput S. Januarii

EX Conſuetudinibus ſeu Ritibus eccleſiæ Neapolitanæ, quos in ſcripta anno 1337 redegit Joannes Urſinus archiepiſcopus Neapolitanus, inferre nituntur Chioccarellus & Mazochius, necdum eo tempore notum fuiſſe miraculum ſanguinis S. Januarii, *imò & ſanguinem ipſum etiam tum delituiſſe. Hoc poſtremum ſaltem non rectè conſequi, jam ſatis probavi. Quæ ad propoſitum noſtrum allata ſunt à Chioccarello profeſto Tranſlationis* S. Januarii, *quæ celebrabatur menſe Maio, huc ex Ms. Collectione traduco, ubi fol.* 85 *leguntur, quæ Mazochius etiam dedit pag.* 53, *reſciſſis ſuperfluis:* Item in feſto S. Januarii de menſe Maii talis ordo ſervetur... Die Sabbati in vigilia ejuſdem feſti de mane in aurora caput beatiſſimi Januarii coopertum pannis cum duobus clericis, portantibus duas torcias, reverenter portari debet per clericos, quibus... archiepiſcopus commiſerit, ad unam infraſcriptarum eccleſiarum ſecundum diſpoſitionem... archiepiſcopi, videlicet ſancti Apoſtoli, S. Pauli Majoris, S. Mariæ Majoris, S. Mariæ Rotundæ,

S.

S. Andreæ ad Nidum, S. Georgii Majoris, S. Mariæ ad Plazzam, vel ad aliam eccleſiam, ſi ... archiepiſcopo videbitur. ... *Deinde præſcribitur, quid archiepiſcopus facere debeat, & quo modo, ac cum quibus ad cathedralem eccleſiam accedere.*

ad aliam eccleſiam ferebatur, non item ſanguis:

298 *Et mox ſubditur:* Cùm autem ſupradictus dominus archiepiſcopus fuerit in ſede ſua, quæ eſt in pede chori, cùm ſibi videbitur, proceſſionaliter cum capitulo ſuo toto, epiſcopis, abbatibus, clero univerſo, cunctis de populo ibidem congregatis, vadit ad eccleſiam, in qua caput beatiſſimi Januarii reconditum fuerat die Sabbati proximè præcedenti de mane, ut ſuperiùs exprimitur, & cùm ibi fuerit univerſitas civitatis Neapolis, quæ caput beatiſſimi Januarii aſſociare tenetur, dum portatur, & duo de prædicta univerſitate de platea Capuana & Nidi, & inde duo de aliis plateis, & duo de populo portare tenentur ſupra caput beatiſſimi Januarii pallium cum haſtis more ſolito. Quod caput in die prædicta deferre tenentur prælati uſque ad tertium ſpatium viæ ſecundum beneplacitum domini archiepiſcopi, & poſtea, ubi fatigati eſſent, capitulum eccleſiæ Neapolitanæ deferre tenetur. Quod cùm delatum fuerit ad dictam eccleſiam, & in altari reverenter repoſitum, dominus archiepiſcopus vadit ad ſedem ſuam *&c. Multa quidem ſubjiciuntur apud Chioccarellum de Veſperis ſolemniter peragendis, de tribus Matutinis in feſto decantandis, nimirum primo per capitulum, ſecundo per Congregationem Sancti Apoſtoli, ac tertio per Congregationem S. Joannis Majoris, ac de Miſſa ſolemniter per archiepiſcopum celebranda, ſed hæc omnia, utpote ad propoſitum noſtrum minùs neceſſaria, brevitatis gratiâ prætermitto. Cæterùm lectorem velim monitum, ſubinde me aliquid inveniſſe diverſitatis in Ms. Chioccarelli & in edi-*

tio-

tione Mazochii, sed hanc correctiorem credidi, ideoque passim secutus sum.

299 *Jam verò Chioccarellus, eumque secutus Mazochius existimant, abunde ex illis Ritibus probari, miraculum liquescentis* S. Januarii *sanguinis necdum patratum fuisse, dum hac anno* 1337 *scriberentur.* Cur enim, *ait Mazochius pag.* 52, non modò in Translationis festo ullum * de sanguine Januarii verbum injicitur, sed nullo prorsus per anni circulum tempore de eo venerationi fidelium proponendo fit mentio? Potuitne res tanta præteriri silentio? *Rursum pag.* 53 *sic instat:* Ex his verò satis, arbitror, animadvertitur, usque ad annum MCCCXXXVII non modò ignotum fuisse sanguinis liquescentis prodigium, sed ne efferri quidem in ea processione sacrum cruorem, aut proponi ad venerationem consueviſſe. Aut si verò id tunc factum fuisse pertenderis; sanè dicemus, rei tantæ silentium, (ibi præsertim, ubi id silere minimè licuisset) fore ipso liquefacti cruoris prodigio prodigiosius; nec ab ullo sanæ mentis prorsus admitti posse. *Fortiter pro more suo loquitur Mazochius; sed fortasse non cogitavit, multa primo intuitu mira videri, quæ, ubi maturo ac sedato judicio expendantur, minùs mirabilia apparent & satis credibilia. Quapropter singula expendamus.*

ex eo tamen non rectè infert Mazochius,

* *lege* nullum

300 *Ex allegatis Ritibus meo quidem judicio rectè probatur, sacrum cruorem eo tempore non fuisse portatum ad ecclesiam, ad quam Sancti caput transferebatur: nam de eo portando æquè Ritus fuissent præscripti, quàm de portando capite. Verùm reliqua omnia, si rectè essent deducta, non minùs obstarent epochæ, quam initio liquescentis sanguinis attribuere studet Mazochius, quàm probarent, sanguinem ante annum* 1337 *numquam fuisse liquefactum. Idem enim silentium de liquescente sanguine*

sanguinem Sancti eo tempore non solaisse liquefieri:

reperitur in monumentis Neapolitanis istius temporis, quo ille sanguinem diu liquefieri consuevisse existimat; imò eo ipso etiam tempore, quo scriptores aliqui particulares de sanguine liquefieri solito luculenta proferunt testimonia. Pauca velim consideret lector studiosus, ut intelligat, quàm inepta sunt Mazochii ratiocinia. Statuit ille initium liquefactionis circa medium seculi XIV. *Interim non invenio ullum ecclesia Neapolitana decretum seculo* XIV *aut* XV, *quo aliquid ordinatum est de transferendo aut fidelium veneration exponendo* S. Januarii *sanguine, nullum quoque decretum, in quo fit mentio liquefactionis. Si tale* silentium ipso liquefacti cruoris prodigio prodigiosius *videatur Mazochio, multa sanè reperiet prodigia. Si* nec ab ullo sanæ mentis *admitti posse credat tale silentium; nescio, qua ratione sanam sibi mentem vendicare valeat.*

num ostenditur, in aliis similibus documentis de sanguine

301 *Mitto alia omnia decreta. Unum profero Gaspuris de Diano, sive ejus vicarii, quod multi scriptores dederunt, & ex quo multa dedi num.* 215 & 216. *In illa bulla decernuntur duodecim per annum* S. Januarii *festivitates, & Collecta sive commemoratio quotidiana. Explicatur insuper, quo ritu singulæ festivitates celebrandæ, Missaque & Officium ecclesiasticum sint peragenda, ut hac ex parte aquè locus esset loquendi de exponendo fidelium veneration sanguine* S. Januarii *aut capite, quàm locus erat in Ritibus, quos produxit Mazochius. In tota tamen bulla nec de capite nec de sanguine* S. Januarii *fit mentio. Præterea in laudata bulla redditur ratio, cur tot Sancti festivitates per annum præscribantur, ac nonnullæ tam solemnes, eaque occasione multò prolixior de* S. Januario *fit sermo, quàm in Ritibus à Mazochio objectis, in quibus solùm edicitur, quid singulis sit faciendum. Verba ipsa huc transfero:* Cùm autem inter martyrum tur-

turmas glorioſiſſimum antiſtitem Januarium, eximiis miraculis exſtrenuè decoratum, noſtrum ſentiamus eſſe primum patronum, hujuſque almæ civitatis atque ejus civium favorabilem defenſorem, qui velut ſtella matutina inter angelorum agmina irradiat, & pro clero ſuoque populo affluenter deprecari ac effundere preces non deſinit *&c. Addit & alia de Sancti patrocinio jam data, ſed nihil de ſanguine liquefieri ſolito. Hac tamen ſcripta ſunt integro ferè ſeculo poſt initium liquefacti ſanguinis à Mazochio ſtatutum.*

302. *Ut magis miretur Mazochius, magiſque perſpiciat, non omnia omni loco dicenda eſſe, afferam magis recentia teſtimonia, in quibus de capite & ſanguine fit mentio, nec tamen miraculum ſanguinis commemoratur. In litteris Ferdinandi regis ad Cardinalem Neapolitanum Oliverium Caraffam, quibus rex petit, ut corpus ex Monte Virginis Neapolim transferendum curet, pro ratione hac allegantur Italicè, quæ fideliter Latinè reddo:* Ut novit reverendiſſima dominatio veſtra, caput & de ſanguine glorioſi ſancti Januarii eſt in hac civitate: & novit inſuper, quanta nomen illius ſit in veneratione apud hunc populum, & quanta in ipſum feratur devotione, quam nos omni opera noſtra augere deſideramus. *Tota Epiſtola Italicè eſt in Collectione Mſ. Chioccarelli, & Latinam dedi ex Caracciolo num.* 152. *Advertat modò lector, in Epiſtola Ferdinandi regis memorari ſanguinem* S. Januarii, *diu liquefieri ſolitum, ut certiſſimis conſtat teſtimoniis, nec tamen de liquefactione fieri mentionem. In laudata Collectione Mſ. fol.* 78 *& ſeqq. exſtat Bulla Pauli Papæ III, data anno* 1534, *quâ heredibus Oliverii Cardinalis Caraffæ conceditur jus patronatûs in ſacellum* S. Januarii, *quod* Subcorpus *vocatur. In hac autem Bulla frequens ſit mentio de*

aut ejus liquefactione fieri,

S. Januario, *aſſeriturque corporis ejus tranſlatio ex monaſterio Montis Virginis ad eccleſiam Neapolitanam, ratio verò tranſlationis hac datur:* Quòd retroactis temporibus, cùm poſt martyrium & decollationem S. Januarii epiſcopi & martyris illius glorioſum caput cum ſanguine, in ejus decollatione collecto, in eccleſia Neapolitana, ad quam ritè tranſlatum fuerat, ſumma cum veneratione conſervaretur; & propter crebra miracula, quæ inibi Altiſſimus ipſius S. Januarii, ut piè credebatur, meritis & interceſſionibus operabatur, maxima Chriſti fidelium ad dictum S. Januarium devotio, & populi concurſus habebatur *&c.*

quando ſanguis certò ſolebat liquefieri,

303 *Poſſum addere Bullas Sixti V & Gregorii XIV: ſed, his miſſis, obſervo, votum, quod anno* 1527 *nobiles Neapolitani fecerunt de conſtruendo novo* S. Januarii *ſacello, nuncupatum fuiſſe* ante conſpectum reliquiæ ejuſdem glorioſiſſimi Pontificis & martyris, videlicet capitis & ſanguinis ipſius, *iteratamque in voti formula deinde mentionem fieri* ejuſdem beati Januarii pontificis & martyris, patroni, protectoris & defenſoris hujus civitatis; *nec tamen in ea dici, ſacrum* S. Januarii *cruorem prodigioſè liquefieri ſolitum. Jam verò edicere dignetur Mazochius, an ſilentium illorum omnium de ſanguine loquentium, non item de liquefactione,* ipſo liquefacti cruoris prodigio prodigioſius *videatur; an ſanam mentem nolit agnoſcere in iis, qui credent, ſanguinem liquefieri ſolitum iis temporibus, quibus illi ſanguinem Neapoli conſervatum aſſerunt, prodigioſam tamen ejus liquefactionem tacent. Certè de liquefactione temporibus Ferdinandi regis, Pauli III Pontificis, & voti à Neapolitanis nuncupati conſtat: ex dictis item certum eſt illorum de illo prodigio ſilentium. Neque tamen ullum in dicto ſilentio agnoſcimus prodigium, quia non omnia*

mnia ubique dicenda ſunt, & quæ vulgo nota ſunt, facilè prætermittuntur. Nihilo magis ullum agnoſcimus prodigium in ſilentio, quod allegat Mazochius. Unum, ut jam dixi, ex illo rectè probatur, caput ſine ſanguine ad aliam eccleſiam circa annum 1337 *tranſferri conſueviſſe in feſto Tranſlationis, ac referri ad cathedralem. Ad ritus illius tranſlationis ordinandos nequaquam opus erat ullam ſanguinis aut ejus liquefactionis facere mentionem. Nam, ſi ſanguis eo tempore ſolebat liquefieri, id procul dubio notum erat omnibus, qui adeſſe debebant capitis tranſlationi.*

304 *Neque ex tranſlatione ſolius capitis ſine ſanguine inferri rectè poterit, ſanguinem eo tempore aut ignotum fuiſſe, aut ſaltem nondum liquefieri cœpiſſe. Nam variæ rationes movere poterant Neapolitanos, quo minùs vellent, ſanguinem ad aliam eccleſiam deferri, ibique pernoctare, ac poſtridie referri. Poterant timere, ne in tot tranſlationibus infortunio aliquo ampulla frangerentur, aut dolo alicujus cum aliis ſimilibus permutarentur. Quacumque fuerit cauſa non transferendi ampullas cum capite, idem poſtea in aliis occaſionibus ſubinde factum eſt. Hieronymus Maria de S. Anna lib.* 2 *cap.* 4 *pag.* 131 *refert montis Veſuvii terribile incendium, quod contigit anno* 1698, *relatum ſimiliter à Falconio pag.* 517. *Archiepiſcopus, rogantibus Neapolitanis, ea de cauſa piam ſupplicantium proceſſionem ordinavit, in qua portatum fuit* S. Januarii *caput, non item ſanguis. Rurſum anno* 1707, *mandante archiepiſcopo, pium ſupplicantium agmen cum capite* S. Januarii *in conſpectum Veſuvii montis, flammas eructantis, proceſſit, ut ſubjungit Hieronymus Maria pag.* 132, *Falconius pag.* 119, *uterque non modò tunc florens, ſed uterque etiam veriſimiliter teſtis oculatus. Quærat*

caputque etiam aliàs ſine ſanguine circumlatum eſſe:

rat modò Mazochius rationes, ob quas caput ſine ſanguine tulerint ſupplicantes Neapolitani, & cur de ſanguine non loquantur ſcriptores laudati, dum ea narrârunt; eâdemque operâ facilè inveniet, non defuiſſe rationes, cur circa annum 1337 *ſolum caput portaretur.*

ſilentiumque, ex quo argumentum ſumit, deinde etiam in Ritibus inveniri:

305 *Nullam quoque vim habet, quod ait,* in tota illa Rituum (*Urſinianorum*) collectione *nullum reperiri veſtigium liquefacti ſanguinis. Nam primò totam Rituum Urſinianorum collectionem numquam vidit Mazochius, opinor, aut etiam Chioccarellus. Quæ hic de illis dedit, non multa ſunt, eaque, ut mihi aſſeruit amicus Neapolitanus, accepta ex ſchedis quibuſdam ſcripturæ non admodùm antiquæ, quas habuit ex bibliotheca Brancaciana. At fingamus tantiſper, totam Rituum collectionem ab iis fuiſſe viſam & examinatam; vel ſic nihil inferre poterit Mazochius pro ſtabilienda epocha ſanguinis liquefacti. Etenim in omnibus ritibus toto ſeculo poſterioribus nihil ſimiliter inveniet de ſanguine liquefacto, imò nihil etiam, ut conjicio, totis duobus ſeculis poſt Ritus Urſinianos. Fingamus præterea, nihil in Ritibus Urſinianis decretum fuiſſe de ſanguine* S. Januarii *ſtatis temporibus fidelium venerationi exponendo; vel ſic nihil rurſum concludere poterit contra liquefactionem. Poterat enim ſacer ille ſanguis in pretio haberi & liqueſcere, etſi ſtatutis diebus non fuiſſet expoſitus. Poterat etiam venerationi fidelium exponi, & quidem è regione capitis, quoties viſum eſſet illis, quorum curæ erat commiſſus. Certum eſt, conſuetudines exponendi, monſtrandi, aut transferendi ſacrum* S. Januarii *ſanguinem, frequenter eſſe mutatas, aliaſque fuiſſe ſeculo* XVI, *alias* XVII, *& alias demum eſſe hoc ſeculo. Quare argumentum Mazochii, quod ex Ritibus Urſinianis deſumit, prodeſſe ne-*

nequit ad certam liquescentis primùm sanguinis epocham stabiliendam. Multò enim plus probaret, quàm voluit ipse Mazochius, si ritè probaret, liquefactionem non contigisse ante annum 1337.

306 *Audiamus tamen etiam, quo ratiocinio evincere nitatur, principium liquefacti sanguinis* S. Januarii *non esse figendum post medium seculi* XIV, *sive annum circiter* 1350. *Observat cum aliis, primam illius miraculi mentionem fieri in Vita S. Peregrini, quam scriptam probat à Lupo de Specchiis circa medium seculi* XV. *Laudatus autem Lupus, cujus verba dabo* § 22, *scripsit, miraculum liquescentis sanguinis jam contingere solitum, dum S. Peregrinus venit Neapolim, quod ille* vergente seculo XI *evenisse existimat; figendum tamen esset seculo* XII, *si constaret de parentibus S. Peregrini in Vita assertis. Hisce positis, Mazochius pag.* 53 *sic ratiocinatur:* Lupus in Peregrini Vita tam antiquum id miraculum credidit, ut id potuerit ad quadringentos (*dicamus potiùs ultra trecentos*) retrò annos retrahere. Quod si illud multo recentius anno circiter MCCCL fuisset; certè senes recentis initii meminissent, ac Lupum opportunè dedocuissent. Non potuit igitur multò seriùs medio XIV seculo exordium prodigii contingere. *Hoc certum est, non potuisse Lupum facilè existimare, tempore S. Peregrini usitatum fuisse prodigium liquescentis* S. Januarii *cruoris, nisi longo tempore fuisset continuatum. An autem centum circiter anni requirerentur & sufficerent, ut ille in ejusmodi errorem incideret, si tamen in eo erravit, aliorum esto judicium. Ego interim congeram antiquiora, quæ proferuntur, de sanguine liquefacto testimonia.*

ut epocha ab eo fixa planè fiat incerta.

§ XXII.

§ XXII. Mirabilis S. Januarii Sanguinis liquefactio & ebullitio, cujus initium nequit certò assignari.

De initio liquescentis S. Januarii sanguinis non constat:

INter miracula S. Januarii *celeberrimum sanè est illud, quod nostris quoque temporibus ad annos singulos variis vicibus repeti solet, pluresque habet testes, quàm populosissima Neapolis incolas. Loquor de notissimo illo prodigio, quo sanguis* S. Januarii, *duabus ampullis conclusus, prout videri potest in figura pag.* 827 *data, liquescere solet, effervescere & ebullire. Attamen difficulter inveniri poterit, à quo ferè tempore prodigium illud primùm cœperit observari, cùm nullus innotuerit scriptor, qui istius miraculi exordium posteritati commendavit. Vulgarem illam opinionem, seu traditionem popularem, quâ dicitur miraculum illud contigisse tempore prima translationis* S. Januarii, *factâ exeunte seculo* IV *aut ineunte* V, *jam doctiores Neapolitani, Chioccarellus, Caracciolus aliique plures repudiârunt, eaque satis refutata est* § 18. *Epocham Mazochii similiter non probari, licèt minùs à vero distare videatur, mox ostendi* § 21. *Jam verò probare aggredior, miraculum illud certò multis seculis contigisse, & verisimiliter multò vetustius esse, quàm voluit Mazochius; atque hunc in finem antiquiora colligam testimonia.*

308 *Primum testimonium profertur ex Vita S. Peregrini, cujus apographum, ex Ms. Neapolitano huc missum à Beatillo, ante me habeo. In il-*

illa Vita S. Peregrinus dicitur fuisse filius Malcolmi Scotiæ regis & S. Margaritæ reginæ, cujus Vita data ad x *Junii, ibique eorum matrimonium fixum anno* 1070. *Itaque cùm S. Peregrinus, post plurimas peregrinationes, dicatur Neapolim venisse, ibique non juvenis, sed vir obiisse; adventus ejus morsque figenda essent seculo* XII, *saltem inchoato, si vita satis fideliter esset conscripta. Auctor verò Vitæ creditur scripsisse circa medium seculi* XV, *vocaturque nomine diversimodè scripto* Lupus de Spechiis, *aut* de Speis, *aliàs etiam* de Spechio *aut* Specchio, *&* de Speio, *prout Itali nomen Hispanicum diversis modis expressérunt: nam idem videtur, qui apud Nicolaum Antonium in Bibliotheca scriptorum Hispaniæ tom.* 2 *pag.* 59 *nominatur* Lupus de Espeio, *ubi dicitur patriâ* Oriolanus in regno Valentiæ, doctorque Valentinæ scholæ, *sed inde in Italiam delatus. Mazochius pag.* 51 *ex aliis docet*, consilarium *fuisse* & regiæ cameræ summariæ præsidentem sub Alfonso I. *Sabbatinus tamen tom.* 9 *pag.* 123 *asserit, Lupum floruisse sub Carolo III, id est, vergente ad finem seculo* XIV. *Hæc curiosiùs hîc non examino, cùm Vita S. Peregrini à Majoribus nostris remissa sit ad* XVI *Novembris, ubi accuratiùs inquirendum est in auctorem. Interim ex dicta Vita afferuntur sequentia, quæ & leguntur in apographo nostro:* Venit (*S. Peregrinus*) Neapolim, quam veteres Parthenopem appellárunt, ad S. Januarii martyris quotidianum & insigne miraculum; ubi geminæ phialæ vitreæ parvulæ habent intra se ipsius Martyris durum sanguinem sicut saxum: quæ cùm ad caput ejusdem Martyris appropinquantur, subitò liquescit sanguis in illis cum aliqua spumanti bullitione. Qui Martyr à mille annis citrà jam migravit ad Dominum, & phialæ illæ intactæ persistunt.

memoratur illud in Vita S. Peregrini, ut jam fieri solitum seculo 12.

cúmque nullus memoret initium, fortè cœptum fuerit

309 *Chioccarellus, Caracciolus & Mazochius agnoscunt, Vitam illam non tam accuratè scriptam esse, ut nos de assertis illis possit certos facere. Dubium mihi quoque nullum est, quin dicta Vita multis fabulis aut erroribus sit fœdata. Hinc non ausim ex illa certò concludere, tam usitatum fuisse seculo* XII *ante medium, ut aliàs ex illa sequeretur, miraculum liquescentis sanguinis, quàm in illa Vita insinuatur. Aliunde tamen nihil quoque invenio, quo scriptorem illum erroris aut fictionis convincere valeam. Etiamsi gratis quis suspicari voluerit, Lupum in vetustioribus de S. Peregrino documentis nihil invenisse de illo miraculo; saltem crediderit, id tempore Peregrini patratum fuisse, & nihil invenit de recentiore initio, quod satis mirabile videri potest, si tantùm fieri cœptum sit seculo* XIII *aut* XIV. *Etenim silentio omnium scriptorum de initio dicti miraculi verisimile sit, illud fieri cœpisse seculo aliquo obscuro, quo nulli apud Neapolitanos floruerunt historiographi, aut certè paucissimi, quorum scripta deinde fuerunt conservata. Dignum sanè erat prodigium, cujus principium historiographi posterorum memoriæ commendarent.*

seculo X, XI, *aut* XII, *quibus nulli ferè historici Neapoli fuerunt,*

310 *Si quis modò consulere voluerit indicem chronologicum, quem Mazochius Operi frequenter memorato præfixit, inveniet aliquot historiographos Neapolitanos seculo* XIII *&* XIV, *nullos seculo* XI *&* XII: *nam Vita S. Athanasii, quam alterutro seculo perperam figit, jam seculo* IX *fuit conscripta, ut probavi num.* 238 *& seq. Nullus quoque historiographus Neapolitanus mihi innotuit seculo* X *post medium, sive post Joannem diaconum, qui* IX *&* X *seculo varia conscripsit. Fateor tamen, me studiosè non indagâsse, an nulli prorsus trium illorum seculorum supersint historici Neapolitani,*

sed

ſed eam curam aliis libenter relinquere. Jam verò ex data obſervatione non quidem firma perſuaſio, nonnulla tamen mihi oritur ſuſpicio, uno ex obſcuris illis ſeculis miraculum liqueſcentis S. Januarii *ſanguinis fieri cœpiſſe, defectuque hiſtoricorum Neapolitanorum, quorum ſcripta fuerint conſervata, principium fuiſſe ſilentio involutum, pluresque deinde hiſtoricos, cùm principium ignorarent, non curâſſe loqui de re Neapolitanis omnibus ſatis nota. Augetur utcumque iſta ſuſpicio, quia cultus* S. Januarii *multùm apud Neapolitanos auctus videtur ſeculo* XI *aut* XII. *Certè eccleſia metropolitica, in qua ne ſacellum quidem* S. Januarii *ſeculo* IX *aut* X *aſſignari poteſt, nomen* S. Januarii *gerebat ſeculo* XII, *ut vidimus, ac deinde* limina S. Januarii *viſitaturos ſe quotannis promittebant clerici, qui gaudebant beneficio eccleſia Neapolitana. Necdum primarius urbis patronus fuiſſe videtur* S. Januarius *vergente ad finem ſeculo* IX, *ſed etiam tum primas obtinuiſſe videtur S. Agrippinus, quantùm colligi poteſt ex ſæpe laudata Vita S. Athanaſii, tunc ſcripta, num.* 5. *In beneficio ſeculi* X, *quo Neapolitani Saracenorum obſidione circa annum* 961 *liberati dicuntur, ut relatum eſt num.* 141, *rurſum conjunguntur patroni* Januarius *& Agrippinus, ſed* Januarius *jam præponitur.*

& quibus cultus Sancti ſic excrevit, ut factus ſit

311 *Idem obſervo anno* 1183 *in diplomate Sergii III archiepiſcopi, cujus clauſulam recitat Chioccarellus in Collectione Ms. fol.* CXI *hoc modo:* Auctoritate Dei omnipotentis, & beatæ Mariæ ſemper Virginis, beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & beati Januarii & Agrippini, quorum patrocinio communimur, & aliorum Sanctorum, quorum reliquiæ in prædicta noſtra eccleſia continentur *&c. At in diplomate alio ejuſdem Sergii, dato anno* 1187, *quo indulgentias largitur in con-*

ſecratione eccleſiæ S. Gregorii, ſolius Januarii, *ut patroni, fit mentio. Clauſulam ex Chioccarelli Collectione ſubjicio:* Auctoritate Dei omnipotentis, & beatæ Mariæ ſemper Virginis, & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, & beati Januarii patroni noſtri, & beati Gregorii (*cujus nempe eccleſia erat*) & Sanctorum omnium, quorum ibi reliquiæ reconditæ perhibentur, ſibi miſericorditer noverint relaxata. *Similiter in diplomate, quod anno* 1238 *dedit Petrus archiepiſcopus*, beati Januarii pontificis & martyris patroni noſtri *ſit mentio, nec alius memoratur patronus. Pro ſequentibus ſeculis nullum eſt dubium, quin* S. Januarius *primarius fuerit Neapolitanorum patronus.*

patronus primarius, etſi corpus tunc non eſſet Neapoli.

312 *Si modò cauſam inveſtigare velimus, ob quam* S. Januarius *obſcurioribus illis ſeculis, nimirum* X, XI *aut* XII, *factus ſit primarius Neapolitanorum patronus, nullam inveniemus magis veriſimilem, quàm quòd illis temporibus manifeſta magis, quàm antè, patrocinii ſui cœperit dare indicia. Etenim corpus eo tempore erat Beneventi, cùm multa aliorum Sanctorum corpora eſſent Neapoli, ut hac ex parte alii non pauci viderentur ſuperiores. Inter hos etiam complures erant, qui eccleſiam Neapolitanam epiſcopi adminiſtraverant, ut hac quoque de cauſa viderentur præponendi. Itaque non facilè aliam inveniemus rationem, quâ* S. Januarium *ceteris prætulerint Neapolitani, quàm quòd crederent ſe habere præcipua protectionis ipſius indicia. Interim aut nulla aut paucissima ſanationum beneficia, aliaque id genus miſeris præſtita illis ſeculis innotuerunt, ut vel paucissima contigerint, vel ad poſterorum memoriam non pervenerint. Hæc igitur omnia vehementem mihi ingerunt ſuſpicionem, ſanguinem* S. Januarii *mirabili ſua immutatione & ebullitione illis temporibus loqui cœpiſſe, illo-*

loque prodigio tantam in animis Neapolitanorum natam esse de Sancto fiduciam, quantam deinde semper habuerunt, quamque hactenus auxisse magis videntur, quàm minuisse. Habet studiosus lector sive suspicionem sive conjecturam meam de initio celeberrimi, multisque jam seculis continuati, prodigii in sanguine S. Januarii, *quam lubens prudentum omnium judicio examinandam subjicio. Interim credere nequeo, ejusmodi sanguinis* S. Januarii *prodigium contigisse ante seculum* x, *quo Acta* S. Januarii *scripsit Joannes Diaconus. Nam Anonymus auctor, qui Homiliam de Miraculis* S. Januarii *seculo* VIII *aut ineunte* IX *composuit, planè defuisset officio suo, si cum aliis miraculis continuum illud de sanguine ebulliente non scripsisset. Si verò postea esset factum, minimè de eo silere debuisset Joannes Diaconus, sive in Chronico, sive in Actis* S. Januarii *aut* Sosii.

De sanguine liquescente testimonium Æneæ Silvii,

313 *Quidquid porrò sit de conjectura illa, ac de epocha illa tam latè sumpta, ut à seculo* X *usque ad* XIII *extendi ferè possit, certum est, seculo* XV, *quo scripta creditur Vita S. Peregrini, notissimum fuisse miraculum liquescentis sanguinis* S. Januarii, *illudque eo seculo commemorari, non ut nuper inchoatum, sed ut vetustum & notum. Apud Chioccarellum in Collectione Ms. recitantur verba Æneæ Silvii, qui anno* 1458 *summum adeptus est Pontificatum, dictusque* Pius II, *ex Commentariis ad Antonii Panhormitæ librum de Dictis & factis regis Alphonsi cap.* 42; *quos anno* 1456, x *Kalendas Maii, Neapoli absolutos ait Chioccarellus. Ea huc transfero:* Vellem audîsse, quidnam dixerit Andreas, ubi Panormum rediit, viso rege. Ego cùm hinc abiero, si quis me roget, quæ apud Neapolim, scilicet digna memoratu, viderim; quatuor in primis respondebo, Neapolim scili-

cet ſplendidam urbem, ſalubritate aëris, portu, templis, ædibus, agris, equis, armiſque, apud Italiam nulli ſecundam: arcem regiam, quam novam vocant, amplitudine formâque cunctas ſuperantem, multaſque raræ magnitudinis naves; quæque maria fulcâſſe aliquando memorentur; & cui talia quadrent, Alphonſum regem adjiciam. Et quinto loco, ſi quis audire petierit, ſacrum illum D. Januarii cruorem, quem modò concretum, modò liquatum, oſtendunt, quamvis ante annos mille ducentos pro Chriſti nomine ſit effuſus. *Iſtud Æneæ Silvii teſtimonium adducunt etiam Tutinus pag.* 87, *Caracciolus pag.* 257, *Hieronymus Maria de S. Anna lib.* 2 *cap.* 6; *ſed breviter tantùm. Mazochius pag.* 51 *poſteriora etiam verba recitat, obſervatque, inter mortem* S. Januarii, *& tempus, quo illa ſcripſit Æneas, vix intercurriſſe centum & quinquaginta annos ſupra mille, licèt ille mille & ducentos ponat. Vera eſt obſervatio. At non ſtuduit Æneas accuratè inquirere, quo anno* S. Januarius *martyrio coronatus ſit; ideoque facilè eidem condonandum, ſi rotundo uſus numero ad quinquagenta ferè annos aberraverit. Necdum primorum ſeculorum geſta ad exactam chronotaxim erant reducta. Hinc longiùs etiam aberrat Appendix primorum Actorum num.* 4, *ubi Sanctus dicitur paſſus* circa annum Domini ducenteſimum vigeſimum, *uti etiam legitur in antiquo Officio Neapolitano apud Falconium pag.* 148. *Non infirmatur igitur prolatum teſtimonium ex qualicumque illo errore chronologico.*

Angeli Catonis, Joannis Bapt. Fregoſi,

314 *Ejuſdem ſeculi eſt Angelus Cato, philoſophus & medicus patriâ Supinas, quod oppidum eſt prope Beneventum. Edidit ille anno* 1474 *librum Pandectarum medicinæ Matthæi Silvatici Salernitani, dedicavitque Ferdinando Aragonio regi. In*

Epi-

Epiſtola autem præliminari agens de rebus inſignibus Neapolitanis, ac de ſanguine S. Januarii, *teſte Chioccarello fol.* 91, *ita loquitur:* Quid dixero de D. Januarii martyris ſanguine, qui Neapoli ſumma cum religione ſervatur? Quæ miracula noſtro tempore Chriſti cultoribus oſtenduntur, quæ ſint hoc vel magis ſpecioſa, vel magis evidentia? Dureſcit abſente capite, quod & idem ſervatur in æde metropolitana Neapolis. Quoties tamen capiti oſtenditur, liqueſcit, proinde atque eo die fuerit corpore effuſus. *Eodem ſeculo* XV *ad finem decurrente floruit Joannes Baptiſta Fregoſus, antè dux Genuenſis, deinde è patria ſua pulſus, & aliquot librorum ſcriptor. Ex hujus Opere de Dictis & factis memorabilibus lib.* 1 *cap.* 6 *hæc affert Gazella pag.* 84, *Sabbatinus tom.* 9 *pag.* 125, *& plures alii:* Mirandi ſanguinis mentio, quæ ſuperiùs eſt facta, impellit, ne ſanguinem prætereamus Januarii martyris, qui Beneventanus epiſcopus fuit, Neapoli (*imò Puteolis*) pro Chriſti fide capite mulctatus. Diverſis igitur templis conditum caput, ſanguiſque ejus ampullâ concluſus, quo die per urbem ſolemniter feruntur, ſanguis, qui in pilam indurit, cùm in caput incidit (mirum dictu, ſed tamen verum) liqueſcit totus in ampulla, non aliter quàm tunc, cùm primùm, cæſo capite, ex Martyris corpore defluxit. Cùm autem à capite disjungitur, in ſphæricam formam ut antea erat, dureſcit. Id etſi ſatis patet, nos tamen, ut certiùs rem intelligeremus, eorum, qui in re præſentes fuerunt, intentiſque oculis diligentes ſe ſpectatores præbuerunt, teſtimonium habere voluimus. *Ita ille de miraculo diligenter inquiſito; ſed veriſimiliter errat, dum dicit,* diverſis templis *caput & ſanguinem fuiſſe conditum, quod apud neminem inveni; & ſaltem ſequenti ſeculo factum non eſt.*

Anonymi Galli.

315 *Laudati ſcriptores aliique omnes biographi etiam referunt, ſanguinem* S. Januarii *liquidum fuiſſe factum anno* 1495 *coram Carolo VIII Francorum rege, qui tunc Neapoli degebat. Factum refertur ab auctore Gallo, qui veriſimiliter præſens fuerat, & certè ſtylo ſuo Gallico ſatis inſinuat, iis temporibus ſe ſcripſiſſe. Gazella Robertum Gaguinum nominat, de quo dubitat Caracciolus pag.* 257. *Verùm Gaguinus Latinè ſcripſit, non Gallicè. Chioccarellus tam in Ms. Collectione, ubi affert textum Gallicum exeunti ſeculo* XV *conformem, quàm in Archiepiſcopis Neapolitanis pag.* 310, *inſinuat ſcriptorem eſſe anonymum, cujus librum his verbis aſſignat:* Hoc factum affirmat liber quidam de rebus Gallorum, Gallico idiomate editus, ab Anonymo collectus ex variis auctoribus, qui de rebus Gallorum ſcripſerunt, cui titulus eſt : Le Mi-

* miroir

rouer * hiſtorial de France, qui Pariſiis excuſus eſt anno MDXVI in folio. Liber autem is penes nos eſt. *Refert porrò ille ſcriptor, Carolum VIII anno* 1495, *die Dominico, tertio Maii, quo celebrabatur feſtum tranſlationis* S. Januarii, *interfuiſſe ſacroſancto Miſſæ Sacrificio in eccleſia cathedrali. Tum addit Gallicè, quæ reddo Latinè:* In hac eccleſia oſtenſum fuit regi caput & ſanguis prædicti S. Januarii, quæ dignæ admodum ſunt reliquiæ, magnique faciendæ. Nam ſimul atque rex erat ante princeps altare illius eccleſiæ, tradita ei fuit virgula argentea, ut memoratum tangeret ſanguinem, qui lapidis inſtar erat durus. Verùm, poſtquam tantiſper ſupra altare erat poſitus, continuò cœpit incaleſcere ac molleſcere, acſi fuiſſet ſanguis recenter è corpore viventis hominis emiſſus. Hinc multi proceres Galli aliique de populo vehementer obſtupuerunt, quòd tam nobile viderent miraculum.

316

316 *Hieronymus Maria de S. Anna lib. 2 cap. 6, relato hoc facto, ex virgula argentea, quâ rex ſanguinem tetigiſſe dicitur, inferre nititur, ampullam eo tempore non ſic obſeratam fuiſſe, ut aperiri non poſſet, creditque, virgulam à rege inſertam fuiſſe ampullæ, ut ita duritiem ſanguinis exploraret. Verùm non neceſſariò ſic explicanda ſunt verba ſcriptoris Galli. Fortè ſolùm voluit, virgulam regi traditam fuiſſe, ut illâ ampullam clauſam poſſet attingere, ac vertere in varias partes, quo ampullæ motu, ſi ſanguis maneret immobilis, duritiam haberet perſpectam. Laudatus Hieronymus pag. 151 ex Juliani Paſſeri Diario Ms. adjungit, ſanguinem* S. Januarii *anno* MCDXCVI liquidum inſtar aquæ *fuiſſe viſum, dum circumferebatur cum capite à ſupplicantibus tempore infirmitatis Ferdinandi II regis Neapolitani.* *Juliani paſſeri,*

317 *Joannes Franciſcus Picus, Mirandulæ dominus, nepoſque celeberrimi Joannis Pici Mirandulani, varia ſcripſit circa annum* 1500. *Ex ejus libro de Fide & ordine credendi hæc producit Chioccarellus in Collectione Ms. pag. 93:* Adſervantur Neapoli in Campania Januarii martyris reliquiæ: adſervatur & in vaſe ſanguis, poſt ejus trucidationem piè collectus, qui è regione membrorum poſitus, ebullire quodammodo incipit, & liquefieri, atque ad priſtinam veri ſanguinis ſpeciem redire: ſemotus autem & alio collocatus, in denſum cruorem coit coagulaturque, tamen retinens formam, quæ cruori multis ſeculis effuſo conveniat; donec iterum reliquiis ipſis, argenteâ thecâ reconditis, ex adverſo reponatur. Nec id quoque ſemper evenit: nam dum regionibus illis aliquod imminet malum, vel turbatio impendet, minimè liquefit, ſua illa quiete vexationem portendens. Ita incolæ longâ experientiâ didicere. Ego meis *Joannis Franc. Pici Mirandulani,*

oculis cruorem illum, qui concretus & teter ſuâ naturâ manet, objectu capitis rubeſcere, liquere, & ceu ebullire vidi, perinde acſi è venis tum fuiſſet emiſſus. Vidi, inquam, meis oculis, & ratione comprehendi, operâ naturæ fieri id minimè poſſe: teſtatiſſimum enim apud philoſophos, à formæ privatione, quod aiunt, ad habitum ejuſdem reditum non dari. Et qui non credunt, experiri poſſunt, ſi cruorem, ubi coïerit, & poſt menſes aliquos, ne annos dicam, in terram pulveremque maſſam redactus fuerit, ad ſanguinis formam; &, ne de verbis calumniam faciant, ſi non ad formam, ad ſola tamen accidentia formam ſequentia, ruborem ſcilicet, fluxum, & reliqua reducere poſſint.

Henrici Kormanni,

318 *Scriptorem etiam Germanum adducit Sabbatinus, nimirum Henricum Kormannum in libro de Miraculis mortuorum pag. 4 cap. 24, unde recitat ſequentia:* De S. Januario Beneventano epiſcopo, Diocletiano & Maximiano in Chriſtianos ſævientibus, Puteolis gladio percuſſo legitur, quòd ejus ſanguis, qui in ampulla vitrea concretus aſſervatur, cùm in conſpectu capitis ejuſdem Martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri & ebullire perinde, ac recens effuſus, ad hæc uſque tempora cernitur. Id etſi patet, nos tamen, ut certiùs rem intelligeremus, eorum, qui in re præſentes fuerunt, intentiſque oculis diligentes ſe ſpectatores præbuerunt, teſtimonium habere voluimus.

Cardinalis Baronii,

319 *Cardinalis Baronius in Annotatis ad Martyrologium* XIX *Septembris de eodem miraculo ſic loquitur:* Porrò inſigne ac perenne miraculum ſanguinis ejuſdem S. Januarii, qui, cùm ampullâ vitreâ concretus contineatur, liqueſcere tamen & fluere perinde, acſi recèns eſſet effuſus, ſæpe con-

conſpicitur, non ejuſmodi eſt, ut unius vel alterius hominis teſtimonio comprobetur, ſed ita manifeſtum, ut ipſe Martyris ſanguis aſſidua miraculorum operatione, vocibus quibuſdam, velut Abel ſanguis clamans, per univerſum orbem Chriſtianum intonet. *Idem in Annalibus ad annum* 305 *num. 6 ita ſcribit:* Verùm S. Januarii corpus, longum poſt ambitum, tranſlatum demum Neapolim, ob ingentem atque frequentem miraculorum operationem mira illic celebritate colitur, cùm ab omnibus, tum præſertim à civibus tanti Patroni gloriâ exultantibus, ejuſque beneficiis jugiter perfruentibus. Viget ibi inſigne illud & perenne miraculum ſanguinis ejuſdem Martyris, qui in vitrea ampulla aſſervatur. Nam cùm aliàs idem ſanguis concretus atque durus ſemper maneat; tamen cùm primùm ad caput Martyris admovetur, quaſi vicino illius, coronâ martyrii decori, lætetur aſpectu, & fontem, unde manavit, intelligens, eò recurrere, unde fluxit, exoptet, illudque iterum animare feſtinet, veluti moræ reſurrectionis impatiens; protinus liquefieri, mox fluere & ebullire, maxima omnium admiratione conſpicitur. Cujus tantæ rei non unum aut alterum teſtem producam, cùm tota Italia, & totus, ut ita dicam, Chriſtianus orbis teſtis ſit locupletiſſimus, cùm hæc in regia & ampliſſima aſſiduè fiant civitate, ad quam ex totius orbis partibus confluere hominum multitudo ſoleat. *Hactenus Eminentiſſimus Annalium ſcriptor, cujus certè teſtimonium multis aquivalet.*

320 *Sabbatinus pag.* 127 *producit locum benè prolixum ex Epiſtola P. Joannis Rho Societatis Jeſu, habitis concionibus, ſcriptis libris, geſtiſque officiis celeberrimi, ad P. Silveſtrum Petra-Sancta, ſuis quoque Operibus notiſſimum. Obſervavit ille* Joannis Rho,

anno 1628 *ſolitum miraculum, cùm Neapoli concciones habuiſſet per Quadrageſimam. Aderat tum ingens multitudo principum ac nobilium virorum. Cùm verò iterum anno* 1643 *Neapoli prædicaret, obtinuit, ut extra tempus, quo omnibus oſtenditur, ſacrum cruorem cum aliquibus intueri liceret. Quid autem in privata illa contemplatione acciderit, ſic exponit:* Itaque, aperto oſtiolo, per ſcalas evaſimus, factoque uno alteroque Sacro, dum ſocii, qui plurimi adeſſe cupiebant, omnes conveniunt, ſacrum Martyris caput, veteri argento illius os referente incluſum, è loculamento, quod pone aram eſt, à lineatis miniſtris, accenſis honoris ergò funalibus, depromitur, atque in cornu altaris dextro collocatur. Mox eadem religione venerabilis ampulla, quæ argenteo ac faberrimè facto in ferculo ſuſpenditur, ex iiſdem eximitur, ſuperque ſiniſtrum cornu ex adverſo capitis deponitur. Adoratis ſacris pignoribus, Deoque demiſsè invocato, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis, propitius ut adeſſe vellet, aſſurgens ego, ampullam ex ferculo eximo (nam id etiam fas eſſe Cardinalis voluerat) & plurimis, qui ex clero populoque aderant, Sociiſque præſertim diligenter oſtendo.

qui in expoſitione extraordinaria

321 Sanguis erat non aridus quidem, ſed concretus, qualis, cùm ſectâ emittitur venâ, poſt horas aliquas adeſſe conſuevit, non ita vitro adhærens, ut, inclinatâ in hanc illamve partem ampullâ, non diffluëret, nec vitrum obvelaret, ſed totus ſibique conſtans moveretur. Repoſitâ ampullâ, procidimus omnes in genu, tacitiſque votis pro ſuo quiſque ſenſu Deum precati ſumus. Paulò pòſt ego ampullam iterum in manum ſumens, ſanguinem jam quadamtenus fluentem omnibus oſtendi: nam inclinata in quamlibet partem

tem latera omnia ſanguineo obducta velo videbantur. Id ubi omnes contemplati ſumus, iterum argenteo ſuo in ferculo ampullâ ſuſpensâ, ad ſacra patronorum Neapolis pignora, quæ diſpoſitis circumquaque loculamentis in eo ſacello magnificè aſſervantur, ingredimur....

322 Luſtratis ſacris pignoribus, Deoque magnificè collaudato, cujus amici verè nimis honorati ſunt, ad aram revertimus, an ſanguis Januarii jam flueret ac ebulliret, contemplaturi. Nec ſpe falſi ſumus. Colliquefactus jam erat, uno alterove grumo nondum omnino diluto, qui tamen ſpectantibus omnibus colliquabatur, circùm emicantibus bullis, paleâque, de qua prædixi, ſatis conſpicuâ. Igitur in genua iterum provolvimur omnes, Martyriſque auxilium apud Deum poſcimus. Tum ad oſcula ſurgimus & precatorios globulos certatim de more admovemus; donec, cùm pietati omnium abundè factum eſſet ſatis; nec mihi quidquam ampliùs explorandum eſſet, relatis ſua in armaria ſacris pignoribus, diſceſſimus. Hæc, ut ſimplici narratione complexus ſum, ita planè accidiſſe, nec me ſcientem fallere, ſanctè juratus affirmo. Viderint pervicaces hæreſeos magiſtri, contra quos robuſtiſſimam miraculorum phalangem inſtituis, quanam fronte contra hæc ſtare, aut illorum impetum impreſſionemque ſe refutare poſſe confidant. Si nos viſores, & quidem diligentiſſimos, aut cœcutire arbitrantur, aut mendaces; veniant ipſi & videant: nam qui, ut veteris Romanæ magnitudinis rudera in Urbe, & naturæ miracula Puteolis aut in vicinis Baiis contemplentur, quotidie agminatim peregrinari non dubitant, cur hæc Dei admiranda exploraturi non veniant? An ex illorum genere ſunt, quibus olim indignabatur Sionius vates, qui nolunt intelligere, ut bene agant? Cura-

ſanguinem vidit liquefcentem,

micorum Dei reliquias, quas Deus admirabili arcanaque ſua potentia honorabiles facit, ipſi odio pluſquam Vatiniano perſequuntur?

323 *Multa aliorum teſtimonia congeſſit Chioccarellus in Collectione Ms., qua neceſſe non eſt omnia huc transferre. Pauca tamen ex nonnullis breviter excerpo. Zenobius Acciaiolus Ordinis Prædicatorum in Oratione, quam in laudem urbis Neapolitanæ habuit anno* 1515, *ita loquitur:* Quod enim præſentius, aut quod manifeſtius miraculum eſſe poteſt, quàm quòd is cruor, quem duratum priùs in ceræ modum coactumque videmus, ſimul atque ad capitis ſui conſpectum perductus eſt, liquitur, exilit, emicat, æſtuat, efferveſcit *&c. Janus Anyſius Neapolitanus in Carmine ad* S. Januarium *ita lectorem alloquitur:*

trium aliorum,

Noſtra qui ſpectas tacitus ſtupeſque,
Obviàm factum ut caput eſt reciſum
Longa per ſecla egelido cruori,
Fervere pinguem
Sanguinem, ut fervent latices aheno
Igne ſubjecto *&c.*

Thomas Bozius Eugubinus de Signis Eccleſiæ lib. 9 cap. 8: Nemo non ſcit Neapoli adſervari ampullam ſanguinis S. Januarii. Illa quotannis publica ſupplicatione nobiliſſimæ civitatis defertur ad locum, in quo eſt caput Sancti. Ubi ad illud appropinquârit, ſanguis concretus incipit efferveſcere, & cunctis videntibus ac ſtupentibus ebullit *&c. Nequeo omittere locum, quamvis prolixum, ex Ludovico Granatenſi, piiſſimo ſcriptore Ordinis Prædicatorum, nimirum ex Catechiſmo ipſius in Symbolum fidei, prout ille Latinè redditus eſt à Franciſco Mauroceno Brixienſi epiſcopo, lib. 2 fol.* 221.

324 *Chioccarellus locum ita recitat:* In eadem Ita-

Italia ſatis notum eſt miraculum ſanguinis S. Januarii. Loco enim à Neapoli diſtanti ſex millia paſſuum hic glorioſus Martyr jugulatus fuit, ubi quædam mulier, pietate adducta, humi ſanguinis aliquantulum illius Sancti collegit, & in ampulla conſervavit, in qua & nunc conſervatur, & ita durus, ut ſi lapis eſſet. Et quotannis primo Sabbatò Maii hujus Sancti caput quodam loco civitatis Neapolis collocatur, & in ſolemni proceſſione per totam civitatem defertur hæc ampulla, in qua ille ſanguis durus exiſtit: qui ubi ad locum advenit, ubi Sancti caput eſt, coram omnibus liquefit, ita ut, quod ita durum erat, liquidum fieri & moveri in ampulla, & ſpumam emittere cernatur, non aliter acſi tunc de Sancti capite exhauriretur. Et ita omnes congregati & ſociati idem caput & ſanguinem liquefactum in proceſſione deferunt, & in ſuo ſolito loco reponunt; quæ eſt major eccleſia Neapolis, in quadam parte, ubi multa Sanctorum corpora ſunt. Et ſanguis in ſuo loco poſitus, à ſuo capite ſejunctus, iterum dureſcit. Et non ſolùm hoc die ad id ſtatuto; ſed quotieſcumque apud ſuum caput ponitur, iterum funditur ita, ut dictum eſt, ſcilicet moveri conſpicitur, & in ſanguine nonnullæ paleæ, quæ cum ſanguine ab illa pia femina collectæ fuerunt. Neque conſentaneum eſt, ut hinc diſcedat Chriſtianus, & divinæ providentiæ amorem & benignitatem non agnoſcat, tum ut ſuos Sanctos honoret (cùm tam multis annis pòſt, ex quo ſanctus Martyr eum ſua paſſione honoravit, hoc miraculo illum Sanctum honorat toties repetito, ut ita ille Sanctus magis honoretur) tum ut incredulos miraculorum illuminet & vincat, cùm hoc tam notum & manifeſtum ſit. *Ita ratiocinatur doctrinâ pietateque celeberrimus Granatenſis.* *Ludovici Granatenſis,*

325 *Mitto Albertum Pighium, variaque poëma-*

Franciſci de Petris, Julii Cæſaris Capacii,

mata à Chioccarello collecta. Unum tamen ex hiſce exhibeo, quod eſt Franciſci de Petris, Neapolitani legum doctoris, qui ſermonem dirigit ad infideles, eoſque ſic alloquitur:

Nondum credis Arabs, Scyticis quin barbarus oris
Confugis ad veræ relligionis iter?
Aſpice, palpa hæc, ſtat longum poſt Martyris ævum
Incorruptus adeſt & ſine tabe cruor.
Imò hilaris gliſcit, conſurgit, diſſilit, ardet
Ocyor; extremæ eſt impatienſque tubæ.
Perfidus an cernis, capiti ut cruor obvius, antè
Frigidus & durus, ferveat & liqueat?
Caute vel aſperior, vel ſis adamantinus Afer,
Sanguine quin duro ſponte liquente liques?

Eadem eſt mens Julii Cæſaris Capacii, ex cujus Hiſtoria Puteolana cap. 12 hæc verba recitat Hieronymus Maria de S. Anna pag. 157: O præclarum ſanctarum reliquiarum miraculum! Accedant hæretici, explorent, obſervent, ſtupeant, & fidem Catholicam miſeri amplectantur. Januarius ad probandam fidem unus ſatis eſſet. In ejus ſanguine omnium ſanctorum Martyrum ſanguis videtur eſſe concretus. Liquatur ſanguis, corda liquentur neceſſe eſt. Motus in ſanguine divinitus excitatur, quid tandem infidelium corda ad Romanæ Eccleſiæ veritatem & pietatem non excitantur? *Ita quidem illi rectè & piè. Nec dubium eſt, quin infideles quicumque, ſive ethnici ſint ſive hæretici, ex tam manifeſto totieſque repetito miraculo occaſionem habere valeant veram fidem amplectendi, redeundique ad Eccleſiam Catholicam, in qua ejuſmodi miracula aliaque plura etiam noſtris temporibus patrantur, modò audirent Apoſtolum Rom. 12, velentque* non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſa-

ſapere ad ſobrietatem.

326 *Mabillonius in Muſeo Italico tom.* 1 *pag.* 105 *&* 106 *narrat, ſe anno* 1685 *inviſiſſe eccleſiam cathedralem Neapoli, & de ſacello Theſauri ita loquitur:* E regione exſtat magnifica S. Januarii capella, Theſauri appellata, eximiis ex ære ſtatuis quatuordecim, aliiſque multis donariis magnificis exornata: ubi caput S. Januarii cum duabus ampullis, in quibus aliqua ſacri ejus ſanguinis concreti portio aſſervatur. Hic ſanguis ad præſentiam capitis colliquefieri videtur, ampullâ ea parte, quâ ſanguis naturaliter in ſubjectam ampullæ partem cadere debet, ſuſpensâ. Miſſa interim una duæve, dum ſanguis decidat, celebrantur: ſi non liqueſcat, prodigii infauſti loco habetur. *Diſplicuit Neapolitanis, teſte Hieronymo Maria pag.* 163, *modus, quo explicat Mabillonius liquefactionem ſanguinis: illum tamen utcumque excuſat, quòd videatur confudiſſe modum, quo ſanguis S. Joannis Baptiſtæ exponi ſolet & colliquefieri. Hoc certum eſt, apertè errâſſe Mabillonium, ſuoque errore effeciſſe, ut evidentia miraculi obſcuretur illis, qui ejus relationem legunt. Neque enim ita umquam exponuntur ampullæ ſanguinis* S. Januarii, *ut pars vacua ſit inferior, aut ſanguis decidere poſſit in partem vacuam. Non oportebat virum eruditum de re tam gravi ita leviter affirmare, quæ non noverat, aut comperta habebat. Neque enim ampullas ſanguinis umquam vidit Mabillonius, nec ſatis inquiſivit, quo exponantur modo. Verùm non unicus ille eſt error in iis, quæ ſcribit de eccleſia cathedrali Neapolitana: ſed & alios feſtinantis calami lapſus in paucis illis invenient Neapolitani.*

Mabillonii, rem tamen malè exponentis,

327 *Majores noſtri, Henſchenius & Papebrochius, anno* 1661, *die* x *Martii, ſanguinem* S. Januarii

Henſchenii & Papebrochii.

nuarii *è regione capitis expoſitum viderunt, ac diligenter obſervârunt, cùm expoſitio in gratiam ipſorum fieret extra tempus conſuetum, pluribus tamen præſentibus. Res tota ab Henſchenio ad Bollandum in litteris, biduo pòſt datis, perſcripta eſt, ſcriptaque ſimiliter à Papebrochio in Diario itineris Ms., ac demum annotata in Diario Neapolitano Ms., in quo omnes ſanguinis* S. Januarii *expoſitiones conſcribuntur. Tribus illis locis dicuntur adfuiſſe multi nobiles, multique è Societate, ſed ſolus* P. Godefridus Belga, *Henſchenius nimirum, nominatur in Diario Neapolitano. Henſchenius verò & Papebrochius prater Jeſuitas nominant etiam P. Philomarinum, fratrem archiepiſcopi Neapolitani, provincialem Capucinorum cum pluribus ejuſdem Ordinis, quibus & ſeculares aliquot dominos Belgas addit Henſchenius. Hic deinde ita pergit:* Cereis in altaribus accenſis & quatuor facibus à nobilibus prælatis, januæ à theſaurario urbis & à canonico apertæ ſunt, & juſſus ſum cum P. Daniele (*Papebrochio*) accedere, ut ſanguinem concretum videremus. Delatus deinde ad altare ad latus Epiſtolæ, & caput ad latus Euangelii, & juſſi nos ſumus in ſuperiori gradu flectere. Vidimus mox ſanguinem moveri, liquefieri & accreſcere. *Subdit, ſanguinem ſibi ſocioque oſculandum exhibitum, ac omnibus aliis. Quod Papebrochius exactiùs, uti & alia nonnulla annotavit, ita ſcribens:* Reſeratum eſt, *inquit*, ſacrarium, in quo, ſolo aſſerculo mediante, caput & ſanguis aſſervantur. Hinc promptus primùm ſanguis, qui non fuit omnino durus inventus, ut paſſim aſſolet; ſed inſtar arenæ cedebat, cùm phiala moveretur. Tum incluſum argenteo hermæ caput fuit in cornu Euangelii collocatum, mitrâque & ornatu pretioſo torquibuſque indutum. Deinde ad cornu Epiſtolæ in

dua-

duabus phialis magnis ſuper argenteam magnæ molis remonſtrantiam (ſanguis,) qui orantibus paulatim factus eſt fluidus: itáque nobis oſtenſus primùm, dein ceteris, qui aderant, omnibus, ac rurſum nobis, quando etiam ebullire viſus eſt. Poſtea repoſitus in ſacrarium, denuo induruit, ſed ad ſpectandum denuò induratum vocati non fuimus. *Cùm hac relatione optimè congruit Diarium Neapolitanum, ubi de ſucceſſu hæc breviter Italicè leguntur, quæ ad verbum Latina facio:* Factum eſt miraculum: verumtamen inventus eſt dictus glorioſus ſanguis aliquantulùm liquefactus; *hoc eſt, non omnino durus, ut dixit Papebrochius. Nam, ut in dicto Diario annotatum invenio, aliquando durus, aliàs duriſſimus, aliquando ex parte liquefactus, aliàs totus liquidus fuit inventus, nimirum ab anno 1659, quo Diarium illud fuit inchoatum, & nobis magna ex parte exſcriptum.*

§ XXIII. Novum Theſauri ſacellum ex voto conſtructum.

Hactenus accumulavi teſtimonia, ex quibus liquet, ſanguinem S. Januarii *prodigiis clariſſe ab aliquot ſaltem ſeculis, etiamſi nequeat dici, quo primùm tempore initium habuerint illa prodigia. Auctores autem adducti, exceptis poſterioribus, ſcripſerunt, dum pretioſus ille ſanguis ſervabatur in antiquo Theſauro, de cujus ſitu & innovatione ſive decoratione egi* § 20. *Nunc verò priuſquam ad recentiora accedam, agendum cenſui de amplo pretioſoque ſacello, quod* novum Theſaurum *vocant. Peſtis Neapoli ſævire cœpit anno* 1526, *ut jam dixi num.* 176, *eaque ſævire perrexit uſque ad*

Peſte graſſante anno 1527.

annum 1529. *Quare anno* 1527, *die* XIII *Januarii, ut civitas patrocinio* S. Januarii *malo illo liberaretur, votum nuncupatum eſt nomine civitatis Neapolitanæ, quæ novum vovebat* S. Januario *conſtruere ſacellum. Totum ſtudioſus lector intelliget ex Actis Vincentii de Boſſis notarii, quæ habentur in Collectione Ms. Chioccarelli fol.* 119, *& apud Hieronymum de S. Anna lib.* 2 *cap.* 15, *unde Acta illa huc transfero.*

nobiles Neapolitani, præmiſſis piis exercitiis,

329 Anno Domini MDXXVII, die XIII menſis Januarii, decimæ (*imò* 15) Indictionis, in feſto tranſlationis glorioſiſſimi Januarii, pontificis & martyris, intus majorem eccleſiam Neapolitanam, in mei notarii publici & teſtium infraſcriptorum præſentia conſtitutis magnificis & nobilibus viris, domino Marino Tomacello, nobili ſedilis Capuanæ, domino Franciſco de Alaneo, nobili ſedilis Nidi, domino Galeazio Cicinello pro ſe, & domino Antonio de Sanctofelice abſente, nobilibus ſedilis Montaneæ, domino Alberico de Ligorio, nobili ſedilis Portæ novæ, domino Antonio de Alexandro, nobili ſedilis Portûs, electis nobilium civitatis Neapolis, nec non domino Paulo Calamazza, electo populi ejuſdem civitatis, unà cum conſultoribus ejuſdem populi, congregatis ante januam turris Theſauri ejuſdem majoris eccleſiæ, & ibidem cum magna multitudine nobilium & popularium perſonarum, ante conſpectum reliquiæ ejuſdem glorioſiſſimi Pontificis & Martyris, videlicet capitis & ſanguinis ipſius, pro faciendo proceſſionem circumcirca ipſam eccleſiam; qui magnifici domini electi unà cum aliquibus canonicis cum pluvialibus, & hebdomadariis cum coctis, & facibus accenſis, fecerunt dictam proceſſionem circumcirca ipſam eccleſiam devotè & ceremonialiter cum dicta multitudine nobilium & popularium.

330 Et deinde aſcendentes ad altare majus, ibidemque depoſitâ * dictâ reliquiâ, dum celebraretur Miſſa devotè ejuſdem ſancti Pontificis & Martyris, prædicti magnifici domini electi, genibus flexis, moti fervore devotionis & religionis, ad honorem & gloriam ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti, ſponte venerunt, & obtulerunt eidem metropolitanæ eccleſiæ, præſente ibidem reverendo domino Donato, epiſcopo Iſclano, vicario reverendiſſimi domini archiepiſcopi Neapolitani, induto pontificalibus veſtibus & ornamentis, donare de pecuniis publicis hujus civitatis Neapolis ducatos undecim mille, videlicet ducatos mille auri in auro * hinc ad annum unum, à præſenti die in antea numerandum *, pro tabernaculo faciendo venerabilis Euchariſtiæ & Sacramenti; & alios ducatos decem mille de carolenis, ad rationem carolenorum decem pro quolibet ducato, finito dicto primo anno, ex tunc & infra * annos decem, videlicet anno quolibet in fine anni ducatos mille de præfatis carolenis, pro ſacello ſub invocatione ejuſdem beati Januarii pontificis & martyris, patróni, protectoris, & defenſoris hujus civitatis, ædificando & conſtruendo, ſeu conſtrui faciendo, & dotando de ipſius pecuniis per ipſos dominos electos, & alios, qui pro tempore fuerint in hac civitate, exorando * divinam clementiam, ut interceſſionibus & meritis ipſius beati Januarii dignetur ipſa divina clementia pro ſua pietate & miſericordia liberare eandem civitatem, & in ea habitantes protegere & defenſare *, & à peccatis, & morbo epidemiæ, ſeu peſte; & ipſam civitatem reſtituere in priſtinam ſanitatem tam animæ, quàm corporis.

vovent deponere pecuniam pro conſtruendo ſacello,

**al.* repoſitâ

**al. mendosè* anno

**al.* numerandos

**al.* tunc infra

**al.* ad exorandam

**al.* defendere

331 Quos ducatos undecim mille, ut ſuprà promiſſos, promiſerunt ſolvere in pace, tali quidem

cujus adminiſtratio penes ipſos ſit futura.

dem declaratione & reſervatione *, quòd in perpetuum dominium, adminiſtratio, gubernatio, & totum regimen, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, ipſius ſacelli, ſeu capellæ, ut ſuprà, ædificandæ & dotandæ, & tam in conſtruendo, & expendendo pecunias; nec non præſentatio & confirmatio capellanorum, & amotio ipſorum, ſi contingerit *, ſit in perpetuum in manibus & poſſe ipſorum dominorum electorum, tam nobilium quàm populi hujus civitatis, qui pro tempore fuerint; & ſit exempta & libera ab omni ſuperiore, & qualibet juriſdictione etiam ordinaria; & nullus habeat, ſe * de ipſa, tam de fructibus ac dote, & bonis ipſius impedire, niſi dumtaxat prædicti magnifici domini electi tam nobilium quàm populi hujus civitatis, ut ſuprà; & ſimiliter de dicto tabernaculo, quod tabernaculum prædictum, ut ſuprà fiendum, ſit in poſſe dictorum dominorum electorum, & quòd reverendiſſimus dominus archiepiſcopus, & ſucceſſores, qui pro tempore fuerint, in perpetuum non poſſint de dicto tabernaculo aliquo modo diſponere, nec de loco ad locum aſportare, ſed ſemper in perpetuum ſtet ad opus, & honorem Dei, & dictorum dominorum electorum nobilium, & populi hujus civitatis Neapolis ut ſuprà *&c.*

* *al.* aſſervatione

* contigerit

* *al. mendosè* &

332 *Jam verò pauca obſervanda. Primò votum dedi ex Ms. Chioccarelli, quia nonnulla vitiosè impreſſa videntur apud Hieronymum Mariam, ex quo lectiones variantes ad marginem annotavi. Secundò obſervo, votum eſſe duplex, extendique ad annos undecim; primo autem voto promitti ad faciendum tabernaculum mille ducatos aureos (quales hodie apud Italos* Zecchini *vocantur, aut* Ungari, *ſi fuerint extra Italiam cuſi) poſt annum ſolvendos; ſecundo voto promitti ſequentibus decem annis mille ducatos, in fine ſingulorum annorum ſolvendos;*

Obſervationes nonnullæ:

non

non aureos illos, ſed de Carolenis, *ſive æquivalentes decem Carolenis. Norunt Neapolitani Carolenorum, qui etiamnum uſitatus apud ipſos eſt argenteus nummus, valorem, & ſic facilè intelligent, quanta fuerit ſumma voto illo promiſſa. Tertiò obſervo, promiſſionem non fuiſſe factam cum illa conditione, ut ſolùm fuerit exſecutioni danda, ſi peſtis ceſſaret; ſed abſolutè, ut ea liberalitate peſtis ceſſatio obtineretur. Verumtamen illo anno* 1527 *& ſequenti etiam toto continuata eſt lues, imò & bellum grave acceſſit à Gallis, qui anno* 1528 *magnam partem regni Neapolitani occupârunt, ipſamque Neapolim diu obſederunt, ut apud hiſtoricos paſſim narratur. Verùm preces vôtaque non ſemper ſtatim exaudiunt Sancti, juſtoque Dei judicio flagella ſubinde continuantur, non obſtantibus votis. Hoc etiam obſervatione dignum videtur, toto anno* 1527 *&* 1528 *ſanguinem* S. Januarii *ſtetiſſe durum & immotum, prout teſtantur Caracciolus pag.* 257, *& Joannes Dominicus Putignanus in Opere de redivivo* S. Januarii *ſanguine part.* 2 *cap.* XI, *ubi ait:* Conſtat profectò, per duos integros annos continenter immotum perſeverâſſe, dimota etiam, quæ frequentior eſſe ſolet, quadam eliquationis inchoatione. *Contrà in prima expoſitione anni* 1529, *nimirum menſe Maio, ſanguis cum omnium lætitia liquefactus eſt, peſtiſque eo anno ceſſavit, uti & bellum in regno Neapolitano, pace inter ſummum Pontificem & Carolum V imperatorem compoſita.*

333 *Quid cauſæ fuerit, ob quam ſacelli conſtructio tamdiu fuerit dilata, ut ſolùm inchoata ſit anno* 1608, *nullibi accuratè expoſitum reperio. Dicunt quidem varii ſcriptores, continuos bellorum motus, quibus afflictum fuit regnum Neapolitanum, obſtitiſſe, quo minùs conſtructio ſacelli potuerit*

cauſa veriſimilis dilatæ diu conſtructionis ſacelli.

rit inchoari ante annum 1608. *At hac ratio non videtur mihi ſufficere: neque enim continuis bellorum motibus agitatum fuit regnum Neapolitanum ab anno* 1527 *uſque ad* 1608; *ſed pace ſatis longa gaviſum eſt ſub regibus Hiſpaniæ. Quapropter dilationis cauſa mihi videtur petenda ex ipſa voti qualitate. Etenim non voverunt certo aliquo tempore ſacelli conſtructionem inchoare; ſed per annos decem ſingulis annis deponere* ducatos mille *ad conſtruendum aliquando dictum ſacellum. Hoc fideliter factum crediderim. Verùm, cùm poſt decennium pecunia collecta, ſive decem ducatorum millia, non viderentur ſufficere pro amplitudine & magnificentia ſacelli, quod meditabantur exſtruere; dilata fuerit exſtructio, ut ſumma accreſceret, ſive quòd pergerent ſingulis annis mille ducatos aut majorem etiam ſummam eum in finem deponere, ſive quòd exſpectarent tempus opportunum, quo ingentem pecunia vim ſimul expendere valerent. Certè non exiſtimaverim, voto ſuo defuiſſe Neapolitanos, ſed unicè diſtuliſſe conſtructionem, ut ſacellum magnificentius exſurgeret. Itaque non diſtulerunt votum; ſed voluerunt, ut accreſceret pecunia ex voto depoſita, ut ea ingenti incremento aucta utiliùs expenderetur, ut ipſe rei eventus abundè docet.*

Primus lapis ſacelli poſitus anno 1608, *illudque magnis*

334 *Primus magnifici illius ſacelli lapis anno* 1608, *die* VII *Julii, poſitus eſt per Fabium Maranta, epiſcopum Calvenſem, qui Octavio Aquaviva, archiepiſcopo Neapolitano & S. R. E. Cardinali vicariam navabat operam, cum hac inſcriptione in uno lapidis latere.* Divo Januario, D. A-

* *forte* Aſpreno

ſpremo *, D. Agnello, D. Thomæ, cæteriſque tutelaribus, Neapolitana civitas, ſæviente vi peſtis, anno MDXXVII ſacellum vovit, MDCVIII fecit. *In altero latere:* Divo Athanaſio, D. Severo, D. Euphebio, D. Agrippino: Paulo V Pontif. Max.,

Max., Philippo III rege, Octavio Aquaviva S. R. E. Cardinale archiepiſcopo, Jo. Alphonſo Pimentello Beneventanorum comite prorege. *Tutinus, cujus Opus impreſſum eſt anno 1633, recitat datas inſcriptiones, ſubditque ædificatum eſſe ſacellum in formam crucis, longum palmas 148, largum 94 palmas; ſuoque tempore expenſa fuiſſe ducatorum millia centum & quadraginta pro decem millibus, quæ ex voto fuerant debita. Multùm excreverat ſumma expenſa, quando anno 1645 impreſſum eſt Opus ſæpe laudatum Antonii Caraccioli, in quo pag. 271 hæc leguntur, ab editore Bolvito veriſimiliter addita:* Sed omnem prorſus excedit magnificentiam, extollitque ad ſummum Neapolitanorum in beatum Patronum pietatem auguſtum illud, non appellabo ſacellum, ſed templum, nunc ipſi ære publico erectum, quod Theſaurus dicitur, & jure, cùm futurus ſit conditorium pretioſarum civitatis tutelarium, atque adeo ipſius Protopatroni reliquiarum....

335 Occaſio ejus ædificandi peſtis fuit, quæ anno MDXXVII civitatem omnem populabatur. Ejus ſævitiam non niſi Januarii potentiâ mitem reddendam arbitrati Neapolitani, voto concepto, in ejus honorem ſacellum ſe extructuros promiſerunt: impenſamque ſtatuerunt decem millium tantùm aureorum. Vertente poſtea anno octavo hujus ſeculi, prima ejus ædificii fundamenta ritu ſacro jacta fuerunt. Fuitque tantæ molis architectus Franciſcus Grimaldus (*in eodem Opere pag.* 17 Franciſcus Niger *vocatur*) noſtri Ordinis (*nimirum Clericorum regularium Teatinorum*) ſacerdos, ob plura Romæ, Neapoli, & alibi à ſe conſtructa ædificia celeberrimus. Molis hujus ichnographiam, duplicem tholum, columnas, ſtatuas, tum ex ære, tum ex marmore, ſculpturas, pi-


ſumptibus exſtructum,

cturarum varietatem & elegantiam, libenter his chartis insererem, si opus ipsum ex toto perfectum fuisset. Spero, quod mihi negatur, ab alio perficiendum, qui singillatim cuncta describat. Id nunc tantùm, & cum præfectorum testimonio asserere possum, hactenus, quando scilicet ad ejus ornatum incumbitur, & varii adhuc artifices in eo sudant, supra bis centum quadraginta aureorum millia in eo impensa esse. Quod Neapolitanorum magnificentiæ, pioque in sanctum Civem & patronum obsequio tribuendum est. *Chioccarellus in Collectione Ms. fol.* 121 *ait:* Neapolitani cives, voti illius non obliti, sed ejus memores, diebus nostris anno MDCVIII sacellum illud erigere cœperunt, & continenti serie prosequentes, in eo adhuc expenderunt aureos circitèr centum quinquaginta millia, etsi huc usque non sit penitus absolutum, & extrema manus imposita.

& absolutum anno 1647.

336 *Ex dictis abundè liquet, ingentem pecuniæ summam dicto sacello, quod anno demum* 1647 *perfectum est, impensam esse munificentiâ civitatis Neapolitanæ. In Pactis conventis* § 24. *recitandis, dicitur civitas expendisse ducatorum trecenta millia, aureorum opinor, quos* Zecchinos *vocant. Non omnino hisce consentiunt scriptores novissimi, qui seculo nostro floruerunt. Nam Hieronymus Maria de S. Anna lib.* 2 *cap.* 15 *asserit, expensa fuisse ultra quingenta ducatorum millia, eique consentit Falconius pag.* 512, *dicens expensa fuisse ultra quingenta millia scutorum vel scutatorum, ut vocant. Neque enim Hieronymus videtur intelligere ducatos aureos, qui Italis* Ungari *aut* Zeccini *vocantur, sed decem Carolinorum, quales fuerant promissi in voto, & sic idem aut ferè idem uterque dicit. Addit uterque, necdum planè perfectum fuisse suo tempore, quia, inquit Falconius,* altare princeps nec constructum

est,



Scala palmorum 5 10 15 20 Neapolit.

Conspectus Apsidis thesauri S. Januarii M.

A. Armarium Sac. Capitis S. Januarii B. Armarium Sac. Cruoris S. Januarii. In quibus 1. et 2. sunt loca clavium Emi. Archiep. 3. et 4. loca clavium Excell.mae Deputationis Sac. Thesauri.

Mich. Foschini del. C.C.C.C. Locus Aræ majoris Sac. Thesauri. P. Caultier Neap. Sculp.

eſt, prout fuerat deſignatum. *Conſpectum apſidis magnifici hujus ſacelli, ſcalpro Neapolitano expreſſum, oculis lectorum hic objicio. Prolixior ejuſdem deſcriptio videri poteſt apud Hieronymum de S. Anna lib. 2 cap. 15, qui ibidem etiam obſervat, in dicto ſacello præter adituum ſacerdotem, duodecim ſervire capellanos, ex quibus unus eſt theſaurarius. Eodem teſte, patronatus ſacelli eſt penes civitatem, à qua eliguntur duodecim deputati viri primarii, qui ejus adminiſtrationi præſunt per biennium; habentque adminiſtros ſibi ſubſtitutos.*

§ XXIV. Pacta conventa inter archiepiſcopum & civitatem de reliquiarum expoſitione: eorumdem tranſlatio in novum Theſauri ſacellum, diligens conſervatio, annuæ in proceſſione tranſlationes.

Pacta inter archiepiſcopum & civitatem

Quando conſtructum erat nobile S. Januarii *ſacellum, ac* S. Januarii *aliorumque Sanctorum reliquiæ in illud erant transferendæ; cùm in illo ſacello omnem auctoritatem per deputatos ſuos poſſideret civitas Neapolitana, nonnulla ſunt orta difficultates inter civitatem & archiepiſcopum, qui tunc erat Eminentiſſimus Aſcanius Filomarinus, S. R. E. Cardinalis, de futuris reliquiarum expoſitionibus, aliiſque ad ſacellum & reliquias ſpectantibus. Ad amovendas haſce contentiones interpoſuit ſe ſua auctoritate Innocentius Papa X per nun-*

tium ſuum Æmilium de Alteriis, tunc Camerinum epiſcopum, qui poſtea ad ſummum Pontificatum fuit evectus, dictuſque Clemens X. Itaque, antequam fieret reliquiarum in novum ſacellum tranſlatio, formula pacti compoſita eſt, diſtincta ſexdecim articulis, in quos utraque pars conſenſit. Tota formula edita eſt apud Hieronymum Mariam lib. 2 cap. 16, mihique etiam tranſmiſſa Ms. Neapoli. Cùm autem pacta illa conventa conducant ad accuratam notitiam habendam de expoſitione reliquiarum S. Januarii, *capita eò maximè conducentia huc transferam ex Italico Latinè reddita; alia verò brevi ſolùm compendio inſinuabo. Primus articulus ſolùm continet diviſionem ſupellectilis argenteæ.*

de exponendis reliquiis in Octava Tranſlationis S. Januarii,

338 *Secundus articulus ordinat expoſitionem reliquiarum* S. Januarii *per totam Octavam feſti tranſlationis, quod celebratur Dominicâ primâ Maii, itáque de hac habet pro dicta Octava:* Fiat expoſitio ſanctiſſimarum reliquiarum S. Januarii, omniumque aliarum, in ſacello novi Theſauri, excepta tamen prima die, quâ præſtatur obedientia, dicta PASTOR BONUS, Eminentiſſimo domino, futuriſque pro tempore fideliſſimæ hujus civitatis archiepiſcopis: illaque die, quæ prima eſt Octavæ, debebunt ſtare expoſitæ in principe ara eccleſiæ cathedralis: & tradi debebunt tam ſanctiſſimæ reliquiæ capitis & ſanguinis S. Januarii, quàm omnes aliæ, mane Dominicâ primâ Maii circa horam decimam aut undecimam (*nimirum more Italico, id eſt, paulò pòſt quintam aut ſextam matutinam, ut loquimur in aliis regionibus, & in nonnullis etiam Italiæ provinciis.*) Traditio hæc fieri debebit capitulo, & reliquiæ referentur ad Theſaurum horâ vigeſimâ quartâ, *id eſt, mediâ ferè horâ poſt occaſum ſolis, ſive poſt ſeptimam ve-*

veſpertinam. Manent igitur expoſitæ ad horas facilè duodecim.

339 *Tertius articulus agit de feſtivitate* XIX *Septembris, ejuſque Octava, ut ſequitur:* In feſtivitate S. Januarii menſe Septembri reliquiæ capitis & ſanguinis Sancti, uti & aliæ omnes, debebunt ſtare expoſitæ in principe altari eccleſiæ, tam die feſtivitatis quàm omnibus aliis dictæ Octavæ, debebuntque tradi capitulo, ut ſuprà, horâ duodecimâ Italicâ *(id eſt, poſt ſextam matutinam tempore æquinoctii)* poſt cantatam Miſſam ſolemnem civitatis in ſupradicto ſacello novi Theſauri; debentque poſtea ad veſperam, ſaltem circa horam vigeſimam quartam referri ad Theſaurum. *in Octava feſtivitatis menſis Septembris,*

340 *Quartus articulus docet, quid agendum ſit in die Commemorationis exſtincti anno* 1631 *incendii montis Veſuvii, ſive* XVI *Decembris, quo illa feſtivitas celebratur, atque ita habet:* Die Commemorationis Veſuvii tempore matutino & bene mane debebunt tradi capitulo, ut ſuprà, cùm ſanguis & caput Sancti, tum omnes aliæ reliquiæ, ut in majore altari eccleſiæ exponantur, ubi manebunt expoſitæ, donec dominus Cardinalis archiepiſcopus celebraverit Miſſam: & fiet proceſſio, dabiturque ab Eminentiſſimo ſolita benedictio in altari majore, quemadmodum illam dabit in reditu proceſſionis Sabbato, quod præcedit primam Dominicam Maii: & poſt prædicta referendæ erunt reliquiæ in ſacellum Theſauri, ibique ſtabunt expoſitæ per reliquum dictæ diei. *Quintus articulus habet, tradendas eſſe capitulo omnes reliquias, excepto tamen ſanguine* S. Januarii; *quoties archiepiſcopus ritu pontificali celebrat in eccleſia. Sextus habet, caput & ſanguinem* S. Januarii, *quoties circumfertur in agmine ſupplicantium, geſtanda eſſe à canonicis, uti eò uſque fue-* *in feſto Decembris: item de aliis*

rat obſervatum. Septimus docet, quotieſcumque capitulo caput & ſanguis S. Januarii *aliaque reliquiæ ſunt tradendæ, id faciendum eſſe à Theſaurario vel capellanis Theſauri prope ejuſdem Theſauri portam.*

ad reliquias S. Januarii earumque expoſitiones

341 *Octavus articulus ordinat, ut quotieſcumque reliquiæ referuntur ad Theſaurum, ſuis ſingulæ locis reddantur, locaque illa* claudantur clavibus, quas habet Eminentiſſimus Cardinalis archiepiſcopus & fideliſſima civitas. *Nonus docet, permiſſurum archiepiſcopum*, ut ſanguis poſſit exponi in ſacello Theſauri, quoties erit neceſſarium; per formam quadraginta horarum: *id eſt, aliquot diebus conſequentibus, donec quadraginta horis fuerit expoſitus, ut eo tempore preces fundantur à fidelibus. Decimus & undecimus nihil habent de reliquiis. At duodecimus docet, à quo ſanguis* S. Januarii *populo debeat oſtendi, dum in altari aut in ſupplicationibus eſt expoſitus; nimirum, dum in ſummo altari expoſitus eſt, oſtenditur per canonicum ab archiepiſcopo deputatum*; in ſedilibus (*nobilium curias intellige, ad quas portatur in agmine ſupplicantium*) ubi ſemper ſolebat oſtendi à domino Cardinali, & ab archiepiſcopis deceſſoribus, eo abſente, oſtendet primicerius capituli, eoque etiam deficiente, unus ex canonicis in dignitate conſtitutis.

ac tranſlationes ſpectantibus.

342 *Decimus tertius articulus committit capellanis Theſauri portandam umbellam, dum ſanguis* S. Januarii *in proceſſionibus effertur. Decimus quartus promittit, civitatem continuaturam ſubſidia pia, in Octava* S. Januarii *menſe Septembri dari ſolita. Decimus quintus theſaurario, aut cappellano Theſauri, pro tempore per civitatem deputato, committit, ut oſtendat reliquias in Theſauro, quando id fieri ibidem debet. Demum articulo* XVI *civitas proteſtatur, ſe non alia ratione in pacta illa conven-*

ta

tu conſentire, quàm ut non impediatur cultus S. Januario *debitus, ſolitaque fiat proceſſio civitatis per vices ad curias nobilium. Declarat præterea, nolle ſe ullum inferre præjudicium rationibus, quæ innuunt, utramque ſancti* Januarii *Octavam in ipſo Theſauri ſacello celebrandam eſſe, prout factum eſt in antiquo Theſauri ſacello, ſed eas, ubi viſum fuerit, exponere ſe poſſe coram ſummo Pontifice. Subſcripſerunt:* A. Cardinalis Filomarinus archiepiſcopus Neapolitanus. Æ. de Alteriis epiſcopus Camerinus, nuntius Apoſtolicus. Deputati ſacelli & theſauri glorioſi S. Januarii aliorumque ſanctorum protectorum fideliſſimæ civitatis Neapolis: Annibal Capuanus pro Porta nova, D. Antonius Gattola pro Porta nova. Fabricius Capicius Bozzutius pro Capuano, Thomas Caracciolus pro Capuano. D. Fabricius Macedonius pro Porto, Joannes Franciſcus de Alexandro pro Porto. Joannes Baptiſta Spinellus princeps S. Georgii, pro Nido. Carolus Roccus, princeps Terræ Padulæ pro Montanea, D. Camillus Sanfelicius pro Montanea. Andreas Nauclerius pro fideliſſimo populo. *Facta hæc notantur* die 2 Maii MDCXLVII Neapoli.

343 *An eadem die etiam facta ſit tranſlatio reliquiarum ex antiquo in novum Theſauri ſacellum, certè edicere nequeo. Falconius pag.* 514 *tranſlationem dicit peractam die* XIII *Aprilis ejuſdem anni, ſed ſine ulla probatione. Hieronymus Maria lib.* 2 *cap.* 16 *refert tranſlationem ad annum* 1647, *& ante pacta conventa, ſed nullum deſignat diem. Eruditi Neapolitani, qui ipſa pacta conventa cum aliis documentis huc tranſmiſerunt, fol.* 154 *ita ſcribunt:* Itaque anno MDCXLVII poſtridie Kalendas Maii ſolemni pompa reliquiæ ſacri capitis & cruoris ex Theſauro veteri in novum tranſlatæ ſunt, & *Caput & ſanguis Sancti in novum Theſaurum tranſlata anno* 1647:

& in poſtico aræ principis in duobus ſeorſum armariis reconditæ. Porrò utrumque armarium occluſum eſt duabus regiolis ſive oſtiolis, quæ ex argento Carolus II Auſtriacus, Hiſpaniarum & Neapolis rex, anno MDCLXVII conflanda curavit. *Titulus pactorum utcumque inſinuat, præceſſiſſe tranſlationem, ſive eodem die, quo pacta fuerunt confirmata, ſive diutiùs. Sic enim habet ex Italico Latinus:* Compoſitio controverſiarum de proceſſione & reliquiis, quæ conſervantur in ſacello novi Theſauri intra eccleſiam metropolitanam *&c. Voces*, quæ conſervantur, *oſtendunt, peractam ſuiſſe tranſlationem, dum formula illa utrimque ſubſcripta eſt. Potuit tamen antea componi, ac ipſo tranſlationis die confirmari.*

344 *Si credimus Hieronymo Maria de S. Anna cap. 16 pag. 219, prima per civitatem proceſſio cum capite & ſanguine* S. Januarii, *poſt tranſlationem in novum Theſaurum, facta eſt anno 1648, die* XXVII *Septembris, eoque tempore domini deputati diligenter adverterunt, an omnia obſervarentur ſecundum pacta, juſſeruntque in Acta referri per notarium. Hoc autem ſi verum eſt, omiſſa fuerit proceſſio ordinaria per urbem menſe Maio tam anno 1647, quo procedere debebat die* IV *Maii, quàm anno 1648. At malim exiſtimare, errâſſe laudatum ſcriptorem, cùm veriſimile non ſit, omiſſam fuiſſe proceſſionem bidno poſt pacta confirmata, in qua deputati pro civitate conſenſerant, ne proceſſio per civitatem impediretur. Fuerit illa, opinor, prima proceſſio extra ordinarium tempus facta, quam Falconius pag. 514 inſtitutam dicit in gratiarum actionem de ſedatis in urbe tumultibus popularibus; non verò prima ordinaria à tempore tranſlatarum in novum Theſaurum reliquiarum. Ceterùm ſi quis nôſſe cupit, quorum præterea Sanctorum reliquiæ in eodem The-*

annoque 1648 in extraordinaria proceſſione circumlata.

Theſauro conſerventur, conſulere poterit Opus laudati Hieronymi, qui illas lib. 2 cap. 17 enumerat, uti & plurimas indulgentias in illo ſacello fidelibus conceſſas cap. 18, monilia cunctamque pretioſam ejuſdem ſupellectilem cap. 19, ac demum cenſus annuos expenſaſque cap. 20: neque enim fas eſt, hiſce me inhærere.

345 *Propiùs ad nos ſpectat cura diligentiſſima, quâ caput & ſanguis* S. Januarii *conſervantur, ne qua fraus poſſit obrepere. Hunc in finem conducet cognoſcere perſonas, quibus ea cura eſt concredita. Itaque huc transferam authenticum teſtimonium domini Hiacynthi Frate, qui à ſecretis eſt excellentiſſimis dominis ad gubernationem Theſauri deputatis, eaque de cauſa optimè novit, qua teſtatur. Teſtimonium illud ex Italico fideliter Latinum exhibeo:* Teſtor ego hîc infraſcriptus excellentiſſimæ Deputationis Theſauri glorioſi S. Januarii ſecretarius, excellentiſſimos dominos deputatos ad gubernationem dicti Theſauri numero eſſe duodecim. Hi eliguntur ab excellentiſſimis nobilium ſedilibus, duo pro ſingulis. Illorum gubernatio durat duos annos, & quotannis ab unoquoque ſedili ſtatutis temporibus creatur deputatus novus, manente ſemper altero, qui anno præcedente fuerat electus. Eliguntur autem menſibus Februario, Aprili, Octobri & Decembri uniuſcujuſque anni, exceptis tamen illis, qui ſunt ex platea fideliſſimi populi, qui manent, prout diſpoſuerit Electus populi.

Teſtimonium de viris excellentiſſimis,

346 Claves armariorum, in quibus conſervantur tum ſacrum caput glorioſi protectoris noſtri S. Januarii, tum glorioſus ſanguis memorati Sancti, tenentur, id eſt, ſingulæ pro quolibet armario ab eminentiſſimo domino Cardinale archiepiſcopo, & aliæ pro quolibet armario ab excellentiſſimo domino Deputato Theſauri. Cura conſervandi claves

qui per vices conſervant unam è clavibus; quibus reclaſæ ſunt Sancti reliquiæ.

habetur per vices: nam claves ſumuntur à domino Deputato ſeniore illius ſedilis, ad quod transfertur caput Sabbato præcedente Dominicam primam Maii, eaſque accipit; dum eo die ſub veſperam aperitur armarium, ſanguiſque glorioſus memorati ſancti Patroni extrahitur, tradente eas domino Deputato, qui prædictam finit curam. Ille deinde veſperi claudit armarium eodem die, ſervatque dictas claves uſque ad Sabbatum ante primam Maii Dominicam anni ſequentis. Si autem finire debeat adminiſtrationem ſuam, claves tradere debet collegæ Deputato ejuſdem ſedilis, qui, facta novi electione, ſenior eſt in adminiſtratione. Hic autem dictas claves tenere debet, donec completus ſit annus, uſque ad veſperam Sabbati ſupradicti: qua die eas tradere debet Deputato ſeniori ſedilis ſubſequentis. Hoc modo tranſeunt claves à Deputato ad Deputatum, & à ſedili ad ſedile: ſemperque & inviolatè hæc methodus obſervatur. Neapoli XII Junii 1754. *Subſcriptum erat:* Hyacinthus Frate Secretarius. *Tum additur teſtimonium Liborii Capone, notarii Neapolitani, qui declarat, D. Hyacinthum* Frate fuiſſe & eſſe ſecretarium præſentem excellentiſſimæ Deputationis Theſauri, & demum eſſe talem, qualem ſe aſſeruit.

Quid ſint ſedilia, ad quæ caput & ſanguis S. Januarii

347 *Jam verò, ut intelligant exteri, qui politicam adminiſtrationem urbis Neapolitanæ ignorant, quid ſint illa ſedilia, ad quæ per vices ſanguis* S. Januarii *quotannis defertur, pauca veniunt obſervanda. Nobiles Neapolitani, qui partem habent in adminiſtratione urbis politica, diviſi ſunt in quinque ſedilia, incolis* ſeggi *dicta, quæ etiam* curiæ *aut tribunalia nominari poſſunt, ſed malui antiquo nomine* ſedilia *vocare. Singula autem ſedilia amplam habent aulam, in qua illorum ſedilium nobi-*

nobiles congregantur ad agendum de rebus ad ſe ſpectantibus; ſingulaque nomen habent à loco vicino, dicunturque ſedes Capuanæ, Montaneæ, Nidi, Portûs (*aut, ut aliqui loquuntur* Porti) & Portæ novæ: *Italicè* di Capuana, di Montagna, di Nido, di Porto, di Porta-nova. *Suum quoque ſedile habet populus, quemadmodum & duos ex illo Deputatos pro adminiſtratione Theſauri* S. Januarii. *Plura de his videri poſſunt apud Pompejum Sarnelli in Opere Italico de Neapoli, cui titulus eſt:* Il guida de Foraſtieri, *cap.* 9, *vel apud alios ſcriptores Neapolitanos. Mihi ſatis eſt paucis indicâſſe, qualia ſint ſedilia, ad qua caput & ſanguis* S. Januarii *quotannis Sabbato ante Dominicam primam Maii deferuntur; & ex quibus duodecim Deputati Theſauri eliguntur.*

348 *At conſuetudo portandi caput & ſanguinem* S. Januarii *ad ſedilia non fuit perpetua. Nam olim archiepiſcopus eligebat eccleſiam, in qua feſtum tranſlationis* S. Januarii *celebraret, pro ſuo arbitrio, ut conſtat ex dictis num.* 297. *Hieronymus Maria de S. Anna lib.* 3 *cap.* 2, *& Falconius pag.* 507 *dicunt, antiquam conſuetudinem durâſſe uſque ad annum* 1525, *& hoc anno mutatam. Eruditi Neapolitani in Collectione Ms. nobis tranſmiſſa, in præfatione fol.* 13 *aſſignant annum* 1527: *niſi fortè calami ſit lapſus aut memoriæ: nam de primo mutationis auctore omnes conſentiunt. Verba ex Ms. huc transfero:* Et diem quidem tranſlationis olim archiepiſcopus, in qua volebat eccleſia, agitabat. At anno MDXXVII (*alii* 1525) Hieronymus Peregrinus, tribunus (*populi, vulgò* Electus *dictus*) ab antiſtite impetravit, ut occurſus capitis cum cruore in platea populi fieret: quod poſtea excellentiſſimi nobiles in ſua quique curia ſunt imitati. *Addit Falconius, ingen-*

quotannis per vices portantur.

tem erectam fuiſſe machinam, ſub qua res peracta eſt; annoque 1526 *ſequenti eamdem gratiam ab archiepiſcopo factam ſedili Capuanæ, non tamen intra ſedile, ſed in eccleſia Sanctiſſimæ Annuntiatæ caput & ſanguinem* S. Januarii *fuiſſe conjuncta: inde anno* 1527 *in ſedili Montaneæ, anno* 1528 *in Nidi, anno* 1529 *in Portûs, ac demum* 1530 *in Porta-novæ ſedilibus cæremonias fuiſſe peractas. Anno* 1531, *inquit, rurſum feſtivitas celebrata eſt à ſedili populi, indeque inchoatus eſt ordinarius circuitus.*

quaque id fiat ſolemnitate:

349 *Eruditi collectores, mox laudati, ſolemnitatem ſic exponunt:* Ergo recurrente Sabbato, quod Dominicam primam Maii præcedit, mane caput, in aurea ſtatua incluſum, effertur ad curiam regio planè apparatu inſtructam: porrò veſpere ſanguis indictivâ omnium ordinum pompâ cum archiepiſcopo & frequenti patriciorum comitatu eódem procedit, & è regione capitis tamdiu ſiſtitur, donec, Deo miſerante, & pia vota fidelium, veniam & pacem expoſcentium exaudiente, ille concretus & lapidoſus ſanguis in morem ſalientis laticis cunctis aſpectantibus efferveſcit. Mox immortali Deo conſolationis auctori actis gratiis, eâdem pompâ ſimul utraque pignora capitis & ſanguinis triumphi ritu in Theſaurum reducuntur, & in ſuis capſulis ſeorſum reconduntur.

aliæ per annum ſanguinis cum capite expoſitiones: extraordinariæ

350 *Laudati collectores hæc etiam obſervant:* Ter ſingulis annis prodigioſus ſanguis capiti opponitur, in die Tranſlationis, Dominicâ primâ menſis Maii, (*ſed tunc novem diebus conſequentibus, in pervigilio nempe, & per totam Octavam*) Natalis XIX Septembris (*per totam Octavam,*) & Patrocinii XVI Decembris (*unâ ſolùm die*)... Ter, inquam, ſtatis anni temporibus prodigioſus cruor capiti opponitur. At olim ſæpiùs id factitabatur: ſiqui-

ſiquidem adventante Neapolim aliquo viro principe, vel aliis ex cauſis conſpicuo, ad ejus preces ſanguinis liqueſcentis copia fiebat. Et nos, niſi vehementer fallimur, illum Belgam Godefridum Societatis Jeſu, cui anno MDCLXI, die x Martii, id prodigii annuente Eminentiſſimo archiepiſcopo & excellentiſſima civitate, oblatum eſt, ſuſpicamur eſſe Henſchenium, qui inter Bollandiſtas non mediocrem diligentiæ laudem conſecutus eſt. *Rectè ſuſpicantur de Henſchenio, cui adfuit ſocius Papebrochius cum pluribus è Societate & ex Ordine Capucinorum Patribus, ac dominis etiam ſecularibus, ut dictum eſt num.* 327: *ſed ſolum Henſchenii prænomen in Diario expreſſum, additumque generatim adfuiſſe multos nobiles & Religioſos Societatis Jeſu.*

351 *Continuatus eſt ille mos aperiendi aliquando armaria, & capiti ſanguinem opponendi in gratiam principum virorum uſque ad annum* 1702, *quo anno id factum eſt die* XVIII *Aprilis pro Philippo V rege Hiſpania, eodemque rurſum anno, die* VII *Junii, pro Cardinali Barberino, Clementis Papæ XI legato à latere apud regem. Poſtea id factum in gratiam alicujus advenientis non reperio in iis, quæ ex Diario nobis communicata ſunt. Antea quoque rarò factum reperio ab anno* 1659, *ubi inchoatur Diarium, uſque ad annum jam dictum* 1702. *Eductus tamen fuit variis vicibus ſanguis ob minas montis Veſuvii, & quando oſtiola armariorum fuerunt argenteis laminis, interioraque pretioſis aulais exornata. Variis etiam in feſtivitatibus, quibus caput* S. Januarii *cum reliquiis aliorum Sanctorum exponitur, ea occaſione obſervatum fuit, duruſne eſſet, an liquefactus, præſertim in feſto immaculatæ Conceptionis beatiſſimæ Virginis.* deinde abrogata.

§ XXV. Teſtimonium authenticum de conſervatione capitis ac ſanguinis S. Januarii aliiſque ad illa ſpectantibus.

Teſtimonium de ſpectantibus ad ſanguinem S. Januarii

Quanto ſtudio, quantaque benignitate ac benevolentiâ metropolis Neapolitana nobis ſubminiſtraverit omnia, quæ deſideravimus ad illuſtranda S. Januarii *geſta & miracula, colligere poterit prudens lector ex relatione authentica, quam mox dabo. Cùm enim R. P. Ludovicus de Marco, Præpoſitus provincialis per provinciam Neapolitanam, inter alia, quæ diligentiſſimè collecta ſunt, nomine noſtro etiam petiiſſet authenticum teſtimonium de modo, quo conſervatur & exponitur pretioſus* S. Januarii *ſanguis, non ſolùm ejuſmodi teſtimonium, quale recitavi num.* 345, *dedit dominus Hyacinthus Frate, excellentiſſimæ Deputationis, ut vocant,* S. Januarii *ſecretarius; ſed ipſi quoque excellentiſſimi viri cum Eminentiſſimo domino Cardinali archiepiſcopo, multiſque eccleſiaſticis & honoratis viris, ad ſacellum Theſauri convenire dignati ſunt, armariumque, in quo ſacer ſanguis conſervatur, ſtudioſè aperire, atque omnia diligenter inſpicere, ac tum demum ſolemnem teſtificationem de omnibus dare.*

per accuratam inſpectionem nobis miſſam.

353 *De hoc teſtimonio ita ad me ſcribit R. P. Paſchalis de Matthæis, rector collegii noſtri Neapolitani, cui cura commiſſa fuit omnia ad nos tranſmittendi:* Denique adnectitur extra ordinem publica ac ſolemnis teſtificatio de ratione ſervandi, educen-

cendi, ac deferendi ſacri cruoris. Quæ teſtificatio maximæ auctoritatis eſſe debet, ſive viri ſpectentur, qui publicum teſtimonium dicunt, ſive ſolemnem ordinem modumque, quo id teſtimonium publicè dixere. *Ita de illo teſtimonio ſentient omnes, quibus ſanum eſt judicium, eaque de cauſa totum ex Italico ſermone, quo conſcriptum eſt per Liborium Capone, notarium publicum, Latinum fideliter faciam, relictis tamen nominibus propriis in terminatione Italica, ut facilius ab omnibus intelligantur.*

354 Die vigeſimo primo menſis Auguſti milleſimo ſeptincenteſimo quinquageſimo quarto, & propriè in infraſcripta venerabili cappella Theſauri. *Hactenus notarius Latinè, tum Italicè, ut ſequitur.* Conſtituti coram nobis excellentiſſimi domini Deputati venerabilis ſacelli Theſauri ſanctorum patronorum & protectorum hujus fideliſſimæ metropolis Neapolis, (quod (*ſacellum*) conſtitutum eſt in venerabili eccleſia cathedrali) nimirum, pro excellentiſſimo ſedili Capuanæ, excellentiſſimus dominus D. Franciſcus Caracciolo de S. Vito. Pro excellentiſſimo ſedili Montaneæ, excellentiſſimi domini D. Andreas Coppola, dux de Canzano, & D. Joſephus de Maio. Pro excellentiſſimo ſedili Nidi, excellentiſſimi domini D. Philippus Carafa, comes de Cerreto, & D. Rudolphus Aquaviva, dux d'Atri. Pro excellentiſſimo ſedili Portûs, excellentiſſimi domini D. Marcus Antonius Colonna, princeps d'Aliano, & D. Paulus Ruffo, princeps de Caſtelcicala. Et pro illo, quod eſt fideliſſimi populi, domini D. Petrus Lignola, & D. Jacobus Bielli. *Excellentiſſimi domini Deputati Theſauri S. Januarii,*

355 Hi excellentiſſimi domini Deputati ſponte aſſerunt coram nobis, ſe rogatos à RR. PP. Bollandiſtis Belgis per admodùm R. P. Ludovicum de Mar- *rogati teſtimonium de conſervatione ſanguinis,*

Marco, provincialem Societatis Jeſu, ut ſibi publico authenticoque teſtimonio manifeſtarent clarumque redderent modum, quo, ad vitandam omnem fraudem, in memorato ſacello, nominato Theſauri, conſervantur exponunturque ſacræ reliquiæ capitis & ſanguinis martyris noſtri & præcipui protectoris S. Januarii; quandoquidem illi RR. Patres in proſequendo adeo utili laudabilique incepto illuſtrandi Acta omnium Sanctorum orbis Catholici debeant modò tractare de illis, qui comprehenduntur menſe Septembri, cujus die decima nona veniunt commemoranda Acta glorioſi Protectoris noſtri, ideoque verba facienda ſunt de portentoſo miraculo ſacri ſanguinis, qui ſemel effuſus pro Jeſu Chriſto nunc bullit & ſolvitur, dum poſitus eſt in conſpectu venerandi ſui capitis, & ſic reviviſcens authenticum illud ſigillum divinæ omnipotentiæ, præbet novum argumentum veritatis fidei noſtræ Catholicæ.

exponunt, quo modo in ſingulis armariis caput & ſanguis ſint recluſa,

356 Annuentes excellentiſſimi iſti domini Deputati piæ ejuſmodi petitioni, quæ bellè redundat ad majorem Sancti gloriam, modoque tam decoro ſpectat ad ſanctam eccleſiam Neapolitanam, omni titulo obſtrictos ſe credunt ad teſtandum, quemadmodum teſtantur formâ validiſſimâ & ampliſſimâ, in memorato ſacello, in quo conſervantur reliquiæ omnium noſtrorum ſanctorum patronorum, adamuſſim poſt ejus altare majus, in muro abſidis, in duobus contiguis armariis teneri recluſas, & ſummâ cautelâ cuſtoditas, ſupradictas venerabiles reliquias ipſius capitis & ſanguinis, nempe in ſito ad dexteram primum, (*nimirum caput*) in conſtituto ad ſiniſtram ſecundum, (*nempe ſanguinem.*) Quæ armaria intra murum ſunt conſtructa, & ambo ex ſolido marmore candido, interiùs veſtita panno aureo, ſingulaque clauſa oſtiis

ſtiis, quibus intùs foriſque laminæ argenteæ ſunt objectæ. Singula oſtia duas habent feras, ſingulaque duas differentes claves, ut quatuor omnino ſint claves, quarum duas conſervat Eminentiſſimus archiepiſcopus, duaſque ſimiliter unus ex dominis equitibus memoratæ excellentiſſimæ Deputationis, ſecundum vices, pro ejuſmodi cura inter ipſos excellentiſſimos dominos Deputatos ſtabilitas, ut clarè expreſſum eſt in teſtimonio ſeorſum dato, aliiſque documentis adjuncto: *nimirum in teſtimonio Secretarii, dato num.* 345.

357 Recluſus eſt ſacer ſanguis duabus ampullis vitreis, altera grandi, minore altera. In prima notabilis eſt quantitas; in ſecundâ tinctura aliqua, quæ ad latera vitri adhærere cernitur. Hæ ampullæ, ut valeant immunes eſſe ab omni periculo, non minùs in attrectatione, quæ fit, dum fidelibus oſculandæ præbentur, quàm in tranſportatione in publicis proceſſionibus, pro cautiſſima conſervatione optimè ſunt obturatæ in ſuis orificiis, ut nec minima aëris atomus in illas umquam penetrare poſſit, nec ſanguis, quantumcumque liquefactus, effluere foràſque effundi. Quin potiùs, ut luculentiſſimum eſt unicuique, poſt quamcumque exactiſſimam accuratiſſimamque obſervationem, conſpiciuntur & ſunt ſupradictæ ampullæ ex omni parte ſimplices & levigatæ: ſunt inſuper ſuperiùs inferiúſque cohibitæ ſolido circulo argenteo, conſtructo in modum globi, cui ad latera adhærent duo terſa cryſtalla mixturæ admodùm duræ firmæque: quibus rectæ tenentur, quibuſque omnis impeditur vacillatio. Aliunde hic circulus eas claudit, excluditque omnem aditum & penetrationem cujuſcumque etiam ſubtiliſſimi corporis, tam ad ſuperiorem quàm ad inferiorem partem earumdem ampullarum. Conſiſtit hic circulus ſupra modicam

quales ſint ſanguinis ampullæ,

pyramidem argenteam in proprio ſuo armario. Hæc ſunt, quæ ſpectant ad conſervationem ſacrarum reliquiarum. *Ut omnia rectiùs intelligat, & utcumque oculis cernat, ſtudioſus lector conſulere poterit figuram, ampullas repræſentantem pag.* 827.

quoties ſanguis & caput ex armariis educantur,

358 Quod modò pertinet ad earumdem expoſitionem, ſciendum eſt, numquam ex uno aut altero armariorum, in quibus conſervantur ſacrum caput & ampullæ, extrahi tam pretioſas reliquias, niſi causâ feſtorum, id eſt, Tranſlationis in quolibet Sabbato præcedente Dominicam primam Maii, & in illius Octava; in feſto glorioſi ipſius martyrii die XIX Septembris, quod ſua etiam comitatur Octava, & die XVI Decembris, quo celebratur Sancti Patrocinium: quamvis aliis diebus ſolemnibus per annum laudabiliter ſoleat extrahi ſolum caput, exponique fidelium venerationi ſupra altare, unà cum reliquiis aliorum ſanctorum patronorum, quemadmodum fit die primo anni, in feſto Epiphaniæ, in Dominica Paſſionis, in Paſcha ejuſque feſtis, in Pentecoſte ejuſdemque feſtis, in feſto Virginis Aſſumptæ, in feſto Omnium Sanctorum, in feſto Natalis Domini feſtiſque ſubſequentibus; & aliis aliquot vicibus per annum, fortè ad implorandum per Sancti patrocinium divinum favorem in quadam neceſſitate publica, indictis trium aut novem dierum precibus pro arbitrio.

quo ritu id fiat, & quo modo ponantur ſuper altare.

359 Talis tamen extractio ſemper fit ab aliquo per eminentiſſimum dominum Cardinalem archiepiſcopum delegato, qui utitur duabus particularibus clavibus ad aperienda armaria, & ab aliquo domino equite ſupradictæ excellentiſſimæ Deputationis Theſauri, qui eodem tempore, utens aliis duabus clavibus, aperit, præſentibus multis perſonis eccleſiaſticis & laïcis, ſed honeſtis honoratiſque, quas locus capere poteſt, quæque venire ſolent

lent ad reliquias venerandum & comitandum; præ-
ſentibus etiam non rarò multis peregrinis; etiam-
ſi accurrant pia curioſitate ad obſervandum prodi-
gioſum miraculum liqueſcentis ſanguinis, quod
Dominus Deus operatur, quando poſitæ ſunt illæ
reliquiæ è regione venerandi ſui capitis. Itaque, ſi
ſuprà ſcripti domini Deputati non convenirent eâ-
dem horâ & die ad aperiendum, non poſſent pre-
tioſæ iſtæ reliquiæ ex ſuis ſingulæ armariis extra-
hi. In aperiendo autem ſequens ordo ſolet obſerva-
ri. Primùm extrahitur ſtatua argentea inaurata, ſi-
ve ſtatua dimidiata, quâ reclusum eſt caput Sancti.
Hæc, comitante ad venerationem copioſo lumine,
collocatur ſupra majus altare ad cornu Euangelii.
Deinde extrahuntur ampullæ ſacri ſanguinis, quæ
pari comitatu honoratæ, reponuntur in ſummita-
te parvæ machinæ argenteæ, quæ expoſitas ſuſti-
net: & hæc etiam ponitur ſupra altare dictum ad cor-
nu Epiſtolæ è regione effigiei, ſive dimidiatæ Sancti
ſtatuæ, ut à tali collatione deſideratum miraculum
prodigioſæ liquefactionis ſanguinis exſpectetur.

Diverſitates liqueſcentis aut non liqueſcentis ſanguinis.

360 Hæc aliquando accidit eodem temporis
momento, aliàs tardat, ſubinde non evenit, &
quandoque ſacer ſanguis educitur liquefactus ab
armario: non rarò ſic implet ampullam, ut non
ſinat oculis cerni ullum fluxionis motum; idque a-
liquando accidit per diem, quâ ſtat expoſitus, ali-
quando ita ex armario educitur, & vel in eo ſtatu
permanet tota die, vel deſcendit: aliquando omnis
ſanguis fit fluidus, ſed aliquando in medio manet
globus, qui denſus reliquo jam fluido & liquefacto
innatare cernitur: liquefactio aliquando, ſed rarò,
evenit, dum fidelibus oſculandus porrigitur; fre-
quenter verò, dum ſtat expoſitus in altari, ubi non
ſolet ab aliquo attingi; at ſolùm accenſi cerei ad-
hibito lumine de tempore ad tempus exploratur;

an contigerit desiderata liquefactio; aut, si sanguis sit liquefactus, ampullæ manibus tolluntur ad fideles earumdem osculo consolandos; aut, si ampulla omnino impletur, similiter capitur, ad discernendum, si fieri potest, aliquam undulationem vel motum sacri liquoris. Eveniunt omnes assignatæ vicissitudines vel promptæ liquefactionis prodigiosæ, vel moræ ejusdem, vel etiam omnimodi ejus defectûs in omni tempore, & in quibuslibet tempestatum vicissitudinibus, sine ullo ordine, & sine ulla methodo, quæ ad tempus aut anni tempestatem referri possit: nam non solùm non accidit uno tempore, unaque anni parte istud, quod contingit in alia simili: sed potiùs aut omnes aut aliquæ ex dictis mutationibus aliquando eveniunt diversis diebus ejusdem Octavæ, imò etiam eodem die.

Cæremoniæ Sabbati ante Dominicam 1 Maii,

361 Quod porrò spectat ad tempus, quo exponuntur laudatæ sacræ reliquiæ, matutinum id est, exponunturque multo mane, & vesperi paulò post signum ad Ave Maria ære datum recluduntur suis singulæ armariis à supradictis duobus dominis Deputatis, suisque distinctis clavibus: & quotidie mane denuò extrahuntur ordine paulò antè descripto. Verumtamen primo Sabbato Maii res peragitur modo sequenti. In dicto Sabbato mane ex sua educitur ædicula venerandum sancti Martyris caput, recluſum statuâ argenteâ inauratâ, decoroque comitatu honoratum sub divite umbella portatur ad unum è sedilibus, cujus per gyrum sunt vices, collocaturque ad cornu Euangelii supra altare, quod ibidem cum apparatu extraordinario erigitur. Deinde eodem die Sabbati, cantatis Vesperis de translatione à dominis canonicis in ecclesia cathedrali, foràs è sua ædicula extrahuntur sacræ ampullæ sanguinis, præcedenteque numero-

merosiſſimo comitatu omnis Cleri ſæcularis & regularis, omniumque reliquiarum ſanctorum patronorum, quæ conſervantur in laudato Thèſauro, etiam ſub pretiosâ umbellâ theca argentea inaurata, iſtas ampullas continens, à duobus dominis canonicis, cappâ ornatis, portatur ſuppoſitis humeris ad memoratum ſedile; poniturque dictum ſacrum pignus ſupra altare ad cornu Epiſtolæ, ut ex concurſu venerandi capitis patretur deſideratum miraculum liqueſcentis ſanguinis, quod ſive ſequatur, ut ſæpiſſime ſolet contingere, ſive non ſequatur, quod rarò ſolet evenire, ambæ reliquiæ ſub umbella, eodem ſolemni comitatu honoratæ, referuntur ad cathedralem, ubi, poſtquam ſacro ſanguine data fuit benedictio populo, reliquiæ à canonicis more ſolito in gradu portæ Theſauri reſtituuntur dominis ejuſdem Theſauri ſacellanis, recludunturque in ſuis ædiculis à duobus dominis Deputatis.

ſequentis Octavæ & aliarum feſtivitatum expoſitiones.

362 Totis octo diebus feſtivitatis Maii, ſecundum tenorem pactorum ſtabilitorum, ſacræ reliquiæ exponuntur in ſacello Theſauri: die tamen Dominica, prima Octavæ, quâ celebratur feſtum Tranſlationis, & in Miſſa præſtatur obedientia, PASTOR BONUS dicta, eminentiſſimo domino Cardinali archiepiſcopo, traduntur eædem dominis canonicis in gradu portæ Theſauri à dominis ejuſdem Theſauri ſacellanis, ab illiſque exponuntur ſupra altare majus cathedralis: deinde ſub crepuſculum veſpertinum diei reportantur ad eumdem deſignatum locum, & redduntur dominis ſacellanis. Hic ordo ſervatur ſemper methodo uniformi omnibus octo diebus feſtivitatis Septembris: nam traduntur illuſtriſſimo capitulo ſacræ reliquiæ omnibus diebus mane, poſt decantatam in Theſauro Miſſam, reportanturque deinde veſperi ingruenti-

entibus tenebris eodem ritu, antè enunciato. In die porrò Patrocinii, cujus festum agitur XVI Decembris, ubi eductæ sunt modo illo memorato pretiosæ reliquiæ tam capitis quàm sanguinis sancti Martyris, exponuntur in majori ara Thesauri de more, celebraturque solemne Sacrificium Missæ, quo tempore ex reliquiarum collatione exspectatur miraculum sanguinis liquescentis: quod sive evenerit, sive non; ambæ solemni processione sub umbella portantur per circuitum quarumdam platearum determinatarum, quæ cingunt ambitum ecclesiæ cathedralis, indeque ponuntur supra ejusdem ecclesiæ majus altare, ut detur locus fidelibus eas venerandi, osculandique sacrum sanguinem. Postea à dominis canonicis eodem modo & formâ superiùs expressâ traduntur dominis sacellanis Thesauri, qui eas ponendo supra majus altare ejusdem sacelli, relinquunt expositas venerationi fidelium per reliquum istius diei, ut deinde propriis reddantur armariis, ibidemque vesperi recludantur duabus seris à duobus dominis Deputatis secundum consuetudinem. Quando ergo sanctæ istæ reliquiæ stant expositæ in sacello Thesauri, sacer sanguis osculo fidelium porrigitur ab ejusdem dominis sacellanis; quemadmodum contrà, quandocumque expositæ sunt super altare majus cathedralis, osculandæ præbentur sacri sanguinis ampullæ ab illis dominis canonicis, qui specialiter deputati sunt ab eminentissimo domino Cardinali archiepiscopo.

Visitatio ampullarum huic declarationi præmissa.

363 Cùm autem voluerint excellentissimi domini Deputati omnia, quæ in hac declaratione expressa sunt ab ipsis, & præsertim quæ spectant ad conservationem & statum, in quo sunt ampullæ sacri sanguinis sancti nostri Protectoris, modo maximè authentico confirmare, convenerunt suprædicto die XXI currentis mensis Augusti ad horam vi-

vigeſimam ſecundam (*id eſt, noſtro loquendi modo, poſt quintam veſpertinam*) in ſacello dicto Theſauri, ſimul cum eminentiſſimo domino Cardinali archiepiſcopo Serſale. Hic, poſtquam ipſe ſua clavi aperuerat armarium eodem tempore, quo idem armarium aperuit dominus eques Deputatus altera clavi, propriis manibus Eminentiſſimus dominus extraxit ſacrum ſanguinem, tenenſque eumdem aliquo temporis intervallo, ubi obſervaverat, obſervarique minutè curaverat, omnia adjuncta ſuperiùs explicata de modo & forma, quâ conſervatur ſupradictus ſanguis glorioſus, & ampullas, quæ illum continent, in circuitu, ſive circulum argenteum; ampullas inſuper oſculandas præbuit omnibus adſtantibus, quibus etiam eodem ſacro ſanguine benedixit, illumque deinde repoſuit in armarium; concluſum demum coram eo à ſingulis dominis Deputatis.

& perſonæ, quæ præſentes fuerunt.

364 Inter adſtantes, qui tam piæ obſervationi factæ intervenerunt, ibidem fuerunt domini canonici eccleſiæ cathedralis, D'Andrea, Sparano, Campoli, D'Alteriis, Mazzocchi, Borgia & Fontana; abbas generalis canonicorum Lateranenſium Latilla, & P. de Marco provincialis Societatis Jeſu: ac domini ſacellani venerabilis ſacelli Theſauri, D. Hector Capece Galeota theſaurarius, D. Reynaldus Miroballo, D. Michaël de Gennaro, & D. Antonius Riſpoli, multæque aliæ ſpectabiles perſonæ, cùm eccleſiaſticæ tum ſeculares, qui præſentes fuerunt & diſtinctè obſervârunt, quæcumque ſuperiùs ſunt dicta. Et rogârunt nos prædicti excellentiſſimi domini deputati, ut ſupradicta in Acta referrem, ſive de iis publicum formarem inſtrumentum. Nos autem &c. Unde &c. *Hujus inſtrumenti exemplar authenticum ad nos miſſum, illudque ſcriptum in novem charta foliis, quibus*

fin-

ſingulis ad marginem nomen ſuum adſcripſit Liborius Capone notarius, qui Acta ipſa conſcripſit, ac inferiùs in ſubſcriptione teſtatur, facta collatione, *dictum exemplar concordare cum Actis.*

§ XXVI. Exponuntur viciſſitudines aliquot liqueſcentis S. Januarii ſanguinis, mutationeſque ſubitæ.

Sanguis S. Januarii etiam liquefactus coram aliis ejus reliquiis,

QUamquam prodigium liqueſcentis S. Januarii *ſanguinis maximè eveuire ſolet, quando ſacro capiti opponitur; neque uſus habet, ut alia ejuſdem Sancti reliquiæ è regione ſanguinis ponantur, obſervatum tamen fuit à multis, ad præſentiam quoque aliarum Sancti reliquiarum memoratum in laudato ſanguine prodigium eveniſſe. Ad hoc propoſitum eruditi Neapolitani, qui amplam documentorum collectionem pro nobis curârunt exſcribendam, in monitis præviis fol.* 13 *hæc ſcribunt:* Sanguis autem ex defecto beati Martyris capite deciduus, & in ampulla vitrea obſignata aſſervatus, ubi in conſpectum capitis, in aurata ſtatua incluſi, datur, primùm colliquefieri, mox ſpumis ſupernatantibus efferveſcere conſpicitur, uſque adeo ut ſanguis è Theſauro concretus eductus, cùm obiter ante aream baſilicæ S. Joannis Majoris, ubi particula ex oſſibus B. Januarii publicæ fidelium venerationi propoſita erat, cùm hac, inquam, ſolemni pompa efferretur ad ſedile, omnium admiratione liquatus cerneretur. Hanc narrationem à majo-

majoribus noſtris accepimus, & nos manu publici tabellionis ſignatam damus. *Teſtimonium, de quo loquuntur, datum eſt anno* 1754, *die* VII *Martii, ac jurejurando firmatum, à R. D. Joſepho Maria Pace, eccleſiæ S. Joannis Majoris canonico curato, confirmatumque à Philippo de Errico, utriuſque juris doctore & notario Neapolitano. Illud ex ſermone Italico fideliter in Latinum transfero.*

366 Plenam facio indubitatamque fidem ego infrà ſcriptus canonicus curatus inſignis collegiatæ & particularis eccleſiæ S. Joannis Majoris hujus civitatis Neapolis, inter alias pretioſas reliquias, quibus locupletata eſt dicta noſtra antiquiſſima eccleſia, haberi partem oſſis glorioſi epiſcopi & martyris S. Januarii, præcipui protectoris noſtri. Hæc recluſa eſt thecâ reliquiarum ex argento, exponiturque publicæ venerationi in pectore cujuſdam ſtatuæ dicti glorioſi Sancti: quæ ſtatua ſimilis eſt illi, quæ conſervatur in venerabili ſacello Theſauri intra cathedralem. Publica autem eſt fama conſtanſque traditio, multis abhinc annis conſuetudinem fuiſſe exſtruendi altare ante majorem portam dictæ eccleſiæ noſtræ, exponendique ibidem prædictam ſtatuam & reliquias in die proceſſionis ſolemnis, quæ fit Sabbato præcedente Dominicam primam Maii, quâ celebratur Tranſlatio corporis memorati Patroni noſtri glorioſiſſimi, quando mane portatur ſacratiſſimum illius caput ad unum è nobilibus ſedilibus hujus civitatis, ad illud nempe, cujus eſt illo anno feſtum iſtud magnificâ pompâ ſolemniter celebrare, quando item deinde eodem die cum aliis ſtatuis ſanctorum noſtrorum protectorum portatur in proceſſione ſacratiſſimus ejuſdem ſanguis.

ut authentico teſtimonio declaratur

367 Fuit ea occaſione cum admiratione omnium pluribus vicibus obſervatum, dictum ſan-

ſæpius factum ante eccleſiam S. Joannis Majoris,

guinem liqueſcere in tranſitu proceſſionis ante prædictam eccleſiam noſtram & altare ſuprà deſcriptum, itaque liquefactum conſpici per aliquod temporis intervallum in decurſu proceſſionis. Quapropter, facta maturiore ac diligentiore obſervatione, clarè cognitum fuit, miraculum diſſolutionis memorati ſanguinis adveniſſe, quando erat è regione dictarum reliquiarum, in memorato altari expoſitarum. Quam ob cauſam, cùm anticipationem talis miraculi unuſquiſque improbaret, deſideraretque, ut fieret, ſicut congruebat, in ſumptuoſo altari ſedilis, vetuit dominus Cardinalis archiepiſcopus, ne ejuſmodi altare deinceps exſtrueretur, adjuncto mandato, ut numquam in dicto proceſſionis die publicè ſupra altare intra eccleſiam noſtram exponerentur eæ reliquiæ, quemadmodum hodieque obſervatur. Hoc modo deinceps ceſſavit liquefactio ſanguinis in tranſitu ante eccleſiam noſtram. Hunc autem prodigioſum eventum teſtantur non ſolùm ſeniores canonici capituli noſtri, presbyterique & clerici noſtræ Collegiatæ; ſed plurimæ aliæ perſonæ inſignes, omnique fide dignæ, tam hujus meæ parœciæ, quàm aliorum hujus civitatis locorum. Præterea id ego referentes audivi alios canonicos ſeniores, ætatiſque proveCtiſſimæ, qui ad meliorem tranſierunt vitam.

juramentoque firmatur.

368 Et cum jurejurando aſſero confirmoque omnia, hìc fideliter à me relata, ad majorem gloriam Domini Dei, glorioſiſſimique protectoris noſtri S. Januarii, qui ſe ſemper magis admirabilem reddit variis continuiſque miraculis prodigioſiſſimi ſanguinis ſui. Et in fidem &c. Neapoli in noſtra collegiata hac die VII Martii MDCCLIV. *Erat ſubſcriptum:* Joſephus Maria Pace canonicus curatus. *Mox etiam ſequitur ſubſcriptio Philippi Errico, teſtantis R. D. Joſephum Mariam Pace dato inſtrumen-*

mento propria manu *ſubſcripſiſſe, ac demum in exemplari nobis miſſo duo notarii, Dominicus Guilielmus Silano & Cajetanus Pivolo confirmant fidem authenticam Philippi d'Errico notarii & U. J. doctoris. Itaque teſtimonium hoc undique ſubſcriptionibus munitum eſt, & juramento etiam firmatum. Ad illud autem remittunt Viri litteratiſſimi mox laudati, qui idem ſimiliter aſſerunt, quique de nimia credulitate mihi nequaquam ſuſpecti eſſe poſſunt, cùm ſeveram ubique adhibeant criſim. Non eſt quidem teſtimonium oculati teſtis, cùm nemo videatur ſupereſſe, qui memoratam ſanguinis reſolutionem ante eccleſiam S. Joannis Majoris aliquando vidit, ſicut ordinariam in conſpectu capitis ebullitionem paſſim omnes Neapolitani frequentiſſimè conſpexerunt; aſſeritur tamen conſtans traditio de re non tam diu præterita, ut juſta poſſit eſſe ſuſpicio, ex inani rumore traditionem aut opinionem illam fuiſſe exortam, quemadmodum oriri ſolent traditiones populares de rebus antiquiſſimis. Non video igitur, quare non debeamus memoratam traditionem de liquefactione ſanguinis ad præſentiam reliquiarum eccleſiæ S. Joannis Majoris pro vera habere; licèt non aquè certa indubitataque ſit, quàm ordinarium liqueſcentis ſanguinis miraculum.*

Miranda ſanguinis viciſſitudines, ſubinde

369 *De miris prodigioſi ſanguinis viciſſitudinibus, de quibus in teſtimonio ſuperiùs dato num.* 360 *plura ſunt dicta, eruditi collectores etiam ſic loquuntur:* Porrò de variis ebullientis ſanguinis vicibus ſigillatim hìc non vacat differere. Id enim prodigium non uno ſemper modo procedit. Sanguis autem eductus è capſula concretus, ubi capiti opponitur, ſtatim, ut plurimùm, efferveſcit; interdum ſeriùs: at aliquando jam liquefactus concreſcit, interdum non omnino liquitur, ita ut circumrotantis manum non facilè ſequatur: aliàs to-

tus aſſurgit, & ampullam vitream prorſus implet. At hujus cruoris prodigioſas vices quoniam longum eſſet percenſere, producimus Diarium, quod in ſacrario nobiliſſimi Theſauri B. Januarii aſſervatur: in quo volupe erit intelligere, quid ſingulis diebus ab anno MDCLIX (inde incipit Diarium) ad hæc uſque noſtra tempora portentoſo ſanguini acciderit. *De hiſce viciſſitudinibus amicus Neapolitanus in Diſſertatione Ms. de Sanguine* S. Januarii, *eodem cum reliquis tempore ad nos miſſa, fuſiùs ita ſcribit:* Neque omittendæ ſunt miræ illæ ſacri cruoris latè tumeſcentis vices, quas ætas noſtra frequenter vidit: num enim à majoribus noſtris viſæ ſint, ignoramus. Cœpere, ut novimus, ab anno MDCCX intra octiduum Tranſlationis menſe Maio. Quintâ enim feriâ ſub meridiem ſanguis, qui ad eum diem celerrima ebullitione ſolutus fuerat, repentè intumeſcere viſus eſt, ac rareſcere adeo, ut ampullam omnino oppleverit, nullo interim relicto fluoris ſigno.

miro modo intumeſcentis,

370 Accedebat ſubcinerius color, ac ſanè teter, qui terrorem videntibus incuteret. Hæc facies conſecutis etiam diebus perſtitit. Qui verò fuerint concurſus, quæ trepidatio, quæ publicæ pœnitentiæ ſigna, meminere adhuc plurimi. Septembri deinceps menſe ſanguis in armario ita tumens inventus eſt, uti Maio menſe fuerat repoſitus: eductuſque inde, & in altari objectus capiti de more, tres ipſas horas immutatus perſtitit, donec paulatim ſubſidens intra quantitatis priſtinæ fines fluere, coloremque purpureum reſumere viſus eſt. *Idem planè ſcribit Putignanus lib. 2 cap. 15 num. 2 & 3, ubi adjungit, regni Neapolitani gubernatorem, qui erat eminentiſſimus Cardinalis Grimanus, intra octavam* S. Januarii *menſe Septembri obiiſſe, multoſque credidiſſe ipſius mortem eo oſtento fuiſſe præſigna-*

gnatam. Adnotatum namque eâdem horâ fuerat, quâ ſanguis cœperat tumorem inire, unáque decolorari, contigiſſe, ubi primùm idem adminiſtrator exceperat, intra ſanctiſſimum Tutelaris ſacellum, ſanguinem ad oſculum delatum venerationis gratiâ, in momenta ſingula magis magiſque ſe efferentem, ponentemque jucundum colorem. *Redeo ad Diſſertationem Ms., in qua eruditus amicus ſic pergit.* Ab eo tempore exempla ejuſmodi non pauca vidimus, niſi quòd aliquando ante octidui finem parumper ſubſidit ita cruor, ut ſaltem refluere videretur. Atque ita prorſus tumidum ſacrum hunc cruorem, plenâ admodùm phialâ, & colore ſubnigro, ac cinereo veluti pulvere interſperſo, egomet vidi, inſpexique attentiùs ante paucos annos, ac planè exhorrui, quaſi cæleſtes minas perſentiſcerem: quod & qui mecum comes aderat, de ſe teſtatus eſt, & alii plurimi confirmârunt.

371 Denique, ne ſingula diutiùs perſequar, huc revoco diſſimiles illas liqueſcendi vices, quibus nec definita ſunt intervalla temporis ad liqueſcendum, cùm modò protinus ebulliat, modò poſt horas aliquot molliatur, modò dies integros adſtrictus denſatuſque hæreat, aliquando etiam per duos annos, veluti annis MDXXVII & MDXXVIII, teſte Caracciolo, durus omnino conſtiterit. Nec certus eſt liquationis modus; cùm vel ebullitio ſit vel ſolutio nunc pertenuis, nunc plenior, nunc integra. Nec circumſtantiæ ullæ loci, temporis, aëris, caloris, aliæve liquationem hanc aut promovent, aut præpediunt, ut heterodoxi quidam delirant. Percurrenti enim Ephemerides, ac longè etiam magis has eliquationes contemplanti planè conſtat, ſæpe ſacrum cruorem in aperto ſolutum eſſe, cùm in templi adytis ſæpe concretus diu manſerit: aliàs Maio menſe ſeriùs, Decembri citiùs liquere

ab oculatis teſtibus expoſitæ.

consueviſſe: aliàs quoque, referto cultoribus templo, numquam ſolvi viſum eſſe, cùm frequenter non magno adſtante populi numero, protinus ebullierit: modò in altari, modò inter ſupplicum oſcula (licèt id rarum ſit) modò neutrobique eliquatio conſecuta ſit. Nihil denique confingi idòneum ad liquationem poteſt, quo ſuppetente liquatio certa ſit: nihil aptum ad concretionem, quo admoto concretio omnino conſequatur. *Omnibus iſtis omnino aſſentitur Putignanus noſter variis locis in Opere de Redivivo ſanguine* S. Januarii, *in cujus præfatione ait, ſe* quadraginta circitèr annos *prodigium illud ſacri ſanguinis, quoties licuit, coràm eſſe veneratum.*

Sanguis aliquando ſubitò indureſcit,

372 *Laudatus Diſſertationis Ms. auctor, qui etiam frequenter ſanguinis miraculum intuitus eſt, hæc præterea obſervat:* Addere hîc tamen libet duo, quæ vim divinam apertiſſimè demonſtrant in hac liquatione & concretione, de qua loquimur. Alterum eſt, quòd ſanguis è regione etiam capitis in altari locatus, ſi quando obveletur, dureſcit, tum reducto iterum velo, ſolvitur. Id quotannis uſuvenit, Maio præſertim menſe, cùm ſummo mane expoſitus de more per octiduum, meridianis deinde horis, quo tempore vacuum ferè cultoribus eſt ſacellum, in obſervantiæ argumentum obtento velo tegi ſolet: ac, mirum dictu! liquidus antea cruor continuò riget atque obduratur: nec priùs refluit, quàm velum amotum ſit. Quæ ſubita commutatio quotidiano experimento admirationem ferè nullam parit: quamquam divinæ virtutis teſtimonium eſt maximè conſpicuum atque indubium. Alterum eſt, quod plus ſemel contigiſſe novimus, ut, dum ſacræ ampullæ ſtillantis jam fluentiſque ſanguinis deoſculandæ offeruntur, uti aſſolet, repentè inter alicujus manus & oſcula ſanguis concreverit: qui ſe-

ſedi ſuæ mox reſtitutus, iterum eliquatus ſit, ominoſa certè præſenſione (quamquam de ſubitis hiſce mutationibus ego quidem ago, de præſagiis, quorum multa aperta quoque ſunt, nihil in præſens laboro.) Et concreviſſe eo pacto ſacrum cruorem ante decem hos annos, dum eum piè deoſcularetur vir princeps, quem nominare nihil attinet, ſcimus omnes, ac vidêre multi, qui id jurati affirmare poſſunt. *Factum hoc mihi quoque jam antea innotuerat, ſed nomen principis, cui id contigit, ego ſimiliter ſupprimendum cenſeo.*

373 *Addit jam relatum de Eminentiſſimo Grimano exemplum, & mox progreditur ad aliud diutiùs præteritum, quod refert Carolus Celanus in Notitia Neapolitana urbis Italicè conſcripta, illudque ſimiliter ex Celano refertur apud Putignanum part. 2 cap. 14, unde tranſlationem Latinam hìc recito.* Non rarò effectum, ut ſacer cruor è liquido in durum redierit, adſtante inter orthodoxos ſectario; quòd ſanè oſtentum annis præteritis contigit, dum ego muneri meo operam ibidem commodarem. Lypſanis in ara deforis locatis, advenere plures tranſalpini nobiles, miraculum ſolutionis veneraturi. Sanguis liberè fluens accedentium oſculis exhibebatur, cùm in canonici manibus dictum factum obduruit. Adſtantes novo prodigio ſtupentes hærebant: verùm canonicus miniſter, intimo zelo commotus, altè ſic intonuit: „Domini mei, ſi hìc adſtat heterodoxus aliquis, „abſcedat„: Statimque unus è multitudine furtim ſe ſubduxit: quo vix retracto, ſanguis ebullitionem inſtauravit. Hoc idem per vices alias alio tempore accidiſſe conſtat. *Hæc Celanus, de quo ipſe Putignanus mox ſubjungit:* Hactenus auctor, annis, cùm hæc ſcriberet, ſatis maturus, probuſque inſpector. *Antè verò ait de eodem*, docti & eruditi

ut exemplis aliquot probatur:

ruditi viri, *ſua* ætate è vivis ſublati, *ſe allaturum* auctoritatem.

aliud exemplum

374 *Laudatus Putignanus part.* 1 *cap.* 12 *num.* 10 *aliud refert ſubitæ mutationis exemplum, quod recentiſſimum erat, dum ſcribebat, & de quo ſic præfatur:* Quod ſubdo, penè incredibile videretur, niſi me vel ab exigua amplificandæ rei ſimulatione vindicarent plurimi, & innumerabilis propemodum civium tum exterorum multitudo, quæ anno MDCCXIX miraculo ejuſque circumſtantiis interfuerunt. *Tum factum ita refert:* Dies ſextus Maias (*lege Maii*) advenerat, quo recurrebat per urbem ſupplicatio pro celebritate Tranſlationis oſſium D. Januarii: & ex inſtituto majorum ſolemni pompa deferendus ſanguis erat ad nobilium ſedile, quod Capuanum vocant. Eò jam maturâ horâ acceſſerat ſupremus tunc regni adminiſtrator comes Uldricus Daun, proceribus ſtipatus compluribuſque militiæ tribunis & ducibus, quorum recens ex Alemannia Neapolim adventus pro expeditione Sicula ad rei etiam novitatem pellexerat. In iis Catholici multi, multi adhuc Lutheranæ ſectæ aſſeclæ; & pro nobilitate ſimul ac munerum dignitate admiſſi omnes intra ſedilis ſepta, ut propiùs ſpectarent. Ut primùm ad altare delatus ſanguis coram capite, fuſæ de more flexis genibus preces, & protractæ longiùs, quàm ſuetum erat ſuperioribus annis; quia ſanguis nullum effervescendi ſignum dederat, acſi congreſſum neſciret. Interea complures flere, & votis ardentioribus ſanctiſſimum Patronum precari, ut triſte omen arceret. At primores è ſacerdotibus, & è nobilibus ad has celebritates eo anno delectis, oſtentum expendentes, verenteſque, ne præpediretur ebullitio hæreticorum præſentiâ, nimiaque viſendi tantùm libertate, proregem exoratum accedunt, ut

pro

pro ſua authoritate eos omnes ſubmoveret; experimentis aliàs comprobatum, nolle Januarium miraculi teſtes Catholicæ religionis hoſtes.

375 Annuit confeſtim comes, & quà voce, quà nutibus, quà per miniſtros ſuos ſignificatione, mandat, ut recedant. Hi dicto audientes, properè & perturbatim pedes referunt. Omnes terga verterant: necdum omnes extra ſedilis cancellos digreſſi fuerant, cùm ebullitio momento temporis, & numeris omnibus abſoluta eluxit. Quo adſtantium ſenſu! quibus acclamationibus! quibus lacrymarum rivulis! ex eo adhuc patuit, quòd plures ex ipſis Lutheranis ducibus, ad feſtivas voces regreſſi, admiſſi adhuc ad ebullitionem conſpiciendam, ubertim pro prodigii eventu & pro veneratione fleverint. Poſt dies aliquot increbuit fama, plures inſuper ad Catholicam fidem eo miraculo converſos, ſed ego affirmare non ausim; cùm non eâdem mihi evidentiâ, quâ ebullitionem laudataſque circumſtantias inſpexi, converſio quoque innotuerit. *Hæc teſtis oculatus, cujus Opuſculum anno* 1723 *impreſſum eſt, ut fortè eodem anno, quo factum contigit coram innumera hominum multitudine, etiam litteris ab auctore fuerit commendatum. Certè tam recens erat tāmque omnibus notum prodigium, ut nihil hic fingere potuerit, nihil exaggerare ſine manifeſta fama ſuæ jactura. Attamen non contendit Putignanus, numquam coram hæreticis liquefieri ſacrum* S. Januarii *ſanguinem; ſed contrarium potiùs fatetur num.* 9, *& num.* 11 *ipſos hortatur, ut accedant, modò non veniant eo animo, quo Phariſæi* ſignum *petebant à Chriſto Domino, quando audierunt Matth.* 12 ℣ 39: Generatio mala & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ. *mirabile.*

Paucæ sanguinis guttæ, quæ sunt in minore ampulla,

376 *Cùm suprà ex testimonio dominorum Deputatorum, & variis locis jam dictum sit, duas esse sanguinis* S. Januarii *ampullas, majorem alteram, in qua* notabilis est quantitas, *alteram minorem, in qua solùm* tinctura aliqua, quæ ad latera vitri adhærere cernitur, *quæret curiosus lector, an mirabilis ebullitionis effectus in minore quoque deprehendatur ampulla. Hanc inquisitionem omnes ferè, qui de sanguine* S. Januarii *breviter agunt, omnino prætermiserunt, omnesque passim de una solùm loquuntur ampulla. At Putignanus part.* 1 *cap.* 19 *effectus modicissimi sanguinis, qui est in minore ampulla, studiosè exponit. Fatetur primò auctor, multos in ea esse opinione, ut existiment, pluscùlum in ea ampulla esse sanguinis, quàm revera sit, seque olim in eodem fuisse errore, quia, ut in Annotatis ait,* non nisi proximè & perquam accuratè intuentes in parvam phialam deprehendere valent, pauciſſimas esse sanguinis guttas, quæ affinem alterius colorem atque perspicuitatem reddunt. *Attamen pauciſſimas esse guttas lateribus phialæ agglutinatas nôrunt omnes, qui ad sacras ampullas proximè accedere solent aut eas tractare, idque cùm ex canonico didicisset Putignanus, eodem agente, cùm proximè accessisset, suis etiam oculis deprehendit. Hæc paucitas sanguinis in minore ampulla occasionem præbuisse videtur, ut multi, quando de ebullitione loquuntur, unam solùm ampullam nominent.*

sanguinem majoris ampullæ planè imitantur.

377 Phænomena verò utrique communia, *inquit Putignanus*, tum in concretione, tum in solutione, ceteriſque aliis mutationibus liquidò deteguntur. In concretione quidem ambæ phialæ corpus opacum, obscurum, paulóque densius vitro offundere videntur, & reipsa offundunt, non secùs quàm si nativa duritie sanguis quicumque alius,

lius, priſcis ſeculis ibidem clauſus, ſpem omnem eliquationis abjiceret, iners omnino ac impotens: è converſo autem, cùm cæleſte ebullitionis beneficium proximè inſtat, ambæ, poſita paulatim concretione, ſeipſas iiſdem momentis excitant, & icto veluti fœdere ſe viciſſim devinciunt, ut eumdem colorem referant, aut perſpicuum & paulò dilutiorem, aut intensè flammeum; aut turbidum & neſcio quid triſte minitantem. Temporis menſuram quin etiam graduſque alios mutationum æquant. Nam ſi major ampulla præ ſpirituum concitatione ad faſtigium oppletur; minor quoque eò uſque ſe effert protenditque, ut nihil ferè addi poſſit, ſi quidquam aliud addi velles: tam largè, tam integrè, tam hilariter ſui ſpeciem intuentibus exhibet. At ſi altera aliquantò lentiùs, quamdam tamen dimidiatam ſolutionem præſtat: nihilo vehementior altera, gradatim lentoque greſſu ad ſociandum alterius ſtudium progreditur. Quid plura? Eadem demum durities, cùm benificium ad tempus ſubtrahitur, vel per horarum intervalla differtur. Altera alteram nec prævenit, nec umquam fallit. *Hæc Putignanus, qui multa mox differit, ut oſtendat, non carere novo miraculo admirabiles illos ebullitionis in minore ampulla effectus.*

§ XXVII. Ex Diario Neapolitano referuntur expoſitiones extraordinariæ, partim factæ in gratiam illuſtrium perſonarum, partim ob neceſſitates publicas.

Recenſentur breviter ex Diario Ms. inſpectiones

QUandoquidem piâ civitatis Neapolitanæ munificentiâ ad uſum noſtrum exſcripta fuit magna pars Diarii Neapolitani, in quo ab anno 1659 per theſaurarium & unum è ſacellanis fideliter annotati ſunt ſucceſſus expoſitionum ſanguinis S. Januarii *cum capite, cùm ordinariarum in feſtivitatibus & Octavis, tum extraordinariarum in gratiam illuſtrium perſonarum; juvabit multa ex iis lectori communicare, ut hoc etiam monumento confirmentur plurima, quæ de prodigioſo ſanguine jam narrata fuerunt. Ordiar autem ab expoſitionibus extraordinariis, ut deinde etiam recenſeam ea, quæ in ipſis feſtivitatibus rariùs contigerunt. Prima expoſitio extraordinaria memoratur facta occaſione proceſſionis inſtitutæ de Immaculata Conceptione B. M. Virginis, tum enim ſanguis dicitur viſus*, & inventus durus, ac in collatione cum capite ſubitò liquefactus eſt, præſentibus multis equitibus nobilibus. *Ponitur hoc inter reliqua anni 1659, ſcriptum tamen eſt in apographo 1669, veriſimiliter errore exſcribentis. Subſcripſerunt* D. Laurentius de Alexandro theſaurarius, D. Januarius Lantero ædituus, *qui prioribus annis ſemper leguntur ſubſcripti, donec aliter*

mo-

monebo. Rursum die VIII *Decembris anni* 1559 *sanguis dicitur visus occasione festivitatis Immaculatæ Conceptionis in sacello Thesauri celebratæ.* Inventus *autem* est mollis, *id est, non omnino durus*, ac deinde subitò liquefactus est. *Non additur, an fuerit, cum capite collatus. Rursum anno* 1660 *&* 1661, *cum in eadem festivitate solum exponendum esset caput, dicitur ea occasione visus sanguis, & utroque anno inventus* durus, *eademque occasione anno* 1662 *inventus* durissimus, *quemadmodum & anno* 1663, 1664 *&* 1665. *Anno* 1666 *eadem rursum festivitate sanguis repertus est* durus; *sed anno* 1667 *in eodem festo inventus est* liquefactus. *Demum anno* 1668 *dicitur sanguis Sancti in illa festivitate visus, inventusque* congelatus quasi durus. *Plura de visitatione in illa festivitate in extracto nostro non leguntur.*

379 *Anno* 1559, *die* XIV *Novembris, cùm sanguis exponeretur in gratiam nobilis equitis Angli, qui non nominatur,* inventus est durus, collatusque cum capite, subitò liquefactus est. *Anno* 1660, *die* XIII *Septembris, cùm fibula argentea in theca, quâ sacrum caput continetur, confracta esset diuturno usu, apertum ea de causa armarium, quo caput recluditur, præsentibus Cardinali archiepiscopo Philomarino, illustrissimisque dominis Deputatis ac aliis pluribus. Ea igitur occasione præsentium oculis patuit armarium,* ex quo, *inquiunt auctores,* cum admiratione omnium egrediebatur suavissima fragrantia cælestis odoris numquam percepta. *Refectis citò omnibus, clausum fuit armarium, nec sanguis tunc visus. Anno* 1661, *die prima Februarii, in gratiam equitis Melitensis, qui Religionis suæ legatus erat apud summum Pontificem, præsentibus cum eo multis nobilibus Gallis,* expositum est de more caput cum sanguine, qui, cùm du- *& expositiones extra tempora*

rus esset inventus, post medium horæ quadrantem liquefactus est cum omnium consolatione. *Die* x *Martii ejusdem anni expositio sanguinis rursum facta est in gratiam* Godefredi Societatis Jesu Belgæ, *Henschenii nimirum, cui aderat Papebrochius cum aliis pluribus, ut jam dictum est num.* 327. Factum est miraculum, quamvis inventus sit dictus glorioſus sanguis aliquantùm liquefactus. *Eodem rursum anno, die* xv *Junii, expositus est sanguis in gratiam* reverendi patris Generalis Patrum Capucinorum, natione Mediolanensis, *sanguisque inventus* liquefactus.

ordinaria facta

380 *Anno* 1662, *die* 1 *Januarii, quæ erat Dominica, cùm festivitatis gratiâ exponendum esset Sancti caput*; eaque occasione præsens esset gubernator civitatis Beneventanæ, cui ostensus est glorioſus sanguis; inventus est duriſſimus, ac deinde subitò liquefactus est in conspectu sanctiſſimi capitis, præsentibus multis nobilibus & populo, & cum summa devotione omnium videntium. *Eodem anno, die* VIII *Martii, expositus est sanguis in gratiam nobilis Angli*, inventusque est durus sanguis glorioſi sancti Januarii, & simul atque erat cum capite, liquefactus est subitò, præsentibus omnibus. *Rursum die* XX *Martii, cùm Neapoli degerent* multi domini nobiles Angli, Galli & Veneti, *in horum gratiam concessa est expositio sanguinis* S. Januarii, inventusque est congelatus, & in conspectu capitis subitò liquefactus est coram multis dominis & populo. *Anno* 1663, *cùm in festo Natalis Domini exponendum esset sacrum caput, visus etiam est sanguis, inventusque est* durus, *sed non collatus cum capite.*

coram capite,

381 *Anno* 1664, *die* XXIX *Januarii, in gratiam nobilium aliquot Mediolanensium facta est sanguinis coram capite expositio. Repertus autem est* du-

duriſſimus, *præſentibus etiam multis nobilibus Neapolitanis, multoque populo*, poſituſque ſupra altare majus Theſauri cum capite juxta ſolitum. Et dictus ſanguis non liquefiebat ſubitò, ſed ſtetit, antequam liquefieret, ultra ſpatium unius Miſſæ lectæ, quæ celebrabatur in dicto altari, & poſtea liquefactus eſt cum maxima lætitia & devotione omnium, qui relatum miraculum viderunt. *Eodem anno, die* v *Septembris, cùm comes de Pignoranda diſceſſurus eſſet Neapoli, deſideravit miraculum ſanguinis videre: ſed*, aperto armario, inventus eſt liquefactus in conſpectu multorum. *Eodem anno, die* xxvii *Novembris, conceſſa fuit collatio ſanguinis cum capite nobili viro peregrino, ſanguiſque* inventus durus, & ad conſpectum capitis liquefactus eſt.

382 *Anno* 1666, *die* xxiv *Januarii, cùm Neapoli eſſet ſereniſſimus princeps Maximilianus Philippus, frater Electoris Bavariæ, facta eſt collatio ſanguinis cum capite. Inventus autem eſt* durus, *& ſic omnibus oſtenſus. Deinde in altari è regione capitis poſitus*, manſit etiam durus memoratus ſanguis uſque ad Euangelium Miſſæ, quam ibi celebravit aliquis pater Jeſuita, confeſſarius dicti domini: obſervatuſque eo tempore à theſaurario dictus ſanguis, liquefactus eſt ſubitò in manibus ejus cum ſumma conſolatione omnium circumſtantium. *Eodem anno, die* xxv *Martii, ſanguis productus eſt in gratiam illuſtriſſimi domini Salviati, qui clericus erat cameræ Apoſtolicæ, inventuſque* durus, *in conſpectu capitis poſitus eſt, ibique* liquefactus, *non additur, utrùm ſtatim, an poſt aliquod intervallum. Eodem anno, die* xvii *Decembris, deſideravit ſacrum ſanguinem videre domina conjux excellentiſſimi domini proregis Petri de Aragonia, apertoque armario* inventus eſt

cum variis eventibus,

liquefactus, *cùm tamen pridie in feſto Patrocinii* durus *fuiſſet inventus.*

cùm ſanguis aliàs durus,

383 *Anno* 1667, *die* v *Aprilis, in gratiam vice-reginæ ducisſæ de Feria eductus fuit ſanguis*, duruſque inventus, ad conſpectum capitis liquefactus eſt, *præſentibus multis. Eodem menſe, die* XVI, *cùm diſceſſurus eſſet Neapoli dux Medinæ Sidoniæ, viſitavit ſanguinem, qui* repertus eſt congelatus; *ſed non dicitur è regione capitis poſitus. Eodem anno, die* XXVIII *Maii, rurſum ad videndum* S. Januarii *ſanguinem venit mox memorata vice-regina, conjux proregis Petri de Aragonia, apertoque armario ſanguis* repertus eſt congelatus, multiſque videntibus liquefactus eſt. *Tacetur hìc de capite, fortè oblivione exſcribentis. Die* VIII *Junii ejuſdem anni aperienda fuerunt capitis & ſanguinis armaria, quòd laudatus prorex pretioſis aulæis eadem ornare vellet interiùs & exteriùs, eaque de cauſa caput & ſanguis, qui* inventus *eſt* duriſſimus, *ſupra altare fuerunt poſita, ubi ſanguis* ad conſpectum capitis liquefactus eſt, præſentibus multis. *Rurſum eamdem ob cauſam aperta fuerunt armaria die* I *Septembris, ac die* XVIII *ejuſdem menſis, quando ſplendidus ille ornatus erat compoſitus, ipſiſque armariis fuit additus, depoſitis tam diu capite & ſanguine in aliis armariis. Sanguis autem utraque hac vice inventus eſt* liquefactus.

aliàs mollis,

384 *Anno* 1668, *die* v *Aprilis, in gratiam* aliquot patrum Jeſuitarum Hiſpanorum & aliarum nationum *facta eſt collatio ſanguinis cum capite*, ſanguiſque inventus durus, ad conſpectum capitis liquefactus eſt, præſentibus multis. *Eodem anno, die* XXV *Maii, unà cum prorege ad videndum* S. Januarii *ſanguinem venit excellentiſſimus dominus Vincentius Roſpigliosus, nepos Clementis Papæ IX, & pra-*

præfectus triremium Pontificiarum. Inventus *autem* eſt ſanguis mollis, & in conſpectu capitis liquefactus eſt. *Eodem anno, die* XVI *Novembris, tertiò venit jam bis laudata vice-regina ad intuendum S.* Januarii *ſanguinem. Sanguis* inventus eſt durus, & ad conſpectum capitis liquefactus eſt. *Hactenus datis expoſitionibus ſubſcripſerunt antè laudati* D. Laurentius de Alexandro & D. Januarius Lantero. *Deinde uſque ad annum* 1687 *ſolus legitur ſubſcriptus* D. Januarius Lantero ædituus. *Obſervare præterea poterit lector, ſanguinem ſæpe dici liquefactum* ad conſpectum capitis, *non addito ullo temporis intervallo. Suſpicor, eo loquendi modo ſubitam intelligi reſolutionem: quod tamen certò affirmare non auſim.*

385 *Anno* 1669, *die* VIII *Junii*, prorex cum conjuge multiſque peregrinis venit ad ſacellum Theſauri, ut Miſſæ Sacrificio adeſſet, ſacrumque* S. Januarii *ſanguinem cerneret.* Dictus ſanguis inventus eſt congelatus, & ad conſpectum capitis liquefactus, videntibus omnibus, qui aderant. *Puto hîc in apographo* Junium *pro* Januario *ſcriptum ex inadvertentia tranſcribentis, quia mox ſequitur factum Februarii. Præterea res dicitur contigiſſe* die Martis: *erat autem octava* Januarii *anno* 1669 *dies Martis, ut liquet ex littera Dominicali* F., *non item dies octava Junii. Eodem anno, die* XVIII *Februarii, ſanguis prolatus eſt in gratiam principis Poloni, qui in apographo ſcribitur* princeps d'Oſtrioih, *& cui aderant multi nobiles peregrini.* Inventus eſt glorioſus ſanguis congelatus, & ad conſpectum capitis liquefactus eſt. *Eodem anno, die* XIII *Martii, in gratiam principis cujuſdam Bohemiæ, qui non nominatur, oppoſitus eſt capiti ſuo ſacer ſanguis.* Inventus eſt dictus ſanguis durus, expoſituſque ſupra altare cum ſuo ſacrato capite, ſubitò

aliàs liquefactus
* Januarii, *opinor*

bitò liquefactus eſt in præſentia omnium circumſtantium. *Die* XV *ejuſdem menſis acceſſerunt ad idem prodigium videndum domina Mazzarini, uxor conneſtabilis Columna, ejuſque frater Averſæ dux, & abbas Columna cognatus. Sanguis autem* repertus eſt congelatus, expoſituſque ſuper altare cum capite glorioſi Sancti, liquefactus eſt totus, ad conſolationem prædictorum dominorum, aliorumque peregrinorum, qui præſentes fuerunt. *Hactenus ex Diario huc uſque integrè tranſcripto & ad nos miſſo.*

386 *Deinde vero ſolùm exſcripta fuerunt facta magis particularia, ex quibus ſimiliter extraordinarias in gratiam perſonarum expoſitiones huc transferam fideli compendio. Itaque anno* 1678, *die* XXII *Martii, cùm Neapolim veniſſet Cardinalis Portocarrero, ſanguis ejus gratiâ cum capite de more collatus eſt*, repertuſque durus *cum capite poſitus eſt ſuper altare, in quo ſtatim Miſſa fuit inchoata.* Finitâ Miſsâ, exemptus eſt ſanguis è tabernaculo, in quo ſtabat è regione capitis, liquefactuſque eſt, vidente domino Cardinali, *aliiſque multis. Anno* 1686, *die* XXII *Maii, cùm Neapoli eſſet ſereniſſimus Mantuæ dux, cupieretque videre ſanguinem* S. Januarii *in conſpectu capitis poſitum, ornatis magnificè ſacelli altaribus, apertum fuit armarium, ſanguiſque* inventus eſt durus, poſituſque dictus glorioſus ſanguis ſupra altare majus Theſauri è regione capitis, ubi celebrata eſt Miſſa ſingularis. Deinde ſumptus eſt dictus glorioſus ſanguis, liquefactuſque eſt, atque à memorato domino duce viſus eſt, oſculatuſque maxima cum voluptate & conſolatione.

ſit inventus;

387 *Anno* 1687, *die* XXVI *Januarii, ſimiliter ornatum fuit Theſauri ſacellum ob præſentiam ſereniſſimi ducis Mutinenſis, qui Sancti ſanguinem vide-*

videre deſiderabat. Aperta fuit glorioſi ſanguinis ædicula, repertuſque eſt liquefactus. Ubi poſitus fuit ſupra altare majus Theſauri, dictus dominus dux Miſſam audire voluit. Poſt finitam Miſſam dominus theſaurarius ſumpſit glorioſum ſanguinem, repertuſque tunc eſt induratus. Tunc dominus theſaurarius vicinum fecit vultui capitis S. Januarii, & liquefactus eſt. Hæc facta ſunt in conſpectu omnium circumſtantium, qui aderant ad videndum dictum miraculum. *Die* xxxi *ejuſdem menſis & anni eminentiſſimus Cardinalis Urſinus, (qui poſteà fuit Benedictus Papa XIII) deſideravit videre prodigioſum* S. Januarii *ſanguinem, idque obtinuit.* Apertum fuit armarium glorioſi ſanguinis, & inventus eſt ultra medium liquefactus; in medio tamen erat globus durus. Poſitus fuit ſuper altare majus dicti Theſauri, & dominus Cardinalis Urſinus celebravit Miſſam. Deinde rurſum conſideratus eſt glorioſus ſanguis, viſuſque eſt dictus globus magis liquefactus quàm erat antea: interque oſculandum, vertendumque ac invertendum liquefactus eſt quaſi totus. Huic miraculo interfuit frater domini ducis Mutinenſis. *Minùs clarè apparet miraculum in hoc facto, quàm in aliis paſſim omnibus. At dominus aduuus, qui hoc ultimum expoſuit, atque hìc deſinit in apographo noſtro, omnia candidè edixit; neque ego quidquam omittendum cenſeo præter ordinaria.*

aliàs ex liquido durus, aliàs citò ex duro liquidus

388 *Sequentibus ad annos plures ſubſcripſerunt* D. Franciſcus Andreas Riſpolo theſaurarius, & D. Franciſcus Antonius Valenſano ædituus. *Ex horum relatione ſunt reliqua extraordinaria. Anno* 1695, *die* 2 *Januarii, cùm Neapoli eſſet eminentiſſimus Cardinalis Ottobonus, quinque ſimul Cardinales venerunt ad honorandum ſacrum* S. Ja-

ſit effectus, aliàs poſt plures horas

nuarii *ſanguinem, nimirum prater Ottobonum Eminentiſſimi Del Judice, Caraſa Averſa epiſcopus, Cantelmus archiepiſcopus Neapolitanus, & Urſinus mox memoratus, Beneventanus archiepiſcopus. Sanguis* inventus eſt durus, poſituſque ſupra altare Theſauri è regione glorioſi capitis Sancti. Celebravit primam Miſſam dominus Cardinalis Urſinus, & ad ſecundam Miſſam lectam liquefactus eſt memoratus glorioſus ſanguis cum jubilo omnium. *Anno 1696, die XXI Junuarii, cùm Neapolim veniſſet illuſtriſſimus dominus Jacobus Drumont, comes de Perth in Scotia, qui multa paſſus erat pro fide Catholica, deſideravit videre ſanguinem* S. Januarii, *idque obtinuit.* Poſitus fuit glorioſus ſanguis durus ſupra altare majus Theſauri: & in conſpectu capitis, ubi duabus horis expoſitus fuerat, liquefactus eſt, celebratis interea temporis quinque Miſſæ ſacrificiis coram reliquiis expoſitis: fuitque dictus dominus maxima affectus voluptate, lacrymans præ teneritudine.

ſolùm ſit liquefactus.

389 *Anno 1702, die XVIII Aprilis*, cùm Neapolim veniſſet Philippus V Hiſpaniæ rex, acceſſit ad Theſaurum S. Januarii ad venerandum dictum ſanguinem, currente die tertia feſtivitatis Paſchalis: communique conſenſu archiepiſcopi Cardinalis Cantelmi & illuſtriſſimæ Deputationis, rogante dicto rege, expoſitus eſt ſanguis cum capite S. Januarii, & cum aliis ſanctorum patronorum reliquiis. Dictus ſanguis inventus eſt durus à domino archiepiſcopo Neapolitano, fuitque ſic durus portatus ſuper altare Theſauri ad conſpectum capitis Sancti, ac dominus rex, accepto funali in manu, dictum ſanguinem comitatus eſt. Dictæ ſunt quatuor Miſſæ, præſente rege memorato, nec liquefactus eſt ſanguis: qua de cauſa abiit. Ad ſextam verò Miſſam factum eſt ſangui-

nis

nis liqueſcentis miraculum. Poſtridie à prandio rediit memoratus dominus ad gratias Sancto agendas de miraculo poſt diſceſſum ſuum ſecuto. *Die* VII *Junii ejuſdem anni ſanguis demum extra conſueta tempora productus eſt in gratiam eminentiſſimi Cardinalis Barberini, qui erat legatus à latere Clementis Papæ XI apud regem. Sanguis* repertus eſt durus, & ad finem ſecundæ Miſſæ liquefactus eſt cum ſumma lætitia dicti domini Cardinalis à latere, aliorumque dominorum, qui eò accurrerant. *Hactenus de expoſitionibus extraordinariis in gratiam perſonarum illuſtrium, quæ deinde omnino fuerunt abrogatæ.*

390 *Reperiuntur & aliæ ſanguinis expoſitiones, ob neceſſitates publicas factæ extra tempus ordinarium, ſimiliter in Diario annotatæ. Mitto antiquiores, ex quibus celeberrima eſt ſupplicatio anni* 1631, *de cujus ſucceſſu actum eſt num.* 160 *& ſeqq. Scriptas in Diario breviter hùc transfero. Prima eſt anni* 1660, *quando* die Sabbati, III Julii, ad horam ferè ſecundam Italicam, *ſive veſperi duabus horis poſt occaſum ſolis, mons Veſuvius cœperat ſaxa ignita cineremque eructare adeo, ut Cardinalis archiepiſcopus cum dominis Deputatis Theſauri agere cœperit de exponendis capite & ſanguine* S. Januarii *ad publicas preces fundendas. Expoſitio revera facta eſt ſequenti Dominica, die* IV *Julii, ſanguiſque* repertus liquefactus, *non eo tantùm die, ſed etiam duobus ſequentibus. Nam expoſitio, cœpta die* IV *Julii* poſt prandium, *continuata eſt* per totam diem ſextam ejuſdem menſis, *concurritque Cardinalis archiepiſcopus, prorex, multuſque populus ad orandum, ſacraſque reliquias venerandas. Felix fuit ſucceſſus, etiamſi de eo nihil annotatum ſit in Diario; nam Falconius pag.* 514 *teſtatur, ſola reliquiarum Sancti expoſitione*

Sancti ſanguis anno 1660 *expoſitus ob ignitas Veſuvii eructationes*

in Theſauro promptè exauditas fuiſſe civium preces, eoſque imminenti periculo liberatos. *Errat tamen in die, dicens inchoatam eructationem* die Veneris IV Julii: *nam quarta Julii erat Dominica, & Diarium docet*, die III Julii, Sabbatoque *cœptam eructationem.*

& anno 1667 ob continuas pluvias cum æquè felici ſucceſſu.

391 *Altera ſimilis expoſitio per triduum facta legitur in Diario anno 1667, menſe Januario, ob continuas ferè* quatuor aut quinque menſium *pluvias, ex quibus multa terris ac hominibus oriebantur mala. Hac de cauſa decretum fuit communi conſilio proregis, nuntii Apoſtolici, qui archiepiſcopi defuncti obibat vices, ac Deputatorum Theſauri, ut exponerentur in Theſauro caput & ſanguis* S. Januarii *cum aliis ſanctorum patronorum reliquiis.* Et ecce, *inquiunt expoſitores ſubſcripti*, dum die XXX dicti menſis Januarii in memorata urbe eventuum relatorum confuſio omnium animos occupabat, ſimulac ſolùm ſuper altare comparebat ſacrum depoſitum dicti glorioſi Sancti, (cujus pretioſus ſanguis, cùm durus eſſet repertus, deinde ad conſpectum capitis ſui præſentibus multis, cum felici indicio prognoſtico liquefactus eſt) cœperunt ſubitò aufugere nubes, pluviæ ceſſare, ſerenari aër, ſolque reſplendens & clarus apparere, qui ſuis radiis, tamquam vicinæ gratiæ pignoribus, inſitam humanis frontibus triſtitiam in ſummam cœpit convertere lætitiam. Steterunt more ſolito dictæ ſacræ reliquiæ in memorato Theſauri ſacello per trium dierum ſpatium cum veneratione multa. *Expoſitis deinde piis exercitiis & precibus triduo illo in ſacello fuſis, ita concludunt:* Et jam tertio die viſum eſt tempus omnino ad tranquillitatem reductum: quo divina bonitas nobis oſtendit, quantas debeamus grates memorato Sancto glorioſo, inſigni benefactori noſtro, quia omnes gra-

gratiæ ejus interceſſione ſemper fuerunt conceſſæ. *Vel ſolus ſtylus, quo aliàs utuntur ſimpliciſſimo, inſinuat, auctores in admirationem raptos fuiſſe ob mutationem ſubitam, & ſenſa ſua candidè exprimere.*

Caput aliquot vicibus ſine ſanguine in conſpectum Veſuvii.

392 *Annotata quoque eſt in Diario pia ſupplicantium proceſſio ad conſpectum montis Veſuvii mirabiliter furentis, in qua anno* 1698, *die* VI *Junii portatum eſt* S. Januarii *caput ſine ſanguine. Verùm beneficium, ea proceſſione obtentum, jam ex ſcriptoribus contemporaneis relatum eſt num.* 163 *antequam Diarium mihi ad manum erat. Hoc tamen addi poteſt ad ibidem dicta, teſte Diario:* Et conſpectum eſt prodigiosè, quantùm procedebat agmen ſupplicantium, tantùm receſſiſſe denſas cinerum nubes à ſummitate montis Veſuvii. *Obſervo etiam, in Diario legi, archiepiſcopum monti benedixiſſe ſumpta ex altari effigie Crucifixi Domini, non capite* S. Januarii, *ut voluit Hieronymus de S. Anna, niſi fortè primum Crucifixo, deinde Sancti capite ſignum Crucis efformaverit. Manſit deinde ſacrum caput triduo expoſitum in Theſauro cum aliis reliquiis. Rurſum anno* 1701, *cùm Veſuvius ſub finem Junii* flammas fumumque cum bitumine liquido & ignito *evomere cœpiſſet, multiſque diebus pergeret vicinis locis ingentes inferre calamitates, ſimilis rurſum ordinata fuit ſupplicantium proceſſio per Eminentiſſimum Cardinalem Cantelmum archiepiſcopum, conſentientibus dominis Deputatis Theſauri, ad eccleſiam S. Catharinæ de Formello, circa quam foris in conſpectu montis altare erat erectum. Eò igitur rurſum portatum fuit* S. Januarii *caput: dataque monti benedictione, ut ſuprà,* ceſſavit ille eructare bitumen illud liquidum & ignitum cum omnium conſolatione, *inquiunt auctores ſubſcripti, qui etiam obſer-*

ſervant, adfuiſſe in erecto altari reliquias B. Jacobi de Marchia. Adjungunt deinde, etiam XXVI *Julii expoſitum fuiſſe* S. Januarii *caput in ſacello Theſauri ob indulgentias à Clemente Papa XI conceſſas viſitantibus cathedralem Neapolitanam.*

graviſſimè minitantis, feliciter delatum.

393 *Rurſum in Diario relata eſt ſupplicantium proceſſio, quando anno* 1707 *vehementiùs etiam, quàm præcedentibus annis, minabatur Veſuvius. Res tota jam relata eſt num.* 163 *&* 164 *ex ſcriptoribus, qui omnia videre potuerant, iiſque Diarium planè conſentit, confirmans denſiſſimas ex cinere tenebras, per quas agmen ſupplicantium cum capite* S. Januarii, *accenſo lumine, procedere cœpit verſus portam Capuanam, ſive eccleſiam S. Catharinæ de Formello: (nam loca ſunt ea vicina) ſubitamque aëris mutationem. Exiit agmen ſupplicantium die* 2 *Auguſti circa horam vigeſimam primam Italicam, id eſt, non totis tribus horis ante ſolis occaſum, & jam veſperi ſtellæ cernebantur in cœlo: dies verò ſequens erat ſerenus, ceſſabatque Veſuvii incendium. De nullis aliis reliquiis in ea ſupplicatione portatis fit mentio, præterquam de capite* S. Januarii. *Hactenus breviter narravi extraordinarias pretioſarum* S. Januarii *reliquiarum expoſitiones. Nunc breviori etiam compendio ordinarias ab anno* 1659 *uſque ad noſtra tempora ex laudato Diario perſtringam, ut ſtudioſus lector quaſlibet prodigioſi ſanguinis viciſſitudines meliùs habeat perſpectas.*

§ XXVIII.

§ XXVIII. Eventus varii in expoſitionibus ſanguinis S. Januarii per dies ſtatutos ab anno 1659.

Ab anno 1659 referuntur.

Primum oblidunum in Diario annotatum, inchoatum eſt die XIX *Septembris, quo celebratur Sancti martyrium, anni* 1659, *& eodem ferè tenore proceſſit. In ipſa feſtivitate ſanguis* inventus eſt liquefactus, collatuſque cum capite ſuo cœpit ebullire. *Sic* liquefactus *fuit repertus quinque ſequentibus diebus,* expoſituſque cum capite ebulliit ſubitò. *Septimo die dicitur* inventus mollis, *id eſt, nec liquefactus, nec omnino durus,* expoſituſque cum capite ſubitò liquefactus. *At rurſum ultimo die, ſive* XXVI *Septembris inventus eſt* liquidus, *ac deinde è regione capitis* ſubitò bulliit. *In feſto Patrocinii die* XVI *Decembris* inventus eſt dictus ſanguis durus, conjunctuſque cum capite liquefactus eſt. *Anno* 1660, *die* 1 *Maii, in Sabbato, quo ſanguis in proceſſione portandus erat ad ſedile Montaneæ, inventus eſt* quaſi durus, *& ad conſpectum capitis in dicto ſedili* liquefactus eſt. *Sequenti die rurſum* quaſi durus *fuit inventus, & in conſpectu capitis* ſubitò liquefactus. *Tertio die Maii dicitur inventus* tam durus, ut, fractâ etiam ampullâ, manſiſſet inſtar ferri, & ad conſpectum capitis ſupra altare liquefactus eſt. *Diebus quarto & quinto Maii eadem contigiſſe memorantur, ut die tertio. Die* VI *Maii rurſum* durus *inventus,* poſt Miſſam liquefactus eſt & bulliit, *præſente capite; quemadmodum etiam die ſequente. Die* VIII *Maii* duriſſimus *inventus eſt,*

poſituſque cum capite poſt Miſſam liquefactus eſt & bulliit. *Adfuerunt quotidie viri primarii, ſeculares & eccleſiaſtici. Quemadmodùm hîc novem diebus conſequentibus ſanguis inventus eſt durus, ac deinde liquefactus; ſic menſe Septembri ejuſdem anni per totum octiduum ſemper inventus eſt* liquefactus. *Contrà die* XVI *Decembris* repertus eſt durus imò duriſſimus, *ac deinde* ſubitò liquefactus.

diverſitates in ordinariis expoſitionibus

395 *Anno* 1661, *die* XXX *Aprilis, quo annua erat proceſſio ad ſedile, ſanguis* S. Januarii *inventus eſt* media parte liquefactus, *poſtridie ſive* I *Maii* omnino liquefactus, *die* 2 *Maii* inventus eſt duriſſimus, *ſtetitque unà cum capite in altari* durus ultra quadrantem horæ, deinde liquefactus eſt. *Die* III *Maii* inventus eſt congelatus, *nec plus additur. Die* IV *Maii repertus eſt* duriſſimus, & ad conſpectum capitis liquefactus eſt ſubitò, præſentibus multis nobilibus & Religioſis. *Die* V *Maii ſanguis inventus eſt* partim durus, partim liquefactus; *tribus verò diebus ſequentibus* inventus eſt liquefactus. *Sic* liquefactus *inventus eſt per totum octiduum feſtivitatis menſe Septembri. Die* XVI *Decembris ſanguis repertus eſt* congelatus, & ad conſpectum Sancti (*nimirum capitis*) liquefactus eſt media parte, & alia pars media permanſit dura. *Deinde portatus eſt* ad altare majus extra eccleſiam; ſub Miſſæ Sacrificio liquefacta eſt altera pars media, quæ erat dura.

obſervata

396 *Anno* 1662, *die* VI *Maii, de more ſanguis portatus eſt ad ſedile nobilium. Inventus autem eſt* durus, *& in ſedili* liquefactus eſt. *Sequenti die* VII *Maii*, partim liquefactus, partim durus *repertus eſt, die* VIII durus, *uti &* IX; *ſed* X *die Maii* partim liquefactus, *uti etiam quatuor diebus ſequentibus: omnibus verò diebus coram capite liquefactus dicitur. Menſe Septembri in feſtivitate die* XIX

inven-

inventus eſt ſanguis majori parte congelatus, & pars modica liquefacta; *ad conſpectum verò capitis* liquefactus eſt. *Septem ſequentibus diebus ſemper inventus eſt* liquidus. *Demum in feſto Patrocinii die* XVI *Decembris, ſanguis repertus eſt* duriſſimus, *ſed* poſtea liquefactus eſt. *Anno* 1663, *per novem dies menſis Maii aliis diebus ſanguis inventus eſt* durus *aut* duriſſimus, *aliis* liquefactus, *aliis* partim durus, partim liquefactus: *per totam verò Octavam Septembris inventus eſt* liquefactus. *De feſto Patrocinii in apographo noſtro nihil annotatum. Eadem ferè varietas ſanguinis reperitur in dictis Maii diebus anno* 1664. *In Octava Septembris quinque prioribus diebus rurſum inventus* liquefactus. *At die* XXIV *Septembris* parumper congelatus, *die* XXV durus, *& die* XXVI congelatus *dicitur inventus, ſed poſtmodùm* liquefactus. *Similiter* durus *inventus eſt die* XVI *Decembris, ac deinde* liquefactus.

397 *Anno* 1665 *per omnes novem feſtivitatis Maii dies* durus *aut* congelatus *inventus eſt, & in omnibus diebus deinde ad conſpectum capitis liquefactus, & quidem pleriſque* ſubitò. *At eo anno per Octavam Septembris quotidie inventus eſt* liquidus. *Contrà die* XVI *Decembris inventus eſt* duriſſimus, *ac deinde* ſubitò liquefactus eſt. *Anno* 1666, *menſe Maio per novem illos dies ſex prioribus inventus eſt aut* durus, *aut* duriſſimus, *aut* congelatus, *ſeptimo & nono* mollis, *octavo* quaſi liquefactus. *Liquefactio omnibus diebus ſecuta dicitur, excepto primo, ubi illud omiſſum eſt, fortè inadvertenter. Per Octavam Septembris inventus eſt quotidie* liquefactus, *excepto die* XXI *Septembris, quo inventus ex parte tantùm liquidus, ad conſpectum capitis ulteriùs liquefactus eſt. Die* XVI *Decembris ſanguis* durus *inventus eſt &* ad conſpectum capitis ſubitò factus eſt liquidus. *Anno* 1667, *menſe*

uſque ad annum 1669.

Maio, quotidie inventus durus, *excepto die primo Maii, quo repertus eſt* liquefactus. *Contrà per Octavam Septembris ſemper inventus eſt* liquefactus. *Die* XVI *Decembris* durus *repertus*, ad conſpectum (*capitis nimirum*) factus eſt liquidus. *Anno* 1668, *omnibus novem diebus menſe Maio ſanguis* congelatus, durus, *aut* duriſſimus *dicitur repertus, & quotidie ad præſentiam captitis* liquefactus. *Sic* congelatus *inventus eſt* XIX *Septembris*, & XXIII durus, *atque utroque die ad præſentiam capitis liquefactus; reliquis verò illius Octava diebus inventus eſt liquidus. Die* XVI *Decembris ſanguis* inventus eſt congelatus, ut plus haberet duri quàm liquidi, & ad conſpectum capitis liquefactus eſt. *Anno* 1669 *per omnes novem dies expoſitionis menſis Maii ſanguis repertus eſt* congelatus *aut* durus, *& quotidie, præſente capite, liquefactus.*

Anno 1678 *ſanguis duobus diebus non liquefactus;*

398 *Hactenus fidele compendium dedi Diarii, prout nobis exſcriptum eſt. Nunc verò, ne perpetua repetitiones lectori tadium pariant, ex iis, quæ ulteriùs habemus exſcripta, ſolùm pauca eaque rariora ſeligam. Huc uſque non inveni annotatum in Diario, ſanguinem per horas integras coram capite ſtetiſſe durum & immotum, licèt id factum noverimus ſeculo* XVI *per biennium. At in expoſitionibus menſis Maii anni* 1678 *legitur, ſacrum* S. Januarii *ſanguinem die* 2. *Maii non modò durum inventum, ſed expoſitum cum capite* circa horam undecimam Italicam *durum permanſiſſe uſque* ad horam Italicam vigeſimam primam & mediam, *& tunc demum liquefactum. Stetit igitur durus ultra decem horas. Attamen die* 1 *Maii & rurſum tertia ex duro liquidus citò fuit factus. Ad* IV *Maii hæc leguntur:* Apertum eſt armarium glorioſi ſanguinis S. Januarii, repertuſque eſt durus, expoſituſque eſt ſupra altare, & in conſpectu

ctu capitis horâ duodecimâ Italicâ, *id eſt, circa medium ſexta matutina*, & non eſt liquefactus, ac permanſit durus tota die, repoſituſque eſt in armarium non liquefactus cum ſumma triſtitia & dolore omnium fidelium, quæ erat multitudo magna dominorum nobilium & populi. *Rurſum die* v *Maii* durus *inventus ſacer ſanguis, de more expoſitus fuit cum capite ſupra altare, ſed* non liquefactus. *Hac de cauſa ſtipe magna in pauperes eroganda, multis Miſſa ſacrificiis, aliiſque exercitiis Deum placare ſtuduerunt Neapolitani. Attamen, ubi ſteterat in altari uſque in ſeram veſperam,* durus *in armarium repoſitus eſt,* illudque clauſum maximo cum dolore civitatis.

399 *Sequenti die* VI *Maii eâdem horâ expoſitus fuit ſanguis* durus, & non eſt liquefactus, *nimirum ordinaria velocitate*, ut in dolore eſſet tota civitas. Omnes Religioſi ſe conferebant ad dictum Theſaurum, Miſſæque celebrabantur ac preces fundebantur: & omnes novitii communicârunt. Et dum oſculandus exhibebatur ingenti perſonarum multitudini glorioſus ſanguis, in manu domini theſaurarii liquefactus eſt ad horam decimam tertiam & mediam (*id eſt, horâ & mediâ poſt expoſitionem*) ut omnis civitas lætitiâ exſultaret. Venit eo die dominus prorex ad venerandum Sanctum. Deinde eodem die ad horam decimam nonam & mediam inventus eſt durus, manſitque durus mediâ circiter horâ, & poſtea liquefactus eſt. *Indurueri verisimiliter horâ meridianâ, quando velum erat oppoſitum, ut fieri ſolere in Octava menſis Maii, dictum eſt num.* 372. *Certè decima nona & media Italica ferè concurrit die* VI *Maii cum prima pomeridiana. Die* VII *Maii ſanguis* durus *inventus, ubi expoſitus fuerat cum capite, poſt horam & hora circiter quadran-*

aliis verò diebus ſoliùs tardiùs ſolutus eſt:

drantem liquefactus *eſt, ſive quadrante poſt horam decimam tertiam Italicam. Additur:* Deinde per diem liquefactus eſt ſpatio unius Miſerere; *veriſimiliter poſtquam iterum indurnerat in meridie, quamvis hoc non exponatur. Die* VIII *Maii expoſitus eſt ſanguis* durus *ad duodecimam & mediam Italicam, & poſt horam* liquefactus *dicitur. Per diem (veriſimiliter in meridie)* induruit, & circitèr horæ quadrante *ſic manſit*, ac deinde liquefactus eſt. *Erat ille dies Dominicus & ultimus feſtivitatis.*

anno 1682 ſerius & non perfectè liquefactus eſt:

400 *Anno* 1682, *die* XVI *Decembris, Sancti ſanguis diu etiam perſtitit* durus, *ſicut manè fuerat inventus: nam tantùm* cœpit liqueſcere circa quadrantem poſt vigeſimam ſecundam Italicam, *& non fuit integrè liquefactus*; ſed in dicto ſanguine erant aliquot partes ſanguinis duri, & ſic repoſitus eſt in armarium.

anno 1683 eodem die non eſt liquefactus. Aliæ mutationes,

401 *Aliud accidit anno* 1683, *quod admirationem peperit. Nam ad diem* III *Maii obſervatur, ſanguinem fuiſſe durum inventum à theſaurario poſt prandium, ampullamque majorem, quæ paulò ultra medium impleta ſolet eſſe, dum ſanguis eſt durus, plenior verò, dum eſt liquefactus*, ita tunc plenam fuiſſe inventam, acſi fuiſſet liquefactus, & tamen durus fuit perceptus. *Die* IX *Maii ſacer ſanguis ex duro liquidus fuit factus* poſt lectas duas Miſſas. *Anno* 1684, *die* XVI *Decembris, ſanguis tota die* durus *permanſit*, guttaque aliqua ſanguinis movebatur ſupra durum ſanguinem. *Anno* 1694, *die Sabbati*, XXV *Septembris, ſanguis* S. Januarii *inventus fuit* durus, *& ſic oſtenſus aliquot nobilibus & piis perſonis*, & quia diebus præcedentibus illius Octavæ liquefactus fuerat, priuſquam collocaretur in ſuo tabernaculo, & quia inter reponendum percipiebat (*theſaurarius*,) jam

cœ-

cœpiſſe liquefieri, ubi deinde ceperat caput, illudque depoſuerat ad cornu Evangelii è regione ſanguinis, venit viſurus, an peractum eſſet miraculum, ſanguinemque invenit perfectè induratum, ut multùm obſtupeſceret. Deinde paulò pòſt liquefactus eſt cum conſolatione circumſtantium.

402 *Anno* 1701, *die* xx *Septembris, obſervatur, ſanguinem fuiſſe liquefactum in manibus theſaurarii, antequam capiti opponeretur:* at deinde ad horam decimam octavam Italicam (*id eſt mediâ ferè horâ ante meridiem*) *rurſum* fuiſſe induratum, & *iterum* poſt mediam horam liquefactum. *Additur:* Nocte ſequente orta eſt ſeditio civitatis. *Rurſum die* xxiv *Septembris, ſanguis inventus eſt* durus, *oppoſituſque capiti* ſubitò eſt liquefactus. Per diem induruit, cúmque veniſſet archiepiſcopus ad preces coram Sancto fundendas poſt mediam orationis horam ſumpſit manibus ſuis ſanguinem & liquefactus eſt. Erat eo tempore conflictus in civitate, & veſperi quadrante ante horam vigeſimam tertiam ſedatus eſt tumultus per miraculum Sancti, qui illum ſedavit. *Falconius pag.* 518 *conſentit de ſedato velociter bello illo inteſtino, quod* xxii *inchoatum &* xxiv *ſublatum dicit, illud ſimiliter attribuens patrocinio* S. Januarii, *ut liqueat ex conſenſu duorum eo tempore viventium & ſcribentium fuiſſe illam Neapolitanorum piam opinionem, eamque ex perpetuo Sancti patrocinio conceptam non ſine fundamento. Errat tamen Falconius in diebus hebdomadæ: nam dies* xxiv *Septembris anno* 1701 *non erat Dominica ut ille ſcribit, ſed Sabbatum, ut rectè notatur in Diario. Anno* 1702, *die* xvi *Decembris, non eſt liquefactus toto die* S. Januarii *ſanguis, ſed obſervata eſt gutta ſupra durum ſanguinem currens, ut factum eſt, eodem die anni* 1684.

eæque admodum mirabiles.

Novæ ſanguinis mutationes anno 1709.

403 *Anno* 1709, *menſe Maio iterum novi aliquid obſervatum fuit in ſanguine* S. Januarii, *qui ex duro liquidus ſubitò factus eſt coram capite* XII *Maii. At hoc novum non erat, ſed quod ibidem ſequitur, his verbis relatum:* Verùm in tota hac Octava (*cujus erat ultima dies*) novitas aliqua fuit, id eſt, incrementum aliquod ſanguinis, ut tota ampulla dicto ſanguine videretur plena cum quadam turbatione, ob quam exſpectatur exitus rei, quæ fuerit ſignificata. *Iidem poſtea addiderunt:* Obſervatur, deinde fuiſſe aliqua præludia tumultuum popularium propter nova aliqua tributa, quæ adminiſtri regii voluerunt imponere, uti etiam ob turbas aliquas causâ ſancti Officii.

plureſque anno 1710:

404 *Anno* 1710, *menſe Maio, nova rurſum acciderunt. Nam die* VIII *Maii, ubi ſanguis, qui* durus *reperiebatur*, poſt unam Miſſam *fuerat* liquefactus, per diem deinde annexuit ſe ampullæ uſque ad ſummum, & ſic veſperi fuit repoſitus in armarium ſuum cum timore omnium. *Poſtridie* IX *Maii* ſanguis fuit inventus, ſicut erat repoſitus, nimirum ut attingeret ſummitatem ampullæ durus. Poſt quinque horas obſervatum eſt, in medio liquidum eſſe, etiamſi reliquum ſanguinis annexum eſſet ampullæ. Poſt aliquod tempus rurſum induruit, & ſic repoſitus eſt in armarium. *Die* X *Maii ſanguis* repertus eſt durus, & poſt duas horas liquefactus eſt. Poſt ſpatium trium rurſum indureſcere cœpit, ſtans durus, ut die præcedente, uſque ad verticem dictæ ampullæ. Poſt aliquot tempus indicium dabat, acſi foret liquefaciendus, nec tamen liquefactus eſt, tota ampulla manente plena. Ad Theſaurum venit illuſtriſſimus dominus Cardinalis Pignatellus mane & veſperi, ut ſermonem haberet ad populum, & initium dedit miſſioni. *Demum die* XI *Maii, quâ claudebatur feſtivi-*

ſtivitas, ſanguis rurſum inventus eſt durus, durusque veſperi repoſitus, cum ingenti terrore ac pavore civitatis, eoque idcirco majore, quòd color ſanguinis niger eſſet & cinereus. Unde populus, civitas ac regnum inſignia pœnitentiæ dedit indicia. *De hiſce multò plura Falconius pag.* 120, *aliique jam adducti num.* 369 *&* 370; *ubi etiam obſervatum eſt, ſanguinem ſic rurſum inventum die* XIX *Septembris, ac deinde ad priſtinum ſtatum rediiſſe.*

405 *Anno* 1717, *die* XVI *Decembris, ſanguis ex duro factus eſt liquidus ad ſecundam Miſſam. Sed aliquid novi ante liquefactionem obſervatum eſt, nimirum* quòd oriretur exhalatio inſtar nubeculæ uſque ad verticem ampullæ. *Anno* 1725, *die* XXIV *Septembris, ſanguis inventus durus*, ad præſentiam capitis ſubitò liquefactus eſt, *cum hac tamen novitate*, quòd tribus aut quatuor vicibus dictus ſanguis liquidus circumiret, ampulla ſtante immota. *Anno* 1748, *menſe Maio, plures fuerunt ſanguinis varietates. Die* 2 *Maii, ex duro factus erat liquidus* poſt quinque horæ minuta; *veſperi tamen repoſitus eſt* cum duro ſanguinis globo. *Die* III *Maii liquefactus eſt, antequam opponeretur capiti. Die* VI *Maii* cœpit excreſcere nonnihil. *Die* VII *Maii ex duro* poſt ſexdecim minuta *factus eſt liquidus.* Per diem ita excrevit, ut nullum ſupereſſet *in ampulla* vacuum, *& ſic plena ampulla fuit repoſita. Die* VIII *Maii ſanguis inventus durus, & ampulla plena, plenaque fuit veſperi repoſita. Die* IX *rurſum plena inventa eſt ampulla, & veſperi repoſita aquè plena. Idem contigit duobus diebus ſequentibus, ut terror occupâſſet animos Neapolitanorum.* *aliâ anno 1717, aliæque*

406 *Ultimo feſtivitatis die* XII *Maii rurſum inventa eſt ampulla plena*, erant in ſanguine duo colo- *terrorem incutientes anno 1748:*

res, nimirum pars erat coloris cinerei, pars nigri, *idemque conſpectum etiam fuerat diebus quatuor præcedentibus*, dictiſque diebus non eſt mane cantatum, TE DEUM LAUDAMUS. *Venerunt rex & archiepiſcopus Cardinalis ad venerandum ſacrum ſanguinem & preces fundendas, ſed ſanguis manſit in eodem ſtatu uſque ad veſperam. Tandem ad horam vigeſimam tertiam & mediam, id eſt, circa occaſum ſolis, venit P. Gregorius Neapolitanus, Ordinis Capucinorum, qui, obtentâ licentiâ concionandi in ſacello Theſauri, fervida oratione omnium animos ad pœnitentiam excitavit, multaſque audientium oculis excuſſit lacrymas.* Deinde cœpit recitare Litanias ſanctiſſimæ Virginis, rogavitque initio, ut ſanguis obſervaretur, qui deſcenderat. *Itaque unus ex dominis Theſauri ſacellanis, facta obſervatione*, invenit, *ſanguinem* deſcendiſſe ſpatio modici digiti, atque undique moveri in gyrum, non relicto etiam colore illo cinereo, ſed reſumpto colore proprio. Deinde egreſſus eſt illuſtriſſimus dominus theſaurarius, & inchoavit hymnum, TE DEUM LAUDAMUS, *&c.* Veſperi repoſitus eſt (*ſanguis*) in ſuum armarium, relicto (*in ampulla*) ſpatio vacuo unius digiti, quod parùm aberat ab ordinario.

aliæ varietates anni 1749,

407 *Sequenti anno 1749, menſe Maio, rurſum* S. Januarii *ſanguis non fuit ita ſolutus integrè, ut votis Neapolitanorum prorſus ſatisfecerit. In Sabbato, quo fuit ordinaria cum ſanguine proceſſio ad ſedile, die* III *Maii, ex duro* poſt quinque minuta *factus eſt liquidus, ſed* relicta portione dura, *quacum veſperi repoſitus eſt. Die* IV *Maii inventus eſt, prout pridie fuerat repoſitus; veſperi verò recluſus eſt* cum modiciſſima portione dura, & modicè aſcenderat. *Die* V *Maii* durus *inventus eſt, & coram capite* poſt decem minuta liquefactus, *ſed*

ſed veſperi eò uſque aſcenderat, ut ſpatium vacuum ſupereſſet modici digiti. *Die* VI *rurſum ex duro factus eſt liquidus, ſed per diem ſic aſcendit, ut* veſperi ampulla eſſet omnino plena. *Sic plena inventa eſt quinque diebus ſequentibus, & ſemper veſperi repoſita ſine ullo motu*, cum ſumma affliction omnium, *ut ultimo die legitur. Omiſſus etiam ea de cauſa fuit omnibus iſtis diebus hymnus*, Te Deum laudamus.

408 *Anno* 1750 *ſacer* S. Januarii *ſanguis nihilo magis implevit vota Neapolitanorum. Nam in Sabbato ante primam Maii Dominicam, ſanguis inventus eſt ſolutus* cum portione dura, *& ſic veſperi repoſitus. Poſtridie* III *Maii cum eodem globo duro inventus eſt; ſed* veſperi repoſitus pulcherrimus, *ut videatur fuiſſe totus liquefactus, etſi hoc non dicatur in Diario. Die* IV *ex duro invento* poſt horæ quadrantem liquefactus eſt, *ſed veſperi nonnihil aſcendere cœperat. Die* V *Maii rurſum liquefactus* poſt novem minuta, *ſed magis aſcendit, ut veſperi* modiciſſimum *ſupereſſet ſpatii* vacui *in ampulla. Die* VI *Maii ex duro ſimiliter factus eſt liquidus, ſed ampulla fuit tota plena, manſitque plena ſine ullo motu non eo ſolùm die, ſed omnibus etiam quatuor ſequentibus, quibus omiſſum eſt* Te Deum *&c*; quod *videri non potuiſſet* liquefactio glorioſi ſanguinis S. Januarii, *ut legitur ad poſtremum feſtivitatis diem.* *& anni 1750:*

409 *Mitto varietates anni* 1751, *cùm ferè eadem ſint cum jam relatis. An ſimilia iterum contigerint annis* 1752 *&* 1753, *edicere nequeo, cùm de illis annis nihil mihi fuerit communicatum ex Diario. Verùm anno* 1754 *iterum ſimilis ferè fuit eventus, ut habeo ex litteris R. P. Paſchalis de Matthais S. J., rectoris collegii Neapolitani, qui poſteriorum expoſitionum eventus ex Diario mihi* *obſervata anno* 1754, *menſe Maio*,

perſcripſit. *In litteris autem datis* XX *Octobris anni* 1754, *in quibus percurrit Octavam menſis Septembris, de Octava Maii hæc monet:* Præmonendum eſt tamen, ſacrum cruorem in octiduo Tranſlationis menſe Maio excreſcere cœpiſſe die tertia; tum quartâ oppleviſſe omnino ampullam, ita ut fluor nullus diſcerni poſſet; eoque modo ultima die octidui repoſitum eſſe in armario. *Tum ad octiduum Septembris pergit, ita ſcribens Latinè.*

& Septembri:

410 Itaque menſe proximo Septembris, die B. Januarii ſacra (XIX *Septembris*) eductus eſt ex armario cruor ita prorſus, uti menſe Maio ibi repoſitus fuerat, plenâ undique ampullâ adeo, ut, duruſne an liquidus eſſet, omnino ignoraretur. Sic perſtitit pluribus horis, dum plures Miſſæ celebratæ ſunt, populique affluentis oſculis cruor exhibitus eſt. In ſolemni Miſſa Eminentiſſimi archiepiſcopi, dum hymnus GLORIA caneretur, cœpit deſidere tantiſper, ita ut, motâ ampullâ, fluere circùm cruor videretur. Sub horam XXI (*Italicam, id eſt, poſt tertiam pomeridianam*) reſidit paulò magis: ac ſub veſperam ſpatio unius digiti vacua viſebatur ampulla, ſanguine penitus liquido. Sequentibus diebus durus eductus eſt ex armario ſanguis, ac paulò poſt in altari liquatus eſt; nempe die 2 intervallo minutorum quinquaginta, die III minutorum ſeptemdecim, die IV minutorum ſeptemdecim, die V minutorum triginta duorum, die VI minutorum triginta duorum, die VII minutorum viginti novem, die VIII minutorum novemdecim. Hæc ex Ephimeride ſacelli ſacri Theſauri.

item anno 1755,

411 *In litteris ad me datis die* XVII *Maii anni* 1755 *de iis, quæ in feſtivitate Tranſlationis eodem menſe contigerant, ex Diario ipſa verba Italica exſcripſit laudatus Pater. Hæc autem Latinè huc transfero:* In Sabbato, III Maii, pervigilio Tranſlationis, aper-

apertum eſt armarium glorioſi ſanguinis. Fuit repertus durus cum ſolito ſpatio vacuo, portatuſque ad ſedile, è regione capitis poſt ſeptem minuta liquefactus eſt, manente globulo duro in medio; & ſic veſperi repoſitus eſt. Dominica die IV Maii, inventus eſt durus, & ante collationem cum capite poſt altare liquefactus eſt. Veſperi repoſitus eſt paulò altior. Die Lunæ V Maii, inventus eſt durus, & poſt unum & quadraginta minuta liquefactus eſt: veſperi repoſitus eſt pulcherrimus. Die Martis, VI Maii, repertus eſt durus, & poſt quinque minuta liquefactus eſt: per diem modicè aſcendit; & veſperi repoſitus eſt cum ſpatio vacuo modici digiti. Die Mercurii, VII Maii, repertus eſt durus, & poſt quatuordecim minuta liquefactus eſt: veſperi repoſitus cum modico ſpatio vacuo. Die Jovis, VIII Maii, inventus eſt durus, & poſt tria minuta liquefactus eſt: veſperi repoſitus eſt cum modico ſpatio vacuo. Die Veneris, IX Maii, inventus eſt durus, & poſt triginta quatuor minuta liquefactus eſt: veſperi repoſitus eſt cum modico ſpatio vacuo. Sabbato, X Maii, fuit inventus durus: poſt triginta minuta liquefactus eſt, manente exiguo ſpatio vacuo. Per diem cœpit aliquantulùm deſcendere: veſperi repoſitus eſt cum ſpatio vacuo unius digiti. Dominicâ, XI Maii, inventus fuit durus: poſt quinque minuta liquefactus eſt, deſcendens iterum aliquantulùm: veſperi repoſitus eſt cum ſpatio vacuo quaſi ordinario unius digiti & medii. *Hactenus Diarium, quod ad verbum volui Latinum facere, ne vitatis quidem earumdem vocum repetitionibus.*

412 *Addo demum eventus octidui Tranſlationis hujus anni* 1756, *quo hæc ſcribo, prout laudatus Pater de Matthæis illos mihi ex Diario ver-* atque anno 1756, mense Majo:

bis Latinis perſcripſit in litteris XVII *Maii ad me Neapoli datis.* Die prima Maii à meridie ex armario ſanguis prodiit ſemiſolutus, globo ſanguineo dureſcente in liquoris medio. Vacua erat ampulla digito & ſemis. Delatus ad ſedile, globus ex parte, non omnino ſolutus eſt. Ita in armarium veſperi eſt repoſitus. Die 2 Maii Dominica, eductus ex armario ita, uti repoſitus erat, & expoſitus venerationi: poſt elapſam horam liquatus eſt omnino: & ita repoſitus. Die III Maii, durus prodiit: ſolutus eſt poſt minuta triginta ſeptem. Die IV Maii, prodiit item durus: ſolutus eſt poſt minuta octodecim. Die V Maii, durus eductus, poſt minuta viginti liquatus, ſub veſperum cœpit excreſcere. Die VI Maii, durus prodiit: liquatus poſt minuta quinque; ſub veſperum ita excrevit, ut minimum eſſet vacui. Die VII Maii, durus educitur, poſt minuta quadraginta ſolvitur, veſperi ita exponitur, ut vacui ſupereſſet nihil. Die VIII Maii, plena prodiit ampulla, eaque permanſit die toto. Die IX Maii, ampulla educitur plena: ita perſtat uſque ad horam Italam vigeſimam tertiam cum dimidia (*id eſt, ferè uſque ad occaſum ſolis*) ac deinde decrevit ſanguis digitum unum; ac ſenſim, donec repoſitus eſt in armarium, ſpatio horæ alterius decrevit ad ſeſquidigitum, eo prorſus pacto, quo prima die eductus ex armario fuerat.

§ XXIX.

§ XXIX. Oſtenditur luculentiſſimis teſtimoniis gratiam miraculorum perſeverâſſe in Eccleſia: inauditæ calumniæ Joannis Clerici id impudenter negantis.

Miracula ſanguinis S. Januarii nonnulli negant:

QUæ hactenus relata ſunt de liqueſcente aut ebulliente S. Januarii *ſanguine, non relinquunt locum prudenter dubitandi, quin ordinem naturæ ſuperent mirabilia illa, quæ pluribus ſeculis in ſanguine illo contigerunt, eâque ratione divinæ potentiæ ſint attribuenda, ac pro veris miraculis habenda. Exiſtimo, hanc eſſe ſententiam omnium Catholicorum, qui ſpectantia ad* S. Januarii *ſanguinem benè habuerunt perſpecta, omnibuſque ritè examinatis, maturum tulerunt judicium. Attamen non defuerunt complures heterodoxi, qui negare voluerunt, in liqueſcente* S. Januarii *ſanguine aliquid reperiri, quod vim naturæ ſuperet. Inter ipſos quoque Catholicos non deerunt, opinor, qui de miraculo ſaltem dubitant, quòd omnia ad ſacrum ſanguinem pertinentia non ſatis habeant perſpecta; nec umquam examinaverint, quanta ſit cautela in conſervando ſacro ſanguine, quanta diligentia in omnibus ejus mutationibus obſervandis, quanta in omnibus ejus effectibus annotandis religio. Multò tamen plures erunt inter illos, qui nomine quidem gaudent Catholicorum, ſed arrogantiâ pluſquam philoſophicâ de omnibus Scepticorum more dubi-*

dubitare ſolent, ſeque eo ipſo ſapientiores videri credunt, quòd omnia ordinem naturæ ſuperantia ad cauſas naturales referant, quòd miracula ferè omnia pro figmentis irrideant, quòd ſtolidâ audaciâ de rebus planè ſibi incompertis differere audeant, & ſaltem generalia aliqua dicta, quantumvis ad rem propoſitam vix pertinentiâ, proferre noverint.

hoc mirari non debemus, cùm Chriſti etiam miracula

414 *Jam verò ſi leviter ſolùm attendamus ad miracula clariſſima Chriſti Domini, conſideremuſque, quàm diverſa de iis fuerint Judæorum judicia, nequaquam mirabimur, prodigia* S. Januarii *ſuis quoque hoſtibus & cenſoribus non carere.* Oblatus eſt ei (*Domino*) dæmonium habens cæcus & mutus, & curavit eum, ita ut loqueretur & videret. *Quid ad hoc factum, quod negare non poterant, Phariſæi?* Hic non ejicit dæmones, *inquiunt*, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum. *Si manifeſtiſſimum Chriſti miraculum tam enormi calumnia impetere auſi ſunt Phariſæi, quomodo mirabimur, prodigia ſanguinis* S. Januarii, *quantumvis clara ac manifeſta, minùs tamen certa miraculis Chriſti, calumniis patere heterodoxorum, cùm hi videant ejuſmodi miracula fieri in Eccleſia Catholica, non item apud Lutheri aut Calvini ſectatores? Erubeſcebant ob miracula Chriſti, cui petulanter ſe opponebant, Phariſæi, aliique Judæi increduli. Erubeſcunt ſimiliter heterodoxi, cùm audiunt miracula patrari apud Catholicos. Hac de cauſa utrique ſectatoribus ſuis perſuadere conati ſunt, non eſſe credibilia aut vera illa miracula.*

mirâ impudentiâ negare aut obſcurare

415 *Quantum non laborârunt perverſi homines Joan. 9, quando Chriſtus aperuerat oculos cæci nati, ut miraculum obſcurarent. Primò* ℣ 16 dicebant... ex Phariſæis quidam: Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit. *Mox, retusâ hac blaſphemiâ,* ℣ 18: Non crediderunt ergo

ergo Judæi de illo, quia cæcus fuiſſet & vidiſſet, donec vocaverunt parentes ejus. *Ubi verò priſtina ejus cæcitas à parentibus erat confirmata, iterum convertuntur ad illuminatum, eumque* ℣ 24 *ſic alloquuntur*: Da gloriam Deo: nos ſcimus, quia hic homo (*Chriſtus*) peccator eſt. *Rejectâ ac refutatâ calumniâ per cæcum illuminatum, in hunc tandem invehuntur* ℣ 34 *his verbis*: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et ejecerunt eum foràs, *nimirum extra ſynagogam. Perverſiſſimi homines, ne agnoſcant miraculum, non dubitant Jeſum traducere ut Sabbati violatorem & peccatorem, hominemque innocentem, quia vera conſtanter fatebatur, ſynagogâ ejiciunt. Attamen non eſt veriſimile, Phariſæos ignorâſſe, multa alia miracula à Jeſu fuiſſe patrata, antequam cæcum illum viſu donaret. Nam Joannis* XI ℣ 47 collegerunt pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic Homo multa ſigna facit? *Eaque de cauſa ad mortem ei machinandam conjurârunt. Noverant igitur Jeſu miracula, dum erant in ſynagoga malignantium, ut eum perderent: eadem verò ignorare ſe ſimulabant coram populo, ne numerus diſcipulorum Jeſu augeretur.*

416 *Nec modò, quamdiu vixit Jeſus, miracula ejus voluerunt obſcurare; ſed idem erat eorum conſilium poſt mortem Domini. Cùm enim* claudus ex utero matris ſuæ *Act.* 3 *ſanatus eſſet à S. Petro* in nomine Jeſu Chriſti Nazareni; *principes Judæorum Act.* 4 *manus injecerunt in SS. Petrum & Joannem; cúmque hi liberè profiterentur*, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Nazareni *claudum fuiſſe erectum; miraculum, quod publicè Hieroſolymæ factum erat, negare quidem non potuerunt; miraculi tamen notitiam populo ſubtrahere voluerunt, & ℣ 16 inter ſe ita loquuntur*: Quid faciemus homi- *conati ſint increduli Judæi.*

nibus istis ? Quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Jerusalem: manifestum est, & non possumus negare. Sed ne ampliùs divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultrà loquantur in nomine hoc ulli hominum. *Hoc modo veritatem omnibus cognitam suffocare conati sunt Judæorum principes & sacerdotes.*

Miracula in Ecclesia fieri solita Chrysostomus,

417 *Ex dictis colliget studiosus lector, quos duces habeant heterodoxi posteriorum seculorum, qui contra apertissimas Christi promissiones, contra manifesta sanctorum Patrum testimonia, contra experientiam omnium seculorum, sustinere impudenter præsumunt, gratiam miraculorum desiisse post Apostolorum tempora. Henricum Savilium, qui ex Chrysostomo, nullis tamen allatis Chrysostomi verbis, asserebat,* sanationum χάρισμα *Chrysostomi* ætate, & aliquot antè seculis desiisse, *ipsis Chrysostomi verbis refutavi tom.* IV *Septembris pag. 669. Ait de miraculis laudatus pater :* Quæ in diem usque hodiernum fiunt. *Ait :* Multa autem videri possunt & privatim, & in domo, & in civitatibus facta miracula. *Ait de Deo :* Non destitit per omnem generationem facere miracula, & per res admirabiles excitare crassiores. *Hac pluraque alia ad hoc propositum Chrysostomus tom.* 5 *Operum editionis postremæ pag.* 271, *ut nullum possit esse dubium, quin crediderit, miracula fuisse semper continuata in Ecclesia, nec alia solùm, sed etiam sanationes infirmorum divinitus impetratas, ut verbis ipsius ostendi.*

Athanasius, Nazianzenus, Basilius testantur.

418 *De continuatione miraculorum in Ecclesia non alia est mens S. Athanasii, ut liquet ex Vita S. Antonii, per ipsum conscripta, in qua refert non pauca, dicti Sancti patrocinio patrata. S. Gregorius Nazianzenus varia variis locis narrat miracula & Orat.* 3 *pag.* 76 *de martyribus i-*

10

ta loquitur: A quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur: quorum apparitiones & prædictiones: quorum vel ſola corpora idem poſſunt, quod animæ ſanctæ, ſive tangantur, ſive honorentur: quorum vel ſolæ ſanguinis guttæ, atque exigua paſſionis ſigna idem poſſunt, quod corpora. *Amicus Nazianzeni Baſilius Magnus de miraculis item multis locis teſtimonia ſubminiſtrat varia. Mitto alia, atque unum affero locum de S. Gregorio Thaumaturgo, quem pluribus laudat lib. de Spiritu ſancto cap. 29, ubi de eo hac habet:* Ille & fluminum aquas in diverſum vertit, præcipiens illis in magno nomine Chriſti, & paludem exſiccavit, belli cauſam præbentem fratribus avaris ... Sed omnino perlongum fuerit viri percenſere miracula, qui propter donorum excellentiam, quæ in ipſo operabatur Spiritus in omni virtute & ſignis ac prodigiis, ab ipſis veritatis hoſtibus alter Moyſes appellabatur.

S. Ambroſius narrat miracula coram populo patrata,

419 *Non adducam brevitatis gratiâ alios Patres Græcos, contentus teſtimonium dediſſe quatuor illorum, qui doctrinâ & auctoritate ſunt præcipui. Lubet ſimiliter ex Latinis quatuor dumtaxat principes doctores allegare. S. Ambroſius in Epiſtola ad ſororem, quæ 22 eſt editionis poſtremæ, refert inventionem corporum SS. Gervaſii & Protaſii martyrum, duoſque ſermones ea occaſione ad populum habitos, atque ita de inventione loquitur:* Inveni ſigna convenientia... Sic ſancti martyres emineré cœperunt, ut adhuc nobis ſilentibus arriperetur urna, & ſterneretur prona ad locum ſancti ſepulchri. Invenimus miræ magnitudinis viros duos ut priſca ætas ferebat: oſſa omnia integra, ſanguinis plurimum (*veriſimiliter in ampullis:*) Ingens concurſus populi per totum illud biduum. Quid multa? Condivimus integra ad ordinem:

tranſtulimus veſpere jam incumbente ad baſilicam Fauſtæ : ibi vigiliæ tota nocte, manûs impoſitio. Sequenti die tranſtulimus ea in baſilicam, quam appellant Ambroſianam. Dum transferimus, cæcus ſanatus eſt. Talis mihi ad populum fuit Sermo. *Hæc breviſſimè Ambroſius ad ſororem, qua plura legere poterat in adjuncto Sermone. In hoc autem poſt alia populum ſic alloquitur Ambroſius de miraculis ea occaſione patratis :* Cognoviſtis, immò vidiſtis ipſi multos à dæmoniis purgatos : plurimos etiam, ubi veſtem Sanctorum manibus contigerunt, iis, quibus laborabant, debilitatibus abſolutos : reparata vetuſti temporis miracula, quo ſe per adventum Domini Jeſu gratia terris major infuderat, umbrâ quâdam ſanctorum corporum pleroſque ſanatos cernitis. Quanta oraria jactitantur ? quanta indumenta ſuper reliquias ſacratiſſimas, & tactu ipſo medicabilia repoſcuntur ? Gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit, ſalvus erit *&c.*

ipſumque cæcum ſanatum appellat teſtem,

420 *Lubet etiam proferre aliqua ex Sermone poſtridie habito, ex quo liquet, Arianos, qui numeroſi erant Mediolani, negare auſos miracula coram populi multitudine patrata. Sic enim habet :* In tantum amentiæ prodeunt (*Ariani,*) ut negent martyrum merita, quorum opera etiam dæmones confitentur. Sed hoc non mirum : ſiquidem tanta eſt incredulorum perfidia, ut tolerabilior ſit diaboli plerumque confeſſio. Dicebat enim diabolus : "Jeſu Filii Dei vivi, quid veniſti ante tempus torquere nos ?„ Et cùm hæc audierint Judæi, ipſi tamen Dei Filium denegabant. Et nunc audîſtis clamantes dæmones, & confitentes martyribus, quòd pœnas ferre non poſſint, & dicentes : "Quid veniſtis, ut nos tam graviter torquea„tis ?„ Et Arriani dicunt : "Non ſunt iſti martyres,

„res, nec torquere diabolum poſſunt, nec ali„quem liberare„: cùm tormenta dæmonum ipſorum voce probentur, & beneficia martyrum remediis ſanatorum & abſolutorum indiciis declarentur. Negant cæcum illuminatum; ſed ille non negat ſe ſanatum. Ille dicit: Video, qui non videbam. Ille dicit: Cæcus eſſe deſivi; & probat facto. Iſti beneficium negant, qui factum negare non poſſunt. Notus homo eſt, publicis, cùm valeret, mancipatus obſequiis, Severus nomine, lanius miniſterio. Depoſuerat officium, poſtquam inciderat impedimentum. Vocat ad teſtimonium homines, quorum antè ſuſtentabatur obſequiis: eos indices ſuæ viſitationis arceſſit, quos habebat teſtes & arbitros cæcitatis. Clamat, quia ut contigit fimbriam de veſte martyrum, quâ ſacræ reliquiæ veſtiuntur, redditum ſibi lumen ſit. *Mox pergit oſtendere, Arianos, qui negabant cæcum illuminatum, magis fuiſſe incredulos, quàm fuerunt Judæi, quando cæcus natus à Chriſto fuit illuminatus.*

421 *S. Auguſtinus, qui juvenis Mediolani degebat, quando illa ſunt geſta, lib. 9 Confeſſionum cap. 7 dicta S. Ambroſii teſtimonio ſuo confirmat, pulſoſque dæmones & cæcum, ubi* ſudario *tetigerat* feretrum, *illudque* admovit oculis, *viſu* confeſtim *donatum refert. Idem lib. 22 de Civitate Dei cap. 8 ait:* Miraculum, quod Mediolani factum eſt, cùm illic eſſemus, quando illuminatus eſt cæcus, ad multorum notitiam potuit pervenire, quia & grandis eſt civitas, & ibi erat tunc imperator, & immenſo populo teſte, res geſta eſt, concurrente ad corpora martyrum Protaſii & Gervaſii *&c. Inventio illorum martyrum non ſolùm feſto anniuo celebrata eſt Mediolani; ſed etiam Hippone-Regio in Africa, ubi epiſcopus erat S. Auguſtinus, qui in eadem feſtivitate Sermonem habuit ad*

cui & S. Auguſtinus accedit de eodem miraculo teſtis, & Paulinus.

populum, in noviſſima editione 286, *in quo rurſum hæc dixit:* Celebramus ergo hodierno die, fratres, memoriam in hoc loco poſitam ſanctorum Protaſii & Gervaſii, Mediolanenſium martyrum. Non eum diem, quo hìc poſita eſt, ſed eum diem hodie celebramus, quando inventa eſt pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus per Ambroſium epiſcopum, hominem Dei: cujus tunc tantæ gloriæ martyrum etiam ego teſtis fui. Ibi eram, Mediolani eram, facta miracula novi, adteſtante Deo pretioſis mortibus Sanctorum ſuorum; ut per illa miracula jam non ſolùm in conſpectu Domini, ſed etiam in conſpectu hominum eſſet mors illa pretioſa. Cæcus notiſſimus univerſæ civitati illuminatus eſt: cucurrit, adduci ſe fecit, ſine duce reverſus eſt. Nondum audivimus, quòd obierit: fortè adhuc vivit. In ipſa eorum baſilica, ubi ſunt eorum corpora, totam vitam ſuam ſerviturum ſe eſſe devovit. Nos illum gaviſi ſumus videntem, reliquimus ſervientem. *Accedit demum teſtimonium Paulini in Vita S. Ambroſii de Severo illuminato, qui etiam tum ſerviebat in eccleſia Ambroſiana, quando ſcribebat Paulinus. Quapropter nulla res humanis teſtimoniis certior magiſque indubitata videtur reddi poſſe, quàm ſit miraculum illud caci illuminati, coram immenſa multitudine patratum, à tribus graviſſimis viris aſſertum, clariſque rationibus contra Arianorum calumnias ab Ambroſio confirmatum.*

Multa etiam alia narrat S. Auguſtinus.

422 *Laudatus Auguſtinus lib.* 22 *de Civitate cap.* 8 *collegit alia complura miracula, quorum fidelem ſe teſtem præbet, adjunctis paſſim perſonis & locis, quibus contigerunt. Ultimum ex illis, idque geminum, factumque diverſis diebus in fratre & ſorore, publicè patratum eſt in eccleſia Hipponenſi coram ingenti multitudine populi, & præſen-*

te Auguſtino, qui de duplici illo miraculo etiam agit in Sermonibus 320, 321, 322 *&* 323. *Malum, quo diu laboraverant frater & ſoror, ibidem ſanati, ortum erat ex imprecatione matris, puniente Deo. Ex decem germanis, eodem malo correptis, ſextus & ſeptima, viſione moniti, Hipponem venerunt ad S. Auguſtinum, ubi frater ſanatus eſt* die Dominica Paſchæ, *ut latiùs exponitur in libello, qui inſertus eſt Sermoni* 322. *Soror verò ſanata eſt, dum S. Auguſtinus dicebat Sermonem* 323, *qui ea ſanatione fuit interruptus. Rurſum Serm.* 324 *aliud narrat miraculum, videlicet puerum mortuum S. Stephani patrocinio vitæ reſtitutum. Verùm mitto alia miracula, quæ diverſis locis ab Auguſtino narrantur, cùm nemo negare poſſit, plurima ea eſſe.*

423 *At videamus, quibus rationibus Ambroſio & Auguſtino ſe opponere ſuſtinuerit nuperus heterodoxus, aut potiùs quâ impudentiâ tantorum virorum teſtimonia contempſerit, ipſoſque inſanâ prorſus calumniandi libidine ut comœdos traduxerit. Joannes Clericus, qui nomine* Joannis Phereponi *virulentas Animadverſiones ſcripſit in omnia Opera S. Auguſtini, non dubitat miracula, quæ facta ſunt in inventione corporum SS. Protaſii & Gervaſii, ipſamque inventionem ſuſpicionibus adſpergere, ſuiſque lectoribus perſuadere nititur,* ſtratagema hoc Ambroſianum fuiſſe,... quo plebem ſibi devinciret, Juſtinamque & Arianos perterrefaceret, excogitatum. *Sic ille in Appendice Auguſtiniana pag.* 475, *ubi haſce præmiſerat iniquiſſimas ſuſpiciones :* Si hæc aliæque ejuſmodi inventiones ſanctorum cadaverum non fuiſſent conjunctæ cum ingenti lucro ac emolumento eorum, qui ea effoderunt; multi, qui callidorum hominum figmenta hæc credunt ad plebeculam in of-

Ambroſio tamen impudentiſſimè ſe opponit Joannes Clericus,

fi-

ficio continendam, fidem eis non facilè detraherent. Hæc inventio, exempli causâ, non parum auxit existimationem auctoritatemque Ambrosii; quandoquidem eâ Justinæ principis Arianæ animus (ut habet noster *Augustinus Conf. lib. 9 cap. 7*) etsi ad credendi sanitatem non ampliatus, à persequendi tamen furore compressus est. *De eadem historia rursum meminit pag. 550, ibique eam designat nomine* Ambrosianæ scenæ. *Itaque si credendum est homini furioso, inventio corporum SS. Protasii & Gervasii ficta est à S. Ambrosio ad lucrum ex ea captandum; dæmonumque ejectio ludus fuit scenicus. Quid igitur de cæco illuminato? De eo silet furibundus Clericus, silentioque suo ostendit, necdum se prorsus amentem fuisse, dum tanto furore in Augustinum & Ambrosium est debachatus.*

ad cujus calumnias respondetur.

424. *Hæsit nimirum in medio calumniandi cursu attonitus, defensioneque S. Ambrosii repercussus. De cæco sanato coram populi multitudine ita loquitur Ambrosius:* Ille dicit: Video, qui non videbam. Ille dicit: Cæcus esse desivi; & probat facto... Notus homo est, publicis, cùm valeret, mancipatus obsequiis, Severus nomine, lanius ministerio *&c. Loquebatur hæc Ambrosius coram amicis & inimicis. Utrique de veritate investigare poterant. Augustino etiam teste*, cæcus notissimus *erat* universæ civitati; *eodemque testante*, immenso populo teste, res gesta est. *Exhorruit ad hæc omnia, quantumvis aliàs impudentissimus, calumniator Clericus, maluitque illuminationem cæci silere, quàm contra solem loqui. Nam si vel minima fuisset fraudis suspicio, Justina imperatrix Ambrosii inimica, quæ Mediolani erat, per Arianos in fraudem inquisivisset, detectamque severè vindicâsset. At idem hic contigit Justinæ, quod Jude-*

deorum principibus, quando claudus à S. Petro ſanatus erat Act. 3. *Non poterant factum negare Judæi, nec poterat Juſtina, ſaltem poſt inquiſitionem: nam, teſte Auguſtino lib.* 9 *Conf. cap.* 7: Inde illius inimicæ animus, etſi ad credendi ſanitatem non ampliatus, à perſequendi tamen furore compreſſus eſt. *Stupidus profectò & inſanus fuit Clericus, ſi credere potuit, ſe perſuaſurum viris ſenſatis, S. Ambroſium, quem omnis ætas pro viro ſanctiſſimo habuit & coluit, tam impium fuiſſe ac ſacrilegum, ut falſas reliquias pro veris ſupponeret, ut exſecrando mendacio miracula confingeret; aut etiam tam imprudentem fuiſſe, ut ſperaret ſacrilego mendacio ſe toti civitati impoſiturum. Pudet heterodoxos modeſtiores, opinor, tanta Clerici impudentiæ. At ille dura neceſſitate eò, quò aliàs noluiſſet, prolapſus eſt: neque enim invenit, quo modo teſtimonia ſanctorum Patrum de cultu Sanctorum & reliquiarum veneratione, miraculiſque Sanctorum patrocinio factis enervaret, niſi bonam illorum fidem calumniando niteretur evertere.*

Inſaniæ ejuſdem Clerici de S. Auguſtino

425 *Hac igitur de cauſa nihilo mitiùs tractat S. Auguſtinum pag.* 550. *Ignoſcat prudens lector, ſi verba flammis digna, ut jam cœpi, recitavero. Loquitur Clericus de miraculis antè perſtrictis, de quibus S. Auguſtinus agit in Sermone* 320 *& ſequentibus. Sic autem loquitur ſcriptor arroganti ſſimus:* Sermone cccxxii legi poteſt & ſanè debet fabula, ex qua de tota illius ævi hiſtrionia certum judicium ferri queat. Primo die Paſchæ producitur Paulus, neſcio quis, è Cappadocia, hominum nequam feraciſſima, ſi veteri famæ & Iſidoro Peluſiotæ credimus, curatus à S. Stephano; ſed libellus ejus, hoc eſt, hiſtoria morbi & curationis, differtur, ut magis plebs cognoſcendi cupidine inflammetur. Is eſt primus actus, qui eſt Sermone cccxx... Actus

ſecundus habetur Sermone cccxxi, ubi promittitur plebi libellus ille mirificus Pauli, quia nonnulla Auguſtino indicârat, quæ nôſſe debebat plebs ad majorem admirationem & Domini noſtri gloriam, (*ut loquitur Auguſtinus.*) Tertius eſt Sermone cccxxii, in quo Auguſtinus præfatur, deinde hiſtoriam Pauli, die Paſchæ curati, jubet recitari. Quartus actus continetur Sermone cccxxiii, ubi Auguſtino ad populum dicente, ſubitò curatur Pauli ſoror, ſequiturque adclamatio plebis. Quintum denique actum complectitur Sermo cccxxiv, ubi pius antiſtes ſapienter omnia in rem ſuam convertit, populumque prudenter monet, cùm Deus alibi potuiſſet hæc miracula tam inſignia facere, ubi etiam erant reliquiæ S. Stephani, tamen Paulum & ſororem ad ſe fuiſſe directos; quò, ni fallor, ſpectabat tota fabula. *Mox ait, voluiſſe ſe* totam comœdiam *recitare, quia aliqui illa non erant lecturi in ipſis S. Auguſtini Sermonibus, ſubditque:* Sed non poſſum dolorem diſſimulare, qui animum meum ſubit, cùm reputo, dum imprudentes homines majorem auctoritatem conciliare conantur religioni Chriſtianæ ejuſmodi dolis, eos quidem lucrum feciſſe ſibi fortaſſe non ſpernendum; ſed valde nocuiſſe religioni apud homines ſuſpicaces & iniquos *&c. Haſce Clerici contra SS. Ambroſium & Auguſtinum calumnias refutavit Muratorius ſub ficto nomine Lamindi Pritanii in Opuſculo de Ingeniorum moderatione lib. 3 cap.* xi, *ut vidi ſolùm, quando hæc ſcripſeram. Hoc monendum cenſeo, & ad rem regredior.*

omnibuſque Patribus calumnia.

426 *Vides, opinor, prudens lector, à Clerico S. Auguſtinum hîc traduci, ut hiſtrionem, ut comœdum, ut dolis impiis uſum ad lucra ſibi comparanda, ut auctorem ſacrilegæ fabulæ,* ex qua de tota illius ævi hiſtrionia certum judicium ferri queat. *Ita-*

Itaque rectores eccleſiarum ſeculi IV, *nimirum Ambroſius, Auguſtinus, Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, quos omnis etas ut præcipua Eccleſiæ lumina ſuſpexit, reliquique ejuſdem ævi antiſtites, ac cum iis doctiſſimus presbyter Hieronymus, ſi quis fidem habeat Clerico, hiſtriones ſolùm erant, populumque credulum confictis fabellis ſeducebant. Apertiùs id ille paulò antè dicit his verbis:* Pleriſque eccleſiarum rectoribus, ut ex rebus ipſis liquet, tum perſuaſum fuit, quæcumque per ſe mala non erant, poterantque aut ethnicos ad fidem Chriſtianam adducere, aut hæreticos ſanare, aut certè plebem Catholicam in fide confirmare, ea omnia eſſe licita; neque nimis rigidè inquirendum, verane eſſent, necne. Adde, quòd quicumque poterant ſemel vulgo perſuadere, miracula frequentiora apud ſe per reliquias Sanctorum fieri, ii ingentem plebis multitudinem ad eccleſiam ſuam alliciebant, ejuſque donis ditabantur *&c. Hæc ille aliaque plura id genus auſus eſt evomere in omnem venerandam antiquitatem. In tantam videlicet rabiem contra omnes Patres actus eſt, quòd perſpiceret, omnes cultûs Sanctorum & reliquiarum patronos eſſe. Hinc iterum Auguſtinum ut comœdum exhibet pag.* 552, *quia narravit, puerum reliquiis S. Stephani ad vitam revocatum.*

427 *Si modò quæramus rationes, quibus Clericus uſus eſt ad impugnanda miracula, ab Ambroſio, Auguſtino aliiſque relata, nullas inveniemus homine dialectico aut critico dignas. Jactat in ſua præfatione,* diligenter *ſe colniſſe* dialecticam, ac criticam. *Tam miſera tamen ſunt argumenta, quibus prædicta oppugnat miracula, ut quilibet homo ruſticus & agreſtis talia proferre poſſit, modò non caveat malignâ calumniandi audaciâ, & inauditâ Clerici impudentiâ. Contra inventionem SS. Protaſii* *Inepta Clerici contra Ambroſium*

& Gervaſii duo objicit, primùm quòd Auguſtinus dicat, per viſum *revelata eſſe ea corpora S. Ambroſio; Ambroſius verò de revelatione ſibi facta taceat. Verùm quâ dialecticâ ex ea in narrando diverſitate concludet quiſpiam Clerico prudentior, aut corpora non fuiſſe inventa, aut miracula non fuiſſe patrata? Potuit Ambroſius modeſtè de ſua revelatione tacere, eamdemque laudabiliter referre Auguſtinus. At neceſſe non erat, Clericum diligenter dialecticam criticamque colere, ut objiceret argumentum homine dialectico criticoque prorſus indignum.*

ratiocinia exploduntur:

428 *Alterum nihilo melius eſt. Ambroſius ſororı ſua ſcribit:* Invenimus miræ magnitudinis viros duos, ut priſca ætas ferebat. *Ridet homo acutus illa verba*, ut priſca ætas ferebat; *innuitque, homines tribus prioribus ara Chriſtiana ſeculis non fuiſſe grandioris ſtatura, quàm ſeculo* IV *aut* V. *Non diſputabo cum Clerico de temporibus, quibus ſtatura hominum decrevit, cùm id ad rem non pertineat. Nam hoc unum aſſerit Ambroſius*, miræ magnitudinis viros *fuiſſe inventos. Cùm autem cuilibet perſuaſum ſit, corpora hominum priſcis ſeculis grandiora fuiſſe, ad exprimendam magis inventorum magnitudinem; adjunxit*, ut priſca ætas ferebat. *Hiſce verò verbis*, narrationem ſuſpectam *reddi, ut Clericus aſſerit, nullus unquam probabit, neque ſanâ uſus eſt dialecticâ aut criticâ, quando ea protulit; cùm major aut minor corporum magnitudo nihil profit ad fidem de inventis corporibus augendam vel minuendam.*

ejuſdem contra S. Auguſtinum ineptia

429 *S. Auguſtinum propriis armis aggredi voluit Clericus pag. 492, ita ſcribens:* Auguſtinus ipſe libro de vera Religione § 47 rariora ſuâ ætate miracula fuiſſe non diffitetur. Scio hoc ab illo retractatum, ſed miror, quî potuerit antea in re notiſſi-

ma

ma falli: non miror ad convincendos ethnicos, Donatiſtas & alios hæreticos miracula jactata, quæ multò plura fuerunt & inſigniora, ſi verè contigiſſent, quàm miracula Chriſti & Apoſtolorum, adeo ut nulla ratione dici potuiſſent rariùs fieri, quàm antea. *Quis ferat hominem tantâ arrogantiâ turgidum, ut omnes ſanctos Patres pra ſe contemnat, adeo ineptientem, acſi prima dialectica principia numquam audiviſſet, ſacramque Scripturam vidiſſet numquam? Audiamus S. Auguſtinum lib.* 1 *Retractationum cap.* 13, *ubi locum objectum exponit, ne perperam à quoquam intelligatur:* Item quod dixi, *inquit*, "Nec miracula illa in noſtra tem„pora durare permiſſa ſunt, ne anima ſemper viſi„bilia quæreret, & eorum conſuetudine frigeſce„ret genus humanum, quorum novitate flagra„vit;„ verum eſt quidem: non enim nunc uſque, cùm manus imponitur baptizatis (*per ſacramentum Confirmationis*) ſic accipiunt Spiritum ſanctum, ut loquantur linguis omnium gentium: aut nunc uſque ad umbram tranſeuntium prædicatorum Chriſti ſanantur infirmi (*ut fiebat umbrâ S. Petri*) & ſi qua talia tunc facta ſunt, quæ poſtea ceſsâſſe manifeſtum eſt. Sed non ſic accipiendum eſt, quod dixi, ut nunc in Chriſti nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipſe, quando iſtum ipſum librum ſcripſi, ad Mediolanenſium corpora martyrum in eadem civitate cæcum illuminatum fuiſſe jam noveram, & alia nonnulla, qualia tam multa etiam iſtis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoſcere, nec ea, quæ cognoſcimus, enumerare poſſimus. *Obſerva modò lector Clerici ineptias. Miratur, quomodo Auguſtinus* antea in re notiſſima falli *potuerit. At Auguſtinus ipſe dicit & probat*, verum *eſſe, quod antè dixit de nonnullis miraculis, non de omnibus.*

refellantur.

430 *Quod verò ait Clericus* multò plura *fuisse & insigniora miracula, quæ temporibus Augustini leguntur patrata, non* jactata, *ut ille calumniatur,* quàm miracula Christi & Apostolorum; *falsum erit, si voluerit eodem temporis intervallo & ab eodem personarum numero patrata esse* multò plura. *Si voluerit verò, plura fuisse patrata in toto terrarum orbe duobus aut tribus seculis, quàm fuerint à Christo & Apostolis facta, minùs incredibile fiet assertum. Quidquid porrò voluerit Clericus, dum tot tantaque miracula conscripta agnoscit, nihil illud obesse poterit nostræ sententiæ, qui omnibus & singulis seculis non pauca miracula patrata agnoscimus, eaque etiam vera credimus, quando referuntur à probis auctoribus, quales sunt sancti Patres, multique alii scriptores ecclesiastici. At illa ipsa miraculorum multitudo condemnat pertinacem Clerici ejusque gregalium heterodoxorum contentionem, quâ negant, miracula fuisse patrata post tempora Apostolorum, aut nostris temporibus patrari.*

Miracula narrantur à tot tamique viris, eaque tam claris

431 *Dicerent meritò, nos insanire, si inficiaremur, Carthaginem umquam exstitisse, Romam umquam à Gothis aut Wandalis fuisse captam, Constantinum Magnum umquam vixisse, aliaque id genus notissima; quia de omnibus istis constat testimoniis plurium & proborum scriptorum. Atqui scriptores probitate & doctrinâ præstantissimi, & multitudine quasi innumeri, miracula narrant sibi certò comperta, multique ex illis oculos suos & aures allegant frequenter testes; aliquando etiam integræ alicujus urbis testimonia proferunt; ut non sit hominum prudentium iis omnibus fidem abrogare. Liceat ejusmodi homines cum S. Ambrosio alloqui:* Sed quæro, *inquit*, quid non credant, utrùm à martyribus possint aliqui visitari? Hoc est Christo non credere: ipse enim, dixit: Et majora his facietis.

At-

Attingit S. Ambroſius verba Chriſti Joan. 14 ℣ 12, *ubi dixit:* Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet. *Loquitur autem Chriſtus de operibus naturam ſuperantibus ſive miraculis, de quibus præmiſerat:* Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Alioquin propter opera ipſa credite. *Ad locum allegatum obſervat Auguſtinus in Joannem Tract.* 71 *&* 72, *non ſolis Apoſtolis dictum eſſe,* Majora horum faciet; *ſed etiam aliis, qui erant credituri. Itaque dubium eſſe nequit, quin Chriſtus ibidem credentibus promittat gratiam miracula patrandi, nec ſolùm Apoſtolis, ſed etiam poſteris. Locus tamen difficultatem patitur, quia dicitur* majora horum, *aut* majora his, *ut ſonant verba Græca,* faciet. *Hanc difficultatem non attingo, contentus obſervâſſe, non ſolùm Apoſtolis, ſed etiam reliquis credentibus, quibus nimirum fidem miraculorum donaverit Dominus, promitti miraculorum operationem.*

Chriſti verbis promiſſa ſunt credentibus,

432 *Multis aliis locis Chriſtus donum miraculorum non ſolùm Apoſtolis, ſed etiam aliis credentibus promiſit. Marc.* XI ℣ 22, *ubi arueratficus, cui Chriſtus maledixerat, ea occaſione ait Apoſtolis:* Habete fidem Dei: amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare; & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. *Rurſum miracula credentibus promiſit Chriſtus, antequam in cælum aſcendit, dum miſit Apoſtolos ſuos ad prædicandum Marc.* 16 ℣ 15: Et dixit eis: Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia

eji-

ejicient: linguis loquentur novis: ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. *Hic rurſum* ſigna *promittuntur non ſolis Apoſtolis: ſed eis*, qui crediderint. *Nec dubitandum videtur, quin illa promiſſio ſe extendat uſque ad finem mundi, ſecundum ultima Chriſti apud Matthæum verba:* Et ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.

ut prudentis virtuon ſit omnia negare: quamvis non omnes ea patrent.

433 *Non tamen omnibus credentibus promittitur gratia miraculorum, ut clarè patet ex Apoſtolo* 1 *Cor.* 12, *ubi fidelium varias gratias gratis datas enumerat. Inter has* ℣ 9 *ſunt* gratia ſanitatum & operatio virtutum. *At has omnium non eſſe fidelium, in ipſa diviſione indicat, & rurſum* ℣ 29 *his verbis:* Numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? *Requiri autem ad operanda prodigia fidem quamdam prorſus excellentem, inſinuat deinde Apoſtolus cap.* 13 ℣ 2 *hoc modo:* Et ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam *&c. Hæc obſervanda cenſui, ne quis ex eo, quòd plerique credentes miracula non faciant, inferre voluerit, promiſſionem Chriſti ad noſtra tempora non ſpectare. Neque enim ipſis quoque Apoſtolorum temporibus omnes credentes patrabant miracula: neque ullis poſt Chriſtum ſeculis omnes eâ gratiâ fuerunt deſtituti.*

Teſtimonium S. Hieronymi, Vigilantium refutantis:

434 *Vigilantium, cujus hæreſes renovârunt haterodoxi, contra quos agimus, non quidem apertè negantem miracula, in baſilicis martyrum fieri ſolita, ſed ea incredulis ſolùm prodeſſe jactantem, acriùs refutat S. Hieronymus lib. contra Vigilantium ita ſcribens:* Argumentatur contra ſigna atque virtutes, quæ in baſilicis martyrum fiunt, & dicit eas incredulis prodeſſe, non credentibus: quaſi nunc hoc quæratur, quibus fiant; & non, qua vir-

virtute fiant. Esto signa sint infidelium, qui quoniam sermoni & doctrinæ credere noluerunt, signis adducantur ad fidem: & Dominus incredulis signa faciebat, & tamen non idcirco Domini sugillanda sunt signa, quia illi infideles erant; sed majori admirationi erant, quia tantæ fuere potentiæ, ut etiam mentes durissimas edomarent, & ad fidem cogerent. Itaque nolo mihi dicas, signa infidelium sunt: sed respondе, quomodo in vilissimo pulvere, & favilla nescio qua (*de martyrum reliquiis ita contemptim locutus erat Vigilantius, cujus verba imitatur*) tanta sit signorum virtutumque præsentia. Sentio, sentio, infelicissime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus ille immundus, qui hæc te cogit scribere, sæpe hoc vilissimo tortus est pulvere, imò hodieque torquetur, & qui in te plagas dissimulat, in cæteris confitetur. *Hæc sufficiant ex Hieronymo, à quo malè exceptos Vigilantium & Jovinianum ait Clericus pag.* 550, *quòd miracula negarent. Nimirum duos saltem voluit nominare hæreticos, omnium seculorum testimonio homines turpissimos, qui seculo* IV *miracula, ad sepulcra martyrum fieri solita, negârint, si dicenti credimus. At id ipsum sine probatione asseruit, nec probari poterit, opinor.*

435 *Ex S. Gregorio Magno, qui plurima narravit miracula, solùm pauca desumo. Lib.* 4. *Dialogorum cap.* 6 *ita habet:* Ad extincta namque eorum (*Sanctorum*) corpora viventes ægri veniunt, & sanantur; perjuri veniunt, & dæmonio vexantur; dæmoniaci veniunt, & liberantur; leprosi veniunt & mundantur; deferuntur mortui, & suscitantur. *His octo præcipuis doctoribus, quos adduxi pro continuatione miraculorum in Ecclesia post tempora Apostolorum, possem addere longè plures Patres, cùm illis vetustiores, tum contemporaneos aut recentiores. Si verò*

S. Gregorii Magni: quibus possint addi

recurrere vellem ad ſcriptores fide dignos, qui veraci ſtylo Vitas Sanctorum compoſuerunt, aut alia quapiam occaſione miracula bene comperta enarrârunt, innumera ferè accumulanda eſſent omnium atatum teſtimonia, prætermiſſis etiam omnibus illis prodigiis, qua aut fictitia videntur, aut ſaltem incerta & ſuſpecta.

alii innumeri.

436 *Verùm mihi propoſitum non eſt plenam de miraculis diſſertationem ſcribere; ſed ſolùm oſtendere volui, eorum in eccleſia continuationem non poſſe negari à viro prudente, qui attenderit ad Chriſti promiſſiones, ſanctorum Patrum teſtimonia, ad perpetuam experientiam omnium ſeculorum. Hac experientia reperitur in Opere noſtro, ſi quis modò conſulere voluerit Vitas ab auctoribus coævis rectè ſcriptas, in quibus ſufficientia inveniet. Etenim viri prudentis non eſt nec moderati tot proborum virorum teſtimoniis fidem abrogare, & quidem ſine ulla ratione idonea. Ulteriùs oſtendere volui, quanta ſit heterodoxorum impudentia in negandis iis etiam miraculis, qua certiſſimis Ambroſii Auguſtinique teſtimoniis aſſerta ſunt, & coram multitudine populi patrata: imo ſanctiſſimos doctores inauditâ calumniandi licentiâ ut impoſtores ſacrilegos traduci in iis occaſionibus, in quibus nulla arte populo imponere potuiſſent, ſi tam fuiſſent ſceleſti, ut populum impio dolo voluiſſent decipere. Horum impudentia juvabit meminiſſe, quando dabuntur objectiones contra miracula* S. Januarii, *ne quis credat, calumnias iis immixtas aliquo niti fundamento.*

§ XXX. Reſolutio & ebullitio ſanguinis S. Januarii miraculum eſt, quod naturæ vires excedit.

Mirandum non eſt, multa contra miraculum ſanguinis eſſe prolata.

QUandoquidem Judæi increduli contra Chriſti Domini opera ſignaque, naturæ vires excedentia, calumnias varias impudenter excogitârunt, ac nonnulli hæretici miracula certiſſima non minore impudentia calumniati ſunt, ut jam vidimus, mirari non debemus, clariſſima prodigia, quæ in ſanguine S. Januarii *tribus certè ſeculis, ac veriſimiliter multò diutiùs, contigerunt; poſteriorum ſeculorum hæreticis multam cenſurandi calumniandique ſubminiſtrâſſe materiam. Qui enim nulla volunt admittere miracula, neque hoc admittent. Qui non verentur ſanctos Patres facere mendaces, hîc nihilo mitiores erunt. Fateor, mihi ad manum non eſſe omnes libellos, in quibus aliquid contra miraculum ſanguinis* S. Januarii *prolatum fuit, neque cenſui neceſſarium, tot futilia Opuſcula magno labore hunc in finem quærere, cùm ex nonnullis abundè perſpexerim, non inſtitui ſeriam diſputationem, ſed leviter ſolùm aliquid jactari, quo imperitis, aut res Neapolitanas minùs perſpectas habentibus, imponi valeat.*

Scriptores aliqui illud defenderunt: ex iis colligenda objectiones.

438 *Miracula ſanguinis* S. Januarii *integro juſtæ molis Opere defendenda ſuſcepit Joannes Dominicus Putignanus, jam variis vicibus laudatus, Opuſque inſcripſit* de Redivivo ſanguine D. Januarii, *atque in tres partes diviſit. Pars prima, impreſſa anno* 1723, *agit* de ſanguine ebulliente,

eaque potiſſimùm ad propoſitum noſtrum ſpectat, cùm in ea refutentur argumenta dicam, an dicteria, contra prodigioſam ſanguinis ebullitionem prolata. Benedictus Papa XIV, qui hodie feliciter Eccleſiam regit, in præclaro Opere, quod Cardinalis de Servorum Dei beatificatione & canonizatione conſcripſit, lib. 4 part. 1 cap. 31 etiam varias hæreticorum objectiones refellit. Ad manum quoque eſt Dialogus Italicè ſcriptus, Seniſque anno 1749 recuſus, in quo de miraculo ſanguinis diſſeritur coram Guilielmo principe Saxone Gothano: & Diſſertatio Ms., ab amico Neapolitano compoſita, in qua variæ objectiones aſſignantur. Ex hiſce igitur omnia, quæ objecta inveniam, recenſebo, meiſque ſolùm verbis, ne diſputatio fiat nimis prolixa, aliorum tamen rationibus adjutus, vanitatem objectionum conabor oſtendere.

Omnes eruditi à trecentis annis ſanguinem S. Januarii pro miraculo habuere,

439 *Non diſſeram de variis miraculi acceptionibus ac diviſionibus, de quibus conſuli poteſt Benedictus XIV in jam laudato Opere de Servorum Dei Canonizatione lib. 4 part. 1 cap. 1 & ſequentibus. Nihilo magis multa congeram, ut probem, ſanguinis* S. Januarii *reſolutiones mutationeſque variæ non poſſe naturali modo fieri, ſed vera eſſe miracula, divina poteſtati unicè adſcribenda. Ea fuit ſententia Catholicorum magnorumque virorum ab annis jam ferè trecentis: neque inveni hactenus ſcriptorem Catholicum, qui opinioni tam antiquæ communique inter Catholicos ſcriptis ſuis ſe oppoſuerit. Si qui tamen Catholici etiam dubitationes ſuas ſcriptis inſinuârunt, ſive quòd rem totam non ſatis habuerint perſpectam, ſive quòd cupiant ſupra vulgus ſapere, quales multi reperiuntur noſtris temporibus, interque illos non pauci ſolidâ doctrinâ deſtituti, ſive quòd ambiant neſcio quam gloriolam, ſi Academicorum more de omnibus ferè*

dubi-

dubitent, & vel maximè de miraculis; horum ego causâ ad nova argumenta non recurram.

440 *Etenim expositio ipsa, superiùs data, monumentisque aliquot aut testimoniis authenticis roborata, abundè persuadere debet cuilibet viro prudenti, prout passim omnibus doctrinâ & eruditione præstantibus viris in regno Neapolitano ac in tota Italia à trecentis annis persuasit, non esse operationes naturales illius sanguinis, sed opera dextera Dei mirè in illo elucere. Hinc Benedictus XIV disputationem suam ita orditur:* Ingens & verum miraculum est illud, quod non unum aut alterum testem habet, sed totam Italiam, & (ut ita dicamus) totum Christianum orbem, sanguinis S. Januarii martyris. *Audiamus igitur, quid heterodoxi, qui miracula omnia cupiunt expuncta, contra perpetuum hoc prodigium nominatim excogitârint.* *idque abundè probat data rei totius expositio.*

441 *Prima objectio est Petri Molinæi in Vate Calviniano lib. 5 cap. 14, ut citatur apud Benedictum XIV, ubi hæc ejus recitantur verba:* Quid facilius, quàm injicere calcem in lagenam, quæ sic excitet bullas, ut liquor fervere videatur? *Si hæc somniando in cerebro versâsset Molinæus, & mox à somno sine ulla consideratione scripsisset; imprudenter quidem & stultè feciſſet; at multò etiam deteriùs fecit, si verba sua consideraverit. Hinc Lutheranus, qui in laudato Dialogo contra miraculum sanguinis differit, pag. 24 candidè edicit objectionem illam esse* dignam Calviniſtâ, qualis ipse erat, insignis stultitiæ, temeritatis ac insolentiæ in loquendo. *Tum observat, nullam ullius experientia speciem posse adduci, quâ dictum illud fulciatur, quemadmodum latiùs probat Benedictus XIV ex Fortunio Liceto, philosopho Bononiensi, qui varias produxit experientias contrarias. At proli-* *Objectio Molinæi, innumeros homines temerè calumniantis,*

xiùs disputator Lutheranus expendit objectionis temeritatem, sine ullis testimoniis, indiciis, probationibus, *sacrilegam plurimorum fraudem affirmantis. Quippe nec pauci sunt, qui accusantur, nec homines sordidi aut infimæ conditionis; sed Cardinales, archiepiscopi, ecclesiastici nobiles, viri seculares primarii, qui trecentis ferè annis ampullam sive lagenam illam ex suo armario produxerunt. Hosce omnes horrendæ sacrilegaque fraudis reos agere, quantæ sit temeritatis, unusquisque facilè perspiciet.*

nihil habet verisimilitudinis.

442 *Si tamen, ut pergit disputator, tantum posset fingi in viris honestissimis crimen, ut execrando sacrilegio urbi orbique imponere vellent; illud minimè sufficeret, nisi fingeretur aliud æquè incredibile, nimirum* per tanti temporis decursum fraudem numquam fuisse detectam in civitate, quæ barbarorum non est & stolidorum, sed abundè instructa hominibus doctis, sagacibus & expertis, ubi insuper plurimi semper sunt peregrini, omni infantiæ præjudicio liberi, carentesque studio rerum patriæ honorificarum. *Hæc ille contra objectionem, viro honesto & sobrio prorsus indignam. Imò deterior etiam est objectio Molinæi, prout exponitur à Putignano cap. 9 num.* 10. Firmat tandem, *inquit*, per adsimile experimentum calcis in aqua fieri, ut ope dæmonis ebullitio patretur admixtâ clanculùm substantiâ aliquâ, quæ vim excitandæ in sanguine ebullitionis obtineat; subditque rationem, cur aliquando sanguis ebullitionem simul suprimat; quia dæmon abstinere soleat præstigiis piorum hominum interventu, quos ipse censet suæ sectæ alumnos. *Hæc Putignanus: nam liber impius mihi ad manum non est. Adeat studiosus lector § 25, ubi inveniet, quales quantique sint viri, quorum custodiæ sanguis committitur, & à quibus educitur è*

suo

ſuo armario. Jam enim ad abſurdam objectionem inſulſi hominis ſatis reſpondi, niſi quis velit adjuncta verba Hieronymi contra Vigilantium: Tales habet (*nimirum calumniatores impudentiſſimos*) adverſarios Eccleſia. Hi duces contra martyrum ſanguinem militant; hujuſcemodi oratores contra Apoſtolos pertonant, imò tam rabidi canes contra Chriſti latrant diſcipulos; *contraque ſanctos Patres, miracula ad martyrum reliquias facta enarrantes.*

443 *Secunda objectio apud Benedictum XIV & in Dialogo petitur ab antipathia & ſympathia. Laudatus Benedictus Papa eam ſic explicat:* Item, ut nebulas adverſus hoc præclariſſimum miraculum offundant, nonnulli confugiunt ad antipathiam & ſympathiam, quâ ſanguinem occiſi ebullire coram occiſore, à nonnullis aſſeritur; quâ magnes ſponte ſua converti dicitur ad polum; quâ lapis adamas ab hircino ſanguine fertur diſrumpi; quâ ferrum à magnete trahitur, & palea ſimiliter à ſuccino. *Hæc objectio minùs abſurda eſt præcedente, quia non calumniatur viros probos ac honoratos; ejuſdem tamen eſt levitatis. Etenim temerarium eſt adſtruere aut ſympathiam aut antipathiam, quæ omni caret experimento, quemadmodum hæc ſine ulla experientia fuit aſſerta. Quis enim umquam expertus eſt, ſanguinem hominis occiſi, ubi poſt aliquot menſes aut annos concretus eſt & exſiccatus, rurſum fieri liquidum, ſi ejuſdem hominis capiti opponatur?*

Nihilo melior objectio ex ſympathia aut antipathia

444 *Experimentum illud facilè capi poteſt, dum quis ob flagitium capite minuitur, & fortaſſe jam frequenter captum eſt, ut colligitur ex aſſertis Fortunii Liceti apud Benedictum XIV, qui hæc ſcribit:* Obſervat Licetus loco citato, omnem magnetem, in quocumque terræ loco naſcatur, ſemper ad polum converti, ſemper trahere ad ſe ferrum,

fuit petita, cùm omni careat experimento;

rum, niſi nimia vetuſtate vires jam habeat effœtas; quemcumque adamantem, ubicumque fuerit ortus, ab hirci cujuſcumque ſanguine calente effringi; à quocumque ſuccino quamvis paleam attrahi: cúmque in ſolo ſanguine S. Januarii, poſito coram ipſius capite, contingat liquefactio & ebullitio, neque id fiat, ſi aliorum hominum ſanguis concretus coram ipſorum capitibus conſtituatur, concludit, liquefactionem & ebullitionem ſanguinis S. Januarii fruſtra ad antipathiam & ſympathiam, aut ad aliam quamcumque cauſam naturalem referri. *Hæc abundè deſtruunt totam objectionem ſine ullo fundamento prolatam: nam ſi ex ſympathia & antipathia cum capite ſanguis liqueſceret, id eveniret etiam in aliorum ſanguinis conjunctione cum capite.*

cúmque miraculum aliquando fiat ſine capite,

445 *Attamen eadem objectio aliis quoque rationibus prorſus evertitur. Nam ſanguis aliquando etiam liqueſcit, non præſente capite, ut liquet ex antè relatis. Etenim, ut dictum eſt num.* 365, *liqueſcebat ſanguis, quando circumferebatur ante aream eccleſiæ S. Joannis Majoris, ubi ſolùm particula ex oſſibus* S. Januarii *erat expoſita. Rurſum liquefactus eſt ſanguis, abſente capite, in manibus ducis Nivernenſis, ut refert Hieronymus Maria de S. Anna lib.* 2 *cap.* 5, *afferens hæc verba P. Joannis Rhò Societatis Jeſu ex Epiſtola ejus apud Petram-Sanctam impreſſa:* Carolus etiam dux Nivernenſis, dein Mantuanus, cùm veniam archiepiſcopus non feciſſet, ut caput ſimul exponeretur, bis inter manus cruoris phialam habuit, atque expertus eſt nihilominus colliquefieri, non abſque incredibili animi ſui admiratione ſimul & voluptate, quemadmodum narravit Laureti P. Hieronymo Floravantio, rectori collegii noſtræ Societatis. *Tertiò conſtat ex Diario Ms. Neapolitano,*

ali-

aliquando ſanguinem liqueſcere, antequam opponitur capiti. Itáque factum eſt anno 1755, *die* IV *Maii, ut dictum eſt num.* 410. *Quartò non rarò ſanguis in ipſo armario reperitur liquefactus. Quintò oppoſitus capiti, aliquando liqueſit intra pauca minuta; aliquando poſt aliquot horas, aliquando uſque ad veſperam durus permanet.*

446 *Sextò aliquando ſic in ampulla excreſcit, ut, repletâ nimis ampullâ, diſtingui nequeat, liquiduſne ſit an durus. Aliàs in ipſa capitis oppoſitione ſanguis rurſum deſcendit, ut ampulla non ſit ultra ſolitum repleta: aliàs ampulla in armario manet plena, plenaque poſtridie educitur, imò etiam poſt menſes aliquot. At ſi ex ſympathia aut antipathia ſanguis liqueſceret & ebulliret; neque hæc fierent ſine capite, neque modis tam diverſis coram capite. Quapropter futile eſt & inane, quod de antipathia aut ſympathia confictum eſt, ut neceſſe ſit dicere, varietates ac mutationes ſanguinis non fuiſſe perſpectas iis, qui ejuſmodi liquefactionis ac ebullitionis cauſam excogitárunt; aut id genus homines fuiſſe, ut maluerint temerè aliquid affirmare, quàm miracula admittere. Nam qui ſupra vulgus ſapere volunt, eoque vel maximè ſapientes ſe exiſtimant, ſi nulla admittant miracula, ſolent proferre longè minùs credibilia, quàm ſint ipſa miracula, quibus ejuſmodi ineptiis fidem detrahere moliuntur.* *modiſque diverſiſſimis coram capite:*

447 *Quod autem additum fuit objectioni de cadaveribus ſanguinem emittentibus coram reis homicidii; plerique phyſici fabuloſum exiſtimant, negantque id fieri naturaliter coram homicidis magis, quàm coram aliis. Paulus Zachias, medicum peritiſſimus, apud Putignanum cap.* 7 *num.* 10 *de ea opinione ſic loquitur:* Sed unde emergere hoc commentum de cruentatione cadaverum occiſorum coram homicidis potuit? Novum profectò non eſt, cadaveribus *fabula de cadaveribus ſanguinem emittentibus coram homicidis:*

quibuſcumque poſt horas nonnullas ab interitu, quin etiam poſtridie, ac die tertia à morte, ſanguinem emanare... At quòd coram propinquis (*aut homicidis*) id fiat, per accidens eſt. *Alii, apud Benedictum XIV cap. ult. laudati, ſimiliter agnoſcunt, ſanguinem non emitti naturaliter coram homicidis potiùs, quàm coram aliis; ideoque, ſi fiat, divinâ providentiâ attribuendum. Præterea certè numquam obſervatum fuit, cadaver occiſi coram homicida ſanguinem emiſiſſe diu poſt mortem. Itaque, ſi omnino ex antipathia aliqua (quod aſſerere ridiculum eſſet) ſanguinem cadaver emitteret primis poſt cædem diebus coram homicida; ſtolidæ temeritatis eſſet inde inferre, ſympathiam quamdam naturalem inter caput & ſanguinem* S. Januarii *perſeverare etiam poſt quatuordecim ſecula, & ex illa ſympathia reviviſcere ſiccum ſanguinem, liqueſcereque ac ebullire. Verùm id etiam ſubinde evenire ſanguini, abſente capite, ideoque ſympathiæ attribui non poſſe, jam ſuprà oſtendi.*

Objectio alia, ex calore ſanguinem fieri liquidum,

448 *Tertia objectio in Dialogo recenſita, Jacobi Picenini Calviniſtæ aliorumque dicitur. Hæc liquefactionis cauſam calori attribuit, nimirum quòd multi iique prægrandes in eccleſia aut in ſacello & altari prope ſanguinem accenſi ſint cerei, quódque magna ibidem ſit hominum multitudo. Æquè inepta eſt illa objectio, quàm præcedentes. Reſpondetur autem in Dialogo, falſum eſſe, ampullam fieri calidam, teſtimonioque oſculantium affirmatur, vix tepidam eſſe. Reſpondetur ſecundò, quòd, ſi ex calore ſanguis liqueſceret, citiùs liqueſcere deberet æſtivo tempore, quàm hiberno; neque tamen ita fieri. Exempla certè plurima ſunt contraria in Diario. Nam anno 1661, die 1 Februarii, durus ſanguis* poſt medium horæ *quadrantem fuit liquefactus, eodemque anno, die 2 Martii, citiſſi-*

mè

mè liquefactus eſt coram Majoribus noſtris Henſchenio & Papebrochio. Rurſum anno 1662, die 1 Januarii, ex duriſſimo ſubitò *liquidus evaſit coram capite, iterumque duobus diverſis diebus menſis Martii, ut mittam alia.*

ipſâ refellitur experientiâ;

449 *Contrà, dum anno 1702 expoſitus fuit die* XVIII *Aprilis coram Philippo V rege, tantùm liquefactus eſt ſanguis ad ſextam Miſſam, id eſt, poſt tres ferè horas; & die* VII *Junii ejuſdem anni ad finem ſecundæ Miſſæ, id eſt, poſt horam circitèr. Attamen vix ullum apparet dubium, quin fuerit major calor poſt medium Aprilis, quàm menſe Januario, & major æſtus menſe Junio, quàm Februario aut Martio. At, ſi liquefactio oriretur ex calore, tanto citiùs liquefieret ſanguis, quantò major eſſet calor. Experientia igitur ipſa docet, calorem non eſſe cauſam liquefactionis aut ebullitionis. Præterea nullo experimento poteſt oſtendi, ſanguinem exſiccatum, aut materiam aliam ſanguini exſiccato ſimilem, calore externo fluidum reddi poſſe, iterumque reverti ad duritiem, ac ſæpiùs ſic per annum liqueſcere poſſe ac indurari, imò per annos trecentos.*

nec melior eſt alia, ab aëris influxu petita.

450 *Quarta objectio petitur ab influxu aëris, materiam ampullæ, ut volunt, rarefacientis, uti magis aut minùs rarefacit liquores in tubis vitreis. Verùm facilè capimus & experientiâ novimus, liquores nonnullos tubis vitreis incluſos diverſis aëris affectionibus rarefieri & condenſari, ideoque in tubis ſuis aſcendere ac deſcendere: at nondum novimus, materias ſiccas ſolo aëris influxu fieri liquidas, rurſumque ex liquidis ſiccas, eo certè modo, quo id fit in ſanguine* S. Januarii, *idque perpetua viciſſitudine ad longiſſimum temporis ſpatium. Multa quidem inventa fatemur arte chymica, eaque prorſus mirabilia.* Verùm, *ut rectè aſſerit Putigna-*

nus cap. 3 *num.* 3, nemo adhuc, nemo profectò, exhibere aliquid potuit, quod ſanguinem Januarii in eliquandi modum referret, induſtriâ, ingenio, omnique ope in hanc rem deſudante, & advocata ſimul naturæ in ſua rerum omnium œconomia integra facultate. *Poterit quis facilè materiam aliquam ſiccam præparare, quæ vi caloris aut aëris liqueſcat, rubeſcat, bulliat, ſanguinemque* S. Januarii *ſemel utcumque imitetur; ſed nullus efficiet, ut id fiat perpetuò: nullus præparabit materiam, quæ tantas varietates exhibeat, quæ aliàs ſubitò, aliàs poſt horam unam alteramve, aliàs poſt integrum ferè diem, liqueſcat & bulliat, idque ſine ulla ratione nobis cognita. Nullus exhibebit mixtionem talem, ut aliquando in armario clauſa reperiatur liquida, aliquando dura ſiccaque, aliquando aëri expoſita primùm liqueſcat, deinde iterum concreſcat ſubitò; omniaque hæc fiant ſine ulla ratione majoris aut minoris caloris, ac ſine ullo ordine tempeſtatis.*

Experientia per Gaſparem Neumannum capta,

451 *Tentavit aliquid invenire Gaſpar Neumannus, medicus & chymicus Berolinenſis, ut refertur apud Benedictum XIV, ubi datur ex* Diario, quod Bibliotheca Germanica inſcribitur, tom. XXIX anni MDCCXXXIV inter res novas litterarias, edita... Anonymi epiſtola Berolino data. *Epiſtola verò ſic recitatur:* Multi ex regia ſocietate Berolinenſi comeſſatum iverant ad Gaſparem Neumannum, aulicum conſiliarium, medicinæ doctorem, chymiæque profeſſorem, die XXVI elapſi Januarii. Poſt prandium tres præſto fuerunt phialæ cryſtallinæ, in quarum qualibet materies quædam recondebatur, parvo volumine, ſicca, nigra, & adeo dura, ut illiſa in phialæ parietes ſonitum ederet. Quatuordecim ſaltem teſtes adfuiſſe dicuntur rem ſedulò explorantes. Neumannus interea mortui caput juſſit afferri, quod certè non

erat

erat S. Januarii. Cúmque primàm phialam capiti admoviſſet, materies rubicunda evadebat, liqueſcebat, ebulliebat, volumine excreſcebat, opplebatque phialam. Secunda verò phiala, capiti propiùs admota, parumper ebulliebat. In tertia verò ne hilum quidem liquabatur materies; ſed dura, nigra, & ſicca reſtitabat. Quæ in primo caſu contigere, Sancti favorem oſtendiſſe dicendum eſt; in altero verò vix aut ne vix quidem propitium eum adeſſe; in tertio verò contra heterodoxos Sanctum eſſe indignatum. *Hactenus Epiſtola, ad quam pauca obſervabo.*

452 *Neumannus phialas ſuas potiùs dediſſet circulatori circumforaneo, & non modò* quatuordecim *habuiſſet artis ſuæ teſtes, ſed integras civitates; ſi tamen ea erat vis materiæ phialis incluſæ, ut ad priſtinum poſſent redire ſtatum, eoſdemque effectus frequenter iterare. Verùm noverat, opinor, materiam ſemel liquefactam in prima phiala, non redituram ad priſtinam ſiccitatem, colorem, duritiem; eaque de cauſa exiguum fore lucrum, quod ex ea arte circumforaneus pharmacopola captaret. Maluit igitur ipſe coram paucis plauſum captare, & circulatorem per ſe agere, maximè cùm optimè noſſet, quanto tempore opus foret, ut dictæ mutationes in prima & ſecunda ampulla ſequerentur. Dubito tamen, an Neumannus coram viris prudentibus tantum habuerit plauſum, quantum blaterando conſequitur ineptus quilibet circulator, dum ruſticæ multitudini imponit. Si enim convivæ fuerunt viri prudentes, ut fas eſt exiſtimare, facilè advertere potuerunt, Neumannum officio circulatoris functum eſſe, non honeſti prudentiſque viri. Fingunt enim circulatores, multa ſe efficere poſſe, quæ revera nequeunt. Faciunt aliqua utcumque ſimilia, quibus ſimplicem populum* *quâ modo circulatoribus digno*

decipiunt. Talis revera est ineptus ille Neumanni ludus, ideoque meritò dubito, an prudentibus placuerit, aut etiam placere potuerit.

Sanguinem S. Januarii repræsentare voluit,

453 Certè ineptissimè excogitata est ludicra illa scena. Etenim non quæritur, an quis arte chymica materiam aliquam ita componere possit, ut aliquo tempore primùm sit sicca, nigra duraque, ac deinde expositа aëri, aut prope aliud corpus posita, incipiat rubescere, liquescere & ebullire. Noverit hoc facere Neumannus, sintque alii nonnulli chymici, qui similia efficere possint; nihil sanè hoc oberit miraculis, quæ divina providentia in sanguine S. Januarii patrare consuevit. Etenim ut quis aliquo modo mutationes sanguinis S. Januarii imitaretur, deberet ampullam præparatam cum capite recludendam dare, ut numquam produci posset, nisi coram pluribus testibus. Si ita reclusa, & frequenter per annos multos producta, vicissitudines liquescendi indurescendique, reliquasque mutationes sanguinis S. Januarii repræsentaret, jam aliquid saltem humana arte esset inventum, quod cum prædicto miraculo aliquam haberet similitudinem. At efficere, ut materia diu præparata semel ex sicca & nigra evadat liquida rubraque, non est imitari miracula sanguinis S. Januarii, sed imponere spectatoribus facto aliquo admodùm dissimili. An fortè credidit Neumannus, an credent alii, per annos trecentos semper aliquem fuisse Neapoli, qui talem noverat artem, qui eamdem frequenter singulis annis exercebat, ut populo universo Neapolitano, aut viris aliquot peregrinis eò accurrentibus fraudulenter imponeret? An existimare Neumannus potuit, an existimare poterunt alii, fraudem tantam Chymicorum Neapolitanorum, qui ad annos trecentos invicem successerunt, semper ignotam fuisse populo Neapolitano, aut ignotam esse

esse potuisse? Profectò si quis ea credere poterit, quæ longè magis incredibilia sunt, quàm omnia adeo exosa heterodoxis miracula, jam non solùm ob nimiam credulitatem simplex apparebit, sed dignus erit, qui cum stultis recludatur, ac vinciatur cum phreneticis.

nihil facit contra miraculum ejusdem sanguinis,

454 *Quippe constat, ampullam sanguinis* S. Januarii *tam studiosè conservari, ut ei nullo modo alia possit substitui, ut fraudi locus esse nequeat, cùm numquam ex armario suo educatur, nisi coram pluribus, iisque præclarissimis viris. Educitur autem quotannis saltem decies & octies, atque olim educta fuit frequentiùs, quando in gratiam illustrium personarum aliquando capiti opponebatur extra statа tempora. Nihil igitur fecit Neumannus, quo infirmari valeant miracula sanguinis* S. Januarii, *quando effecit, ut materia aliqua dura nigraque, quam diu in potestate habuerat, coram humano capite, cui item addere potuerat, quod cupiebat, semel rubesceret liquesceretque. Neque enim ullus ampullam Neapolitanam in potestate sua habet, aut caput* S. Januarii, *ut arte aliqua in iis præparare valeat materiam, quâ Neapolitanis omnibusque Catholicis sacrilegè illudat.*

cùm ille materiam studiosè præparaverit,

455 *Quapropter experientia illa physica Neumanni ad propositum nostrum vix pertinet. Adhibuit phialam & mortui caput. Non inquiram, utrùm caput fuerit in scenam productum, tamquam necessarium ad mutationem materiæ phialâ conclusæ, an solùm ad illudendum Neapolitanis. Si necessarium erat caput, fuerit ejusmodi materiâ instructum, ut illa præsens juvaret ad effectus in phiala productos. Si caput non erat necessarium, fuerit productum eo tempore, quo eadem in phiala fuissent mutationes sine illius capitis præsentia. Ita circulatores, ut homines rusticos facilius de-*

ci-

cipiant, nonnulla ſolent adhibere ad rem, quam moliuntur, inutilia, ut illorum, qua repreſentant, vera cauſa magis occultetur.

quod nequit fieri Neapoli,

456 *Sive autem caput concurrerit ad effectus in phiala producendos, ſive non concurrerit; hoc certiſſimum eſt, phialam materiamque eâ concluſam à Neumanno ſtudiosè fuiſſe præparatam, idemque de capite dicendum, ſi ejus præſentia erat neceſſaria. Certiſſimum ſimiliter eſt, phialam Neapolitanam, quâ recluſus eſt* S. Januarii *ſanguis, caputque ejuſdem Sancti, quod phialæ opponitur, non fuiſſe à centum & pluribus annis in poteſtate ullius hominis ſolius, nec unquam à tanto tempore eductam ex armario, duabus ſeris diverſis occluſo, niſi coram pluribus iiſque honeſtiſſimis viris, ut nullus in illa ampulla chymicus artem ſuam aut in capite exercere potuerit, & veriſimillimè numquam aut phiala aut caput* S. Januarii *in manu fuerit alicujus, qui artem chymicam probè noverat. Quis modò, niſi amens ſit, ex effectibus naturaliter productis in phiala diu præparata inferre volet, ſimiles effectus produci naturaliter in phiala ſemper arctiſſimè concluſa, quam nullus ad tales mutationes naturales præparare, aut in poteſtate habere poteſt?*

eumque mutationes, ſine lege oriri ſolitas,

457 *Jam verò ſi quis contendere voluerit, ampullam Neapolitanam ab annis trecentis aut quadringentis præparatam fuiſſe ad effectus, quos hucuſque perſeverare videmus; jam nullum habebit adjumentum ex Neumanni artificio, nec veriſimilia confinget. Quippe non oſtendit Neumannus, poſtridie materiam, quæ liquefacta erat in prima phiala, ad priorem ſiccitatem, duritiam, nigroremque rediiſſe; neque eamdem iterum ſiccam, nigram, duramque rurſum admovit capiti, ut denuò rubeſceret, liqueſceret, ebulliret. Attamen, ut ſimilitudo ut-*

utcumque perfecta eſſet, id fieri deberet, non uno ſolùm alterove die, ſed ſeculis integris. Ut autem perfecta omnino eſſet ſimilitudo, deberet materia Neumanniana aliquando citiùs, aliquando ſeriùs liqueſcere ac rubeſcere, aliquando integris diebus dura perſiſtere, aliquando etiam liquida fieri, præſente necdum capite, &, ut verbo abſolvam, omnes alias varietates ſanguinis S. Januarii *exhibere.*

458 *Verùm non eò uſque pertinget aut Neumanni aut cujuſcumque chymici peritia; cùm quilibet effectus naturales certo quodam ordine & ſtatis temporibus oriantur, niſi aliunde prohibeantur; in effectibus verò ſanguinis* S. Januarii *tot ſint varietates, ut nullum ſervent ordinem, nullam temporum rationem habeant. Voluerunt & magi Ægyptii Moyſen, divina virtute prodigia operantem imitari, ac revera imitati utcumque ſunt priora tria; ſed mox ad quartum, quod fruſtra efficere tentabant, coacti ſunt dicere Exod.* 8 ℣ 19: Digitus Dei eſt hic. *Si non eodem candore fateri voluerint heterodoxi, divina virtute ſanguinem* S. Januarii *tot ſeculis jam liqueſcere, aliiſque mutationibus affici; ſaltem fruſtra artificio humano conabuntur illum ſanguinem exprimere, quemadmodum fruſtra Moyſen imitari voluerunt magi.* nullas imitari valeat.

459 *Nihil quoque veriſimilitudinis habere poterit objectio, ſi quis, relicta Neumanni compoſitione, fingere voluerit, à pluribus ſeculis pro ſanguine* S. Januarii *obtruſam Neapolitanis fuiſſe materiam aliquam artificiosè compoſitam, quæ in armario paſſim ficca maneret ac dura, in eccleſia verò, dum capiti opponeretur, liqueſceret, rubeſceretque & ebulliret: materiam verò illam ſemper pro ſanguine* S. Januarii *habitam, effectuſque ejus naturales pro miraculis. Hæc objectio mitior eſt reliquis omnibus, quia unus tantùm fuiſſet impoſtor* Objectio alia, quæ incidere poſſet,

ſacrilegus; reliqui verò omnes fuiſſent decepti. Non inveni hanc ab alio ſic efformatam, ſed ipſe objectionem formavi veritatis illuſtrandæ gratiâ. Verùm hæc cogitatio, etſi minùs calumnietur, quàm reliquæ omnes, qua fraudem aliquam in ſanguine S. Januarii *latere contendunt, aquè eſt improbabilis ac minimè veriſimilis.*

460 *Nam primò veriſimile non eſt, eccleſiam cathedralem Neapolitanam, in qua ſacer ille ſanguis multis jam ſeculis conſervatus fuit, materiam aliam pro ſancti Protectoris ſui ſanguine accepiſſe, aut in re tam gravi fuiſſe deceptam. Secundò minùs quoque veriſimile ſit, fraude circumventam fuiſſe Neapolitanam eccleſiam, quandoquidem ſanguis ille quatuor, ut minimùm, ſeculis fuerit cultus habituſque pro ſanguine* S. Januarii. *Tertiò beneficia varia, qua venerando ſanguine* S. Januarii *obtinuerunt Neapolitani, maximè contra ignitas eruptiones montis Veſuvii, luculenter confirmant, non honorari materiam aliquam fraudulenter compoſitam pro ſanguine* S. Januarii; *ſed ipſum Sancti ſanguinem. At novi, has rationes plus ponderis habituras apud Catholicos, quàm apud heterodoxos, qui omnia poſt Apoſtolorum ſeculum patrata miracula præfractè volunt negare; ideoque ad alias progredior.*

rationibus moralibus

461 *Quartò, nullus concipiet, quo modo materia aliqua, à quatuor aut pluribus ſeculis artificiosè compoſita, ſi tot mutationibus naturalibus ſit obnoxia, ut aliàs ſit planè dura, aliàs ſanguinis inſtar recentis liquida, aliàs partim dura partim liquida, ut aliàs minoris ſit molis, aliàs longè majoris; quo modo, inquam, talis materia eaſdem ſemper vires naturales conſervare poſſit, eoſdemque per quatuor aut plura ſecula effectus producere. Certè nullus umquam repertus eſt phyſicus, qui tam mirabilem mix-*

& phyſicis

mixturam componere noverat. Hac de cauſa longè incredibilius eſt, ejuſmodi materiam compoſitam eſſe in ampulla Neapolitana, quàm in ea eſſe ſanguinem S. Januarii, *divina virtute conſervatum miraculiſque nobilitatum. Nam novimus Deum patrare poſſe miracula, ac frequenter facere. At nec novimus nec credimus, humano ingenio fieri poſſe materiam tot mutationibus motibuſque ſubjectam, & tamen poſt quatuor ſecula iiſdem viribus præditam.*

462 *Quintò ſi quis poſſet ejuſmodi materiam ad quatuor etiam ſecula & diutiùs duraturam componere; necdum poſſet illi materiæ varietates in operando adjungere, quales in ſanguine* S. Januarii *experimur. Aut enim ſic eſſet compoſita materia, ut non liqueſceret ebulliretque, niſi præſente capite; aut eoſdem effectus produceret, capite non præſente. Si primum, numquam liqueſceret materia, niſi objecta capiti, cùm tamen ſubinde contrarium accidat. Si ſecundum, conſtanter etiam ſine capite liqueſieret, cùm hoc tamen plerumque non fiat. Itaque ars nulla efficere potuit materiam, effectus ſuos ſine ulla certa lege producentem: natura enim conſtanter operatur.* refellitur,

463 *Sextò ſi modo naturali liqueſieret materia illa, quia eum in finem eſſet compoſita, id fieret ex influxu aëris, caloris, aut alterius rei naturalis, ideoque fieri deberet eadem velocitate, quotieſcumque eſt idem influxus. At nequit excogitari ulla res naturalis, quæ diverſitate ſui influxus tantas poſſet in effectibus materiæ alicujus diverſitates creare, quantas Neapolitani experiuntur in ſanguine* S. Januarii. *Neceſſe non eſt differentias omnes in liqueſcendo iterum repetere. Si influxus aëris aut caloris ad materiam diſſolvendam ac movendam concurreret, poſſet quidem efficere, ut ſanguis paulò citiùs aut ſeriùs liqueſceret. At non capimus,* ut prorſus improbabilis

quomodo tanta ex illo influxu oriri poſſit differentia, ut aliàs momento temporis diſſolvatur materia duricies, aliàs multis horis maneat dura & immota eadem materia. Minùs etiam intelligimus, quo fieri poſſet influxu, ut materia jam liquida momento temporis rurſum concreſcat, & ad duritiem redeat; deindeque iterum diſſolvatur.

& minimè veriſimilit.

464 *Ejuſmodi mutationes ſubitas non eſſe difficiles omnipotenti Deo, indubitanter novimus ex ſacris Litteris, fideque certiſſima credimus. Si verò ad cauſas naturales recurrere velimus, non minùs ferè delira proferemus, quàm protulerunt gentiles philoſophi, quando cauſas rerum naturales inveſtigârunt, omiſsâ Dei potentiâ, mundique ortum fortuito atomorum concurſui attribuerunt, aliaque multa non minùs abſurda de rebus phyſicis confinxerunt. Certè fruſtra ſudabunt, quicumque exponere voluerint, ex quibus cauſis naturalibus ortum habere poſſint omnes differentiæ ſanguinis* S. Januarii. *Itaque ſi qui heterodoxi minimè litigioſi ſint, tantumque ſaltem candoris habeant, quantum habuerunt magi Ægyptii; non dubitabunt de ſanguine* S. Januarii *dicere:* Digitus Dei eſt hîc. *Sic apud Hieronymum de S. Anna lib. 2 cap. 5 Muleaſſen, Tuneti rex, quando Neapoli anno* 1543 *videbat liquefcentem* S. Januarii *ſanguinem, alta voce exclamâſſe dicitur,* Magnum miraculum *ſe videre, & poſtea Hiſpanicè dixiſſe:* Deus poteſt majus eo facere. *Non fuit tamen ille converſus ad fidem Catholicam; ſed aliorum duorum Mahometanorum, qui idem miraculum viderant, converſio ibidem relata videri poteſt.*

Alia quædam

465 *Ex modò dictis facilè refelluntur alia quædam heterodoxorum criminationes aut cavillationes. Sic noſtro ſeculo heterodoxus quidam dixit,* Liquorem hunc aliquem eſſe congelatum, qui deinde

inde paulatim liquefiat. *Sapiùs certè ſcriptor ille glaciem vidit; ſed numquam vidit glaciem momento temporis diſſolvi ſine ulla cauſa nota, ac rurſum eodem die ſubitò concreſcere ac indurari. Numquam vidit materiam congelatam, qua media hieme ſubinde invenitur liquida, mediaque æſtate inter calores Neapolitanos poſſit perſiſtere dura. Vel ſic tamen inſtar Apollinis Delphici oraculum ex tripode fundere voluit de re ſibi veriſimiliter ignota.*

466 *Alter in impreſſa paucis abhinc annis Epiſtola credidit*, liquationem hanc contingere, quòd ſacerdotes ampullam ſtudiosè manibus contrectent. *Verùm neque ipſe ſatis noverat, qua de re ita loqueretur. Nam non rarò ſanguis in ipſo armario invenitur liquidus, aliàs frequentiùs ſtans in altari liqueſcit. Neque calor cauſa eſt liquefactionis, ut jam obſervatum eſt, ut illa manuum contrectatio nihil poſſit efficere.* heterodoxorum

467 *Garmannus lib. 2 de Miraculis mortuorum tit. 5 § 8 aliam liqueſcentis* S. Januarii *ſanguinis attulit rationem, quam an ipſe intellexerit, planè ignoro:* Fuere, *inquit*, è curioſioribus Neapolitanis, qui alia loca Neapoli ſanguinem ſudantia noſtro ſeculo, atteſtantibus id Novellis Lipſienſibus, non profuſo Januarii ſanguini, ſed montis Veſuvii exhalationibus ſubterraneis adſcriberent. *Verba ipſa adſcripſi, ut curioſus lector videat, an argumentum ex iis poſſit extundere contra liqueſcentem divinitus ſanguinem. Tria hæc ultima argumenta mihi ſuggeſſit amicus auctor Diſſertationis Ms., qui meritò obſervat, locutos fuiſſe ſtolidè de re, quam ignorabant. Certè mons Veſuvius tam vicinus non eſt Neapoli, nec ejus exhalationes ſemper tam vehementes ſunt, ut vel minimam vim exercere poſſint in ſanguinem* S. Januarii, *qui* cavillationes

media in urbe atque intra ecclesiam conservatur. Quomodo igitur sanguis durus iis posset liquescere? Si tamen hoc voluit medicus ille, qui longè plura congessit, quàm intellexit.

breviter

468 *Benedictus XIV duo alia recenset ac refutat hæreticorum dicta his verbis:* Jacobus Serces in suo tractatu de Miraculis loquitur de sanguine S. Januarii & ejus ebullitione; utque eam excludat à ratione miraculi, rem totam refert ad astutiam sacerdotum, qui ampullarum sacri cruoris & capitis sunt custodes. At quis umquam id sibi suadere poterit, astutiam videlicet potuisse latêre spatio tot seculorum, & adhuc sub eodem silentio esse involutam? *Ut calumniam illam hominis heterodoxi clarè factis ipsis refutatam videat studiosus lector, adeat § 25.*

refutantur; ostenditurque,

469 Joannes Conradus Danhawerus factum à ratione miraculi excludit ob inutilitatem. "Quæ „ enim, *inquit*, utilitas, si sanguis Januarii effluat ad „ suimet cranii præsentiam?„ At Melchior Corneus, Societatis Jesu theologus, in sua Defensione miraculorum Ecclesiæ Catholicæ, typis Moguntinis impressa anno MDCLII pag. XXXVII bene respondet, miraculum prædictum Ecclesiæ nostræ fidem conciliare, & fidei evidentiam, concludens adversus Danhawerum his verbis: "O si tu sectæ tuæ „ firmandæ par haberes argumentum, ut ampul„ lareris!„ *Si modò sensatè ratiocinari voluerint heterodoxi nostrorum temporum, satis animadvertere poterunt, perpetuis illis* S. Januarii *miraculis se ad fidem Catholicam, sive ad viam salutis suæ invitari. Tales enim habent doctores, qui sanationes ægrotorum etiam subitas, aliaque clarissima miracula, quæ per varias mundi partes in Ecclesia Catholica omni ævo patrata fuerunt, pertinaciter negare contendunt, tantâque id faciunt impu-*

pudentiâ, ut etiam clariſſimos Patres & Doctores Eccleſiæ, tamquam impoſtores, ac ſacrilegorum figmentorum reos, traducere nonnulli eorum præſumant, quando illi narrant miracula, eaque ſe etiam vidiſſe affirmant.

miracula S. Januarii utilia eſſe,

470 *Jam verò ſi Lutheri Calvinique ſectatores auctoritatem Auguſtini, Ambroſii, aliorumque Patrum, quos omnis ætas in veneratione habuit, tam procaci petulantia abjicere non verentur, facilè quilibet perſpiciet, neganda ac revera negari ab iis qualibet miracula poſterioribus ſeculis patrata, etiamſi illa narrentur à viris probis, ſinceris, ſanctis, qui apud homines cordatos certam fidem merentur, etiamſi facta ſint coram teſtibus omni exceptione majoribus, etiamſi proborum virorum juramentis firmata ſint, & in omni tribunali ab æquis judicibus ut vera eſſent admittenda. Si enim nec Auguſtinum nec Ambroſium nec alios Patres, oculos aureſque pro teſtibus allegantes, ut veraces admittere voluerint, ſperare non poſſumus, ullos alios ab iis admittendos. Et re ipſa multi ſcriptores heterodoxi omnia etiam recentiora miracula, ut figmenta, explodunt; ſuiſque perſuadere conantur, prorſus eſſe commentitia. Hoc autem facilius multis perſuadent, quòd ſanationes ægrorum, mortuorum ſuſcitationes, aliaque miracula paſſim fiant coram paucis, aliàs quidem coram multis, ſed in regionibus diſſitis à terris heterodoxorum. Si modò divina providentia ad retundendam tantam hæreticorum maledicentiam ſcaturire voluit fontem publicum perpetuumque miraculorum ex ſanguine* S. Januarii, *quis prudens dixerit, miracula illa eſſe inutilia, ideoque miracula non eſſe?*

iiſque heterodoxos ad fidem veram invitari.

471 *Quippe Chriſtum feciſſe miracula, non ſolùm ut miſeris benefaceret, ſed etiam ut incredulos ad fidem pertraheret, multis locis inſinuat ipſe*

ſe in Euangelio. Sic alloquitur Judæos Joan. 10. ℣ 38: Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: etſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre. *Hunc in finem, quando Matth.* 10 *Apoſtolos ad prædicandum mittebat*, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. *Sic Marc.* 16 ℣ 20 *Apoſtoli poſt mortem Chriſti* prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. *Jam verò conſtat, prodigio ſanguinis* S. Januarii *ſubinde uſum eſſe Deum ad converſionem infidelium ac hæreticorum. Certè illuſtris eſt converſio Guilielmi principis Saxonis-Gothani, de qua jam memini, & cujus occaſione Dialogus fuit compoſitus ac Senis impreſſus à P. Fabio Placidi Societatis Jeſu. Poſſem adjungere alium virum nobilem, in ditionibus Batavicis ad fidem Catholicam converſum, qui viſo miraculo ſanguinis* S. Januarii *primam converſionis ſuæ cauſam attribuebat. Verùm ab eo nominando abſtineo, quòd in ipſa civitate Neapoli religionem Catholicam non ſit amplexus; & procul dubio multò plures ex eo miraculo viſo ad inveſtigandam & amplectendam veritatem animum adjecerint. Mitto alias utilitates ex perpetuo illo miraculo reſultantes in ipſos Neapolitanos, & ad gloriam* S. Januarii, *ut tranſeam ad poſtremam objectionem.*

§ XXXI.

§ XXXI. Refellitur ultima objectio, contra miracula S. Januarii reliquaque omnia acriter intorta.

Vetus heterodoxorum objectio, miracula dæmoni attribuentium.

Quando laudatus princeps Saxo-Gothanus Neapoli vidit liquescentem S. Januarii *sanguinem, cum eo erat D. Gothardus Fauner, principis domui præfectus, acerque Lutheri sectator. Hic, ut habet Dialogus pag.* XI, *ubi principem eo spectaculo commotum advertit, miraculum conatus est ridere, & ad simplicitatem Catholicorum referre. Intellexit hoc, qui pro suo officio propè adstabat, eruditus canonicus Neapolitanus, D. Hector Papirius, rogavitque Faunerum, ut interim in ecclesia de simplicitate Catholicorum taceret, paratumque se obtulit ad rationem de omnibus reddendam. Itaque post modicam sermocinationem placuit principi, ut postridie convenirent in bibliotheca canonici Papirii. Convenerunt revera, cœptaque est disputatio inter Gothardum Faunerum Lutheranum & Hectorem Papirium, aliis subinde leviter interloquentibus. Faunerus, qui miraculum oppugnavit, unum dumtaxat ursit argumentum, illudque antè ab aliis heterodoxis confictum, quo prodigium liquescentis sanguinis non Deo, sed diabolo auctori attribuere contendebat, neque illud solùm, sed etiam reliqua miracula apud Catholicos patrari solita. Respondit ita Papirius, ut conversio principis, qui aderat, post paucas hebdomadas fuerit secuta, testante Dialogo pag.* XI. *Attamen non da-*

bo omnia utrimque dicta; ſed Lutherani rationes fideliter recenſebo, & ad ſingulas breviter reſpondebo, partim meis rationibus, partim recenſendo dicta Papirii.

Argumentum Lutherani contra omnia

473 *Primò objecit Faunerus, totum illud, quod fit in ſanguine* S. Januarii, *non eſſe tam arduum, ut nequeat fieri à dæmone. Noluit quidem Papirius id certò concedere: cùm tamen difficulter ſtatui poſſit, quo uſque dæmonis poteſtas in ſimilibus ſe extendat, quando non impeditur à Deo, maluit indeciſum relinquere, permittereque, ut eo tamquam vero uteretur, quàm negare. At rectè negavit, dæmonem in iis adjunctis, in quibus* S. Januarii *ſanguis liqueſcit, illud prodigium patrare poſſe; aut certè illud à viro prudente dæmoni poſſe attribui. Talia ſanè ſunt multa miracula, eaque certiſſima, & in ſacris Scripturis relata, quæ abſolutam quidem dæmonis poteſtatem non ſuperant, nequeunt tamen dæmoni ulla ratione tribui, quia aut ea facere noluiſſet dæmon, aut etiam non potuiſſet, prohibente Deo. Sic Chriſtus Dominus, quando Phariſæi calumniatores dicebant Matth.* 12, Hic non ejicit dæmones niſi in Beelzebub principe dæmoniorum; *non probat, tali potentia carere dæmonem adverſus alterum; ſed variis rationibus oſtendit, incredibilem eſſe illorum calumniam. Similiter facilè oſtenditur, prorſus incredibilem fore calumniam, ſi quis præfractè vellet contendere, prodigioſas mutationes ſanguinis* S. Januarii *dæmonis operâ fieri. Verùm audiamus priùs argumenta diſputatoris Lutherani.*

miracula exponitur:

474 *Ut ille oſtendat, non eſſe improbabilem ſuſpicionem de dæmone, ſic Italicè ratiocinatur pag.* 36, *prout reddo Latinè:* Effectus ille, ſive, ut ſic loquamur, miraculum heri à nobis viſum (*in liquefacto* S. Januarii *ſanguine*) ejuſdem eſt conditionis

cum

cum aliis miraculis, de quibus vos Catholici tantopere gloriamini. At veſtra miracula univerſim, licèt ſint, ut vos ea vocatis, ſigilla authentica religioni veſtræ impreſſa, non ſunt à manu Dei, ſed dæmonis. *Hoc commentum alio æquè inani mox probare nititur. Etenim dicit, intereſſe diaboli illa facere*, ad promovendum cultum imaginum & reliquiarum, id eſt, (*ſi credimus Lutheri diſcipulo,*) idololatriam. *Sic multos ait populos ſeduci in Indiis Orientalibus & quaſi in omnibus mundi partibus* ſolis miraculis cujuſdam Franciſci Xaverii, Jeſuitæ Hiſpani. *Optimè Faunerus imitatur Phariſæos. Hi enim ut Chriſti miracula negarent, dicebant:* Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit. *Et rurſum* ℣ 24: Nos ſcimus quia hic homo peccator eſt: *ut negarent, cæcum à Chriſto illuminatum. Æquè gratis Lutheranus fingit, cultum imaginum reliquiarumque eſſe idololatriam, ut inferat, miracula omnia, quibus cultus ille promovetur, non Dei potentiâ, ſed operâ diaboli fuiſſe patrata.*

tum illius argumenti vitia aſſignantur.

475 *Quare ad propoſitum ratiocinium obſervo primò, totum fundamentum Lutherani diſputatoris falſum eſſe, & ſine ulla probatione aſſertum. Etenim nihil attulit, ut probaret, cultum reliquiarum & imaginum eſſe idololatriam, quo tamen fundamento hæretico nititur allatum argumentum. Secundò, ſi hæretica illa doctrina, quæ falſiſſima eſt, ut videri poteſt apud Catholicos ſcriptores, qui controverſiam illam tractârunt, omnino vera eſſet, ne vel ſic quidem valeret ratiocinium ad omnia miracula dæmoni attribuendum. Neque enim omnia fiunt, adhibitis reliquiis aut imaginibus; ſed multa etiam ad preces Sanctorum viventium, aut manuum impoſitione ſuper ægros, aut modis ſimilibus patrata ſunt, quæ nulla ratio-*

ne referri poſſunt ad cultum reliquiarum vel imaginum. Multa etiam omni poteſtate damonis ſuperiora ſunt. Itaque fundamentum Fauneri non modò falſa eſt doctrina, ſed etiam, licèt illa eſſet vera, non poſſet inferri, quod ille contendit. Relicta jam falſa Lutheranorum & Calvinianorum opinione de cultu reliquiarum, quæ ab aliis ſatis refutata eſt, videamus, quàm aliunde improbabile ſit & abſurdum Fauneri de damone miraculorum auctore aſſertum.

totumque rationibus

476 *In ſacra Scriptura* 4 *Reg.* 13 ℣ 13 *hæc leguntur:* Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulcro Eliſei. Quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. *Hoc factum deſignavit Eccleſiaſticus cap.* 48 ℣ 14, *ubi de Eliſeo dicit:* Et mortuum prophetavit corpus ejus; *id eſt, virtutem propheticam, reſuſcitante Deo mortuum ad tactum ejus, oſtendit. Lubet nunc interrogare ejuſdem cum Fauneo mentis hetorodoxos, an defunctus ille, ubi tetigerat* oſſa Eliſei, *etiam per damonem fuerit reſuſcitatus. Non audebunt hoc dicere, opinor: cùm quia Scriptura contrarium ſignificat; tum quia non eſt in poteſtate damonis mortuos ad vitam revocare. Jam verò ulteriùs interrogo, cur mortuus reſuſcitari potuerit in veteri Lege ad tactum corporis Eliſei, & in nova Lege, cui majorem Deus conceſſit gratiam, ad reliquias Sanctorum miracula fieri non potuerint? Certè contrarium credidit S. Gregorius laudatus num.* 435 *ubi ait:* Ad exſtincta namque eorum *(Sanctorum)* corpora viventes ægri veniunt & ſanantur, ... deferuntur mortui, & ſuſcitantur. *Gregorio conſentiunt alii Patres, ex quibus nonnullos dedi § 29. Certè damones nequeunt mortuos ſuſcitare, nequeunt facere alia plurima miracula, quæ ſancti Patres ad*

ſa-

ſepulcra aut reliquias Sanctorum facta teſtantur. Quapropter tertiò obſervo, Faunerum non rectè dixiſſe, miraculum ſanguinis S. Januarii *eſſe* ejuſdem conditionis *cum reliquis omnibus miraculis, in Eccleſia Catholica factis. Nam inter hæc multa ſunt, quæ nulla dæmonis poteſtate fieri poſſunt ullo loco aut tempore. Hinc alii hæterodoxi, hac in parte multò impudentiores Faunero, maluerunt ſanctos Patres mendacii arguere & impoſturæ; ſed illos jam refutavi* § 29

477 *Noluit impudentem calumniam adoptare Lutheranus diſputator: ſed criſi planè mirabili opera prodigioſa, qualia in veteri Lege per prophetas, qualia deinde per Chriſtum & Apoſtolos facta novimus, qualia per credentes facienda in nova Lege Chriſtus promiſit, operanti dæmoni attribuenda contendit. Quapropter conſideremus, quàm abſurda, viroque Chriſtiano indigna, ac prorſus improbabilis ſit doctrina illa de dæmonibus omnium miraculorum, quæ in Eccleſia ſiunt, auctoribus. Chriſtus in cælum aſcenſurus Matth.* 28 ℣ 26 *dixit diſcipulis ſuis:* Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. *Quomodo Chriſtus cum Chriſtianis eſt, ſi eos decipi permiſit prodigioſis dæmonis operibus per omnia ſecula? Quotquot Chriſtiani pietate ac religione præ reliquis floruerunt à temporibus Apoſtolorum ad noſtra uſque tempora, quotquot ſancti Patres doctrinâ eminuerunt, unanimi conſenſu indubitanter crediderunt, divina virtute fieri, ut ſubinde ad preces piorum viventium, aut ad invocationem Sanctorum in cælo regnantium, aut ad contactum eorumdem reliquiarum, aliquando mortui fuerint ſuſcitati, ægri etiam immedicabiles ſubitò ſanati, dæmones expulſi, aliaque patrata miracula; qualia à Chriſto & ab Apoſtolis fuerunt facta. Si in* ex ſacra Scriptura

re tanti momenti per ſeptemdecim ſecula omnes pii fuerint decepti, quomodo Chriſtus ſemper eſt cum ſuis? Quapropter abſurdiſſima eſt, viroque prudente indigna cogitatio illa, quam ſola deſperatio heterodoxis quibuſdam ingeſſit, quòd nullam invenirent rationem, quâ negare poſſent miracula in Eccleſia Catholica patrari ſolita, ac veritatem fidei Catholicæ luculenter manifeſtantia.

petitis refutatur,

478 *Quando Matth.* XI *Joannes Baptiſta diſcipulos ſuos miſit ad Chriſtum, petiitque:* Tu es, qui venturus es, an alium exſpectamus? *Chriſtus pro reſponſo allegavit miracula, ut ſequitur:* Et reſpondens Jeſus, ait illis: Euntes renuntiate Joanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, clauni ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me. *Similia miracula omnibus ſeculis facta ſunt in Eccleſia Catholica, ut prudens lector in Opere noſtro inveniet, modò pro iis conſulat documenta meliora, dubiaque & improbabilia prætermittat. Jam verò ſi Chriſtus, qui æterna eſt Sapientia, cenſuerit, miracula ſua ſufficere, ut Joannes ipſum agnoſcere poſſet Meſſiam; quis non videat, quanta impietate, imò & ſtultitiâ, id genus miracula, dum fiunt per Chriſtianos piis operibus eminentes, aut invocato Sanctorum patrocinio, dæmoni attribuantur? Etenim, ſi veriſimile eſſet aut probabile, ejuſmodi miracula per dæmones fieri, non ſatis probâſſet Chriſtus Joanni ſua illa miracula allegando Meſſiam ſe eſſe; præſertim cùm ſciret non deſore Phariſæos impios, qui illâ uterentur calumniâ, blaſphemanteſque dicerent, ejici ab ipſo dæmones* in Beelzebub principe dæmoniorum. *Attamen variis locis eodem uſus eſt argumento. Joan.* 14 ℣ 12 *dicit Apoſtolis:* Non creditis, quia

ego

ego in Patre, & Pater in me eſt? alioquin propter opera ipſa credite. *Rurſum Joan.* 10 ℣ 37, *ad probandum Divinitatem ſuam Judæis allegat miracula ſua his verbis:* Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, etſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre. *Si ita ratiocinatur Sapientia divina, non obſtantibus Phariſæorum calumniis, omnino neceſſe eſt dicere, miracula ipſius ſuffeciſſe, ad fidem certam doctrinæ ejus conciliandum, eoſque graviter peccâſſe, qui doctrinæ ejus miraculis probatæ fidem habere noluerunt.*

479 *Hoc ipſum Chriſtus variis locis manifeſtum facit. Nam Joan.* 10 ℣ 25 *dicit Dominus:* Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me. *Joan.* 5 ℣ 33 *ait Dominus ad Judæos:* Vos miſiſtis ad Joannem: & teſtimonium perhibuit veritati.... Ego autem habeo teſtimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea; ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia pater miſit me. *Nullum igitur eſt dubium, quin miracula ſufficienter Chriſti doctrinam probaverint. Hinc graviter peccaverunt, qui doctrinam tot miraculis confirmatam noluerunt admittere, ut ipſe Dominus rurſum teſtatur Joan.* 15 ℣ 24 *his verbis:* Si opera non feciſſem in eis, quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent. *Matth.* XI ℣ 21 *graviſſimam comminatur pœnam illis civitatibus, in quibus plura facta erant miracula, nec tamen erant converſa.* Væ tibi Corozain, *inquit*, væ tibi Bethſaida: quia, ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Verumtamen dico vobis: Tyro & Sidoni remiſſius erit

ut prorſus improbabile.

erit in die judicii, quàm vobis. Et tu Capharnaum, numquid uſque in cælum exaltaberis? Uſque in infernum deſcendes: quia, ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent uſque in hanc diem. *Ex hiſce abundè liquet, graviter peccâſſe eos, qui miraculis Chriſti noluerunt converti, ejuſque doctrinam admittere, quamtumvis ſcribæ & phariſæi, qui aliàs Judæorum doctores erant, ea omnibus modis conarentur obſcurare, atque etiam auctori diabolo attribuere. Si autem graviter peccaverint, qui miracula Chriſti contempſerunt, ut indubitatum eſt, quis prudenter credere poterit, Deum deinde permiſiſſe, ut eadem paſſim operaretur damon; iiſdemque ſignis, quibus Chriſtus & Apoſtoli mundum convertere ſtuduerant, damon uteretur ad mundum decipiendum ac pervertendum?*

Reſpondetur ad alias

480 *Verùm, objicit diſputator heterodoxus pag.* 37, *permiſit Deus inter gentiles, ut damon oracula ederet, cur igitur non permittat, ut apud Catholicos miracula patret ad eos decipiendos? Reſpondeo, inutile prorſus eſſe illud ratiocinium. Etenim mirari non poſſumus, gentiles dæmonum oraculis fuiſſe ludificatos, idque Deum permiſiſſe; cùm illi dæmones impiè colerent. Ob hanc enim impietatem permiſit Deus, ut in turpiſſima inciderent peccata, uti fusè proſequitur Apoſtolus ad Romanos ſcribens cap.* 1: Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt *&c. Verumtamen oraculis gentilium nihil fuit inanius. Non noverat damon futura prædicere, eaque de cauſa dabat reſponſa ambigua, quibus illudebat gentilibus, aut aliquid ex conjectura de rebus futuris dictitabat, ut varii auctores probaverunt, & videri poteſt apud Benedictum XIV in Opere jam ſæpe laudato lib.* 3 *cap.* 46. *Quapropter oracula dæmonum*

nihil

nihil faciunt ad propoſitum: neque enim Chriſtiani colunt aut conſulunt dæmonem, ut ea impietate mereantur ab ipſo ludificari: ſed Deum orant, ne dæmonis fraude decipiantur, aut ad peccatum pertrahantur. Joannes apoſtolus Epiſt. 1 cap. 3 ℣ 8 ait: In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli. *Quomodo hoc eſſet verum, ſi tantam per ſeptemdecim ſecula poteſtatem exercuiſſet dæmon, ut miracula Chriſti & Apoſtolorum eſſet imitatus, iiſque omnes pios multoſque ex iis doctiſſimos conſtanter decepiſſet? Inſani cerebri eſt ſimilia aſſerere, cùm numquam dæmon ejuſmodi poteſtatem in veteri Lege habuerit, numquam habiturus ſit in Lege nova. Quod* ſatanas transfigurat ſe in angelum lucis, *ut habet Apoſtolus 2 Cor. XI ℣ 14, & etiam objicitur, veriſſimum quidem eſt, ſed ad propoſitum non facit; cùm ita id facere nequeat, ut vera patret miracula.*

heterodoxi cavillationes,

481 *Quod Matth. 24 ℣ 24 de Antichriſti temporibus dicitur, nihilo magis obeſt veritati miraculorum Eccleſiæ Catholicæ. Dicit quidem eo loco Dominus:* Surgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ: & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, (ſi fieri poteſt) etiam electi. *At illa dæmonis poteſtas non diu durabit. Nam ℣ 22 dicitur:* Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos breviabuntur dies illi. *Hæc ipſa ſanè deſtruunt objectionem heterodoxi: nam breve erit tempus, quo Deus permittet, ut* ſigna magna & prodigia *fiant operâ dæmonis. At miracula Catholicæ Eccleſiæ jam ſeptemdecim ſeculis continuata ſunt. Quare Chriſtus prædicendo ad breve tempus permittenda* ſigna magna & prodigia *dæmonis; ſimul inſinuavit, ægrorum ſanationes, dæmonum expulſiones, aliaque Eccleſiæ miracula, quæ multis ſecu-*

lis continuata ſunt, non damonis, ſed ſua poteſtate patrata eſſe, præſertim cum prædixerit ejuſmodi gratiam credentibus impertiendam.

& dicta firmantur.

482 *Imò non ſolùm promiſit Chriſtus gratiam miraculorum credentibus; ſed iis etiam veram doctrinam confirmat, teſte Marco cap.* 16 ℣ 20: Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. *Apoſtolus quoque in Epiſtola ad Hebræos cap.* 2 ℣ 4 *obſervat, doctrinam Chriſti confirmatam eſſe,* conteſtante Deo ſignis & portentis, & variis virtutibus. *Quare, cùm & miracula fecerit Chriſtus ad convertendos Judæos, eamdemque miracula patrandi gratiam & Apoſtolis dederit, & credentibus promiſerit, iiſdemque doctrinam Chriſtianam confirmaverit, non videtur ſana mentis eſſe eorumdem auctorem facere velle damonem. Numquam permittet Dominus, ut in teſtimonium falſæ religionis vera miracula faciat damon, quemadmodum ſatis liquet ex ſacerdotibus Baal* 3 *Regum* 18, *qui provocati ab Elia, ut ignem divinitus impetrarent ad incendendum ſacrificium, nihil efficere potuerunt; cùm tamen Elias ſuis precibus ignem mox impetraverit.*

Cur heterodoxi miracula

483 *Forſan mirabitur lector, in examinanda ultima hac objectione ferè tantùm eſſe diſputatum de miraculis generatim, non verò ſpecialiter de miraculo liqueſcentis* S. Januarii *ſanguinis. At noverit, me fideliter attuliſſe rationes ab heterodoxo diſputatore propoſitas; neque eum ſpeciali aliquo argumento oppugnâſſe prodigium illud continuum Januariani ſanguinis, de quo agimus. Et ſanè, quantùm conjicio, non inficiarentur heterodoxi, divinitus liqueſcere & ebullire* S. Januarii *ſanguinem, niſi omnia Eccleſiæ Catholicæ miracula negare vellent, quod tamen tentant diverſis modis: nam a-*

lii

lii omnibus ſcriptoribus, ipſis etiam ſanctis Patribus, ut vidimus, fidem impudenter abrogant; alii non minùs impiè omnia dæmonibus attribuunt. Hiſce pro inſtituto noſtro ſatis me reſpondiſſe confido: nam videri poſſunt ſcriptores, qui de miraculis tractant, ſi quis copioſiùs totam illam controverſiam diſputatam videre deſiderat.

484 *Miraculis* S. Januarii, *ut jam dixi, veriſimiliter ſe non opponerent heterodoxi, niſi omnia prorſus Catholicorum miracula vellent negare: hæc verò non negarent omnia, niſi cogerentur fateri, per novos ſuos apoſtolos, Lutherum & Calvinum, nulla umquam patrari potuiſſe. Si talia Lutherus in Germania, Calvinus in Gallia, patrare potuiſſent, qualia eodem ſeculo S. Franciſcus Xaverius patravit in variis Indiarum provinciis, quando ibidem fidem prædicavit, innumeroſque homines ab idololatria abſtraxit,* Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis; *nullus heterodoxorum, ut certò mihi perſuadeo, dæmonem faceret miraculorum auctorem, nullus fidem probis ſcriptoribus omnibuſque Patribus abrogaret, nullus dubitaret, quin promiſſio Chriſti de miraculis credentium ad noſtra uſque tempora perſeveraret, effectumque ſuum haberet. Verùm, etſi nolint illa fateri heterodoxi, quòd videant miraculis confirmari veritatem fidei Catholicæ, & novas ſuas opiniones conſequenter damnari; veriſſima tamen ſunt ac prorſus indubitata.* *negare videantur.*

485 *Ceterùm cum Catholicis, qui gratiam miraculorum ſublatam ab Eccleſia non exiſtimant; ſed non ſatis habent perſpecta, quæ fiunt in ſanguine* S. Januarii, *pauca etiam breviſſimè diſputare lubet. Nulla eſt ratio dubitandi, quin ſit caput & ſanguis* S. Januarii, *quæ pro talibus Neapoli à multis jam ſeculis ſervantur, & fidelium veneration ex-* *Catholici nonnulli de miraculo dubitârunt,*

ponuntur, quandoquidem nullus umquam illas reliquias aliis locis adſcripſerit; earumque maximè causâ factum videatur, ut cultus S. Januarii *maximè Neapoli ſit auctus, iis etiam ſeculis, quibus Sancti corpus Neapoli non ſervabatur. Nulla ſimiliter dubitandi eſt ratio, quin divina virtute fiat, ut ſanguis* S. Januarii *coram ejuſdem capite paſſim liqueſcat & bulliat, cùm id fieri divinitus crediderint omnes viri doctrinâ & ſanctitate illuſtres, qui à tribus ſaltem ſeculis miraculum iſtud oculis ſuis luſtrare potuerunt.*

quòd omnia non haberent perſpecta.

486 *Si qui verò de eo dubitârunt Catholici longè diſſiti, id unicè factum exiſtimo, quòd nollent certum ferre judicium de re, quam numquam viderant, aut quam numquam intellexerant ex iis, qui viderant, aut etiam quòd omnia ad miraculum iſtud ſpectantia non ſatis eſſent edocti. Sabbatinus ad* XIX *Septembris pag.* 136 *diſſertationem ſuam de ſanguine* S. Januarii *concludit verbis, qua Latina facio:* Novi, multos extraneos, etiam Catholicos, aut dubitâſſe de miraculo, aut illud non credidiſſe, priuſquam id ipſi viderant. Verùm cùm frequenter cum iis fuerim in magno Theſauri ſacello, eoſque ad ipſum attentè conſiderandum induxerim, cognoverunt, de Sancti miraculo dubitari non poſſe, nec id eſſe, quod ullo modo cauſæ naturali poſſit attribui. Et ſic, re viſa, mecum locuti ſunt, reſolutionem ſanguinis ſaltem dicendam eſſe prodigioſam; neque ullum reperiendum, qui, obſervato facto, valeret invenire rationes, quibus in dubium revocaretur *Ita ille cum aliis pluribus, quos ipſe Neapoli loquentes audivi, & rectiſſimè meo quidem judicio. Etſi enim quaſlibet objectiones diligenter quaſiverim, & nullam ex inventis, qua vel ſpeciem aliquam haberet, prætermi-*

miſerim, nullam tamen inveni veriſimilem aut probabilem.

487 *Ceterùm Putignanus non ſolùm agit de liqueſcente* S. Januarii *ſanguine, ſed eumdem quoque ſanguinem præſagientem exhibet lib. 2. Hoc certum eſt, Neapolitanos in ea eſſe opinione, & jure quidem merito, ut favorem* S. Januarii *ſibi promittant, ac protectionem ejus ſibi non defuturam ſperent, quando ſanguis* S. Januarii, *coram capite poſitus, citò diſſolvitur jucundoque cum colore fit fluidus: eoſdem verò vehementer timere, dum durus immotuſque perſeverat. Verùm, cùm & alia plurima accidant ſanguinis mutationes, ex quibus vel in ſpem eriguntur, vel metu concutiuntur, mihi de omnibus iſtis diſſerere non lubet. Videri itaque poterit Putignanus, ſi quis plura de iis legere deſideret. Nam vereor, ne multi exiſtiment, me in hiſce jam juſto fuiſſe prolixiorem.*

Sanguis S. Januarii præſagiens.

ACTA

Auctore anonymo

Ex codice noſtro Ms., & altero Rubeæ vallis, collatis cum aliis Mss. & editis.

TEmporibus Diocletiani *a* imperatoris, conſulatu Conſtantini *b* cæſaris quinquies, & Maximiani cæſaris ſexies *c*, erat perſecutio *d* Chriſtianorum. Eo tempore convocans Diocletianus imperator Timotheum quendam paganum *e*, Cam-

a
b
c
d
e

Captis antè & carceri Puteolano traditis Sosio & tribus aliis,

paniæ præſidatum agere, & ſecundum decreta ipſius impiiſſimi Diocletiani ſacrificia idolis immolare, & omnes, qui in Chriſtum crederent, ad ſacrificia ſimulacrorum convertere. Factum eſt autem, dum ex more inviſeret civitates, venit in civitatem Nolam *f*. Tunc jubet tyrannus Timotheus officium præſentari ſibi. Quibus præſentibus, inquirere cœpit ab eis judicia diverſorum anteceſſorum ſuorum. Cui omnium officium obtulit geſta præſidum. Inter quæ * cùm ventum eſſet ad geſta beatiſſimorum martyrum Soſſii *g* Miſenatis eccleſiæ diaconi, & Proculi Puteolanæ civitatis diaconi, & Euticetis & Acutii, eo quòd in * nomine Chriſti diverſis ſuppliciis maceratos, judex *h* juſſiſſet retrudi * in carcerem, requiſivit officium, quid de eis fuiſſet factum. Reſponderunt dicentes, multum eſſe temporis, quòd * in civitate Puteolana detinerentur in vinculis: & adjecerunt, diffamantes opinionem beatiſſimi Januarii Beneventanæ civitatis epiſcopi. Ipſe autem iniquiſſimus Timotheus, audiens opinionem ſancti martyris Januarii, eum ſibi exhiberi *i* juſſit.

* *al.* quos

g

* *al.* pro

h

* *al.* recludi in carcere

* *al.* quo

i

Januarius Nolæ interrogatus, & carceri inclusus,

2 Cúmque fuiſſet præſentatus Nolæ ante tribunal præſidis, Timotheus præſes dicit ei: Januari, audiens, (inquit) opinionem generis tui, hortor te, ut ſecundum decreta invictiſſimorum principum accedens, ſacrifices * diis. Si autem nolueris, adhibeam * tibi tormenta horrifica, quæ te fortiter laniabunt. Quæ tormenta dum Deus tuus, quem colis, viderit, pertimeſcet *k*. Sanctus autem Januarius reſpondit: Obmuteſce, infelix, & noli in auribus meis Creatori tantam injuriam facere *, qui condidit cœlum & terram; ne audiat Dominus Deus hanc tantam blaſphemiam, quæ per os tuum procedit, & interficiat te: & eris mutus & ſurdus, non audiens, & ſicut cæcus non videns.

* *in Ms.* ſacrifica

* *al.* adhibebo

k

* *al.* tam inepta proferre

Hæc

Hæc audiens tyrannus Timotheus, ſancto Januario dicit: Numquid poteſtati *, tuæ eſt, ut, quibus volueris maleficiis, prævaleas mihi tu, aut Deus tuus? S. Januarius reſpondit: Poteſtas mea nihil eſt: ſed eſt Deus in cælo, qui poteſt tibi reſiſtere, & omnibus, qui obaudiunt & conſentiunt tibi. Et hæc cùm dixiſſet, juſſit eum tyrannus Timotheus in carcerem recipi.

* *al.* poteſtatis

in camino ardenti manet illæſus.

3 Et iratus vehementer, juſſit per triduum caminum ſuccendi, & illic B. Januarium projici præcepit. Sanctus ac beatiſſimus Januarius crucem Domini in fronte fixit, & ingemiſcens in cælum ſurſum ſuſpexit, & expandens manus, ingreſſus in caminum ignis ardentis, Dominum Salvatorem omnium Creatorem conlaudabat, dicens: Domine Jeſu Chriſte, propter nomen tuum ſanctum hanc paſſionem libenter amplector, & omnem promiſſionem, quam diligentibus te promiſiſti, exſpecto. Exaudi me orantem ad te, & eripe me de hac flamma, qui adſuiſti tribus pueris in camino ignis ardentis, Ananiæ, Azariæ, & Miſaheli, adeſto nunc mihi in confeſſione iſta, ut eripias me de manu inimici hujus. Et hæc dicens, cœpit B. Januarius in medio fornacis ignis cum ſanctis angelis deambulare, benedicens Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Cùm audiſſent milites, qui circa fornacem fuerunt *, S. Januarium de camino Dominum conlaudare, timuerunt timore magno, & curſum * rapidiſſimum arripientes, nunciaverunt præſidi, dicentes: Rogamus te, domine præſes, ne indigneris nobis: audivimus enim vocem Januarii de camino, invocantem * Dominum ſuum, & magnopere perterriti in fugam converſi ſumus. Timotheus verò præſes audiens, juſſit caminum ignis operire *. Et cùm apertum * fuiſſet, eructavit flamma ignis, & devoravit incredulam gen-

* *Chioc.* erant

* *in Ms. noſtro* curſu *mendoſè*

* *al.* invocantis

* *al.* aperiri

* *al. melius* apertus

gentem paganorum, qui circa fornacem fuerunt: Sanctus autem Januarius apparuit in medio flammæ ignis *l*, glorificans Dominum Jesum Christum, ita ut neque vestimentis ejus, neque capillis ejus ignis potuerit dominari.

l

4 Timotheus verò, cùm hæc audîsset, jussit eum suis aspectibus præsentari, cui & dixit: Quid est hoc, Januari, quòd prævaluerunt* magiæ tuæ, quas facis? Variis tormentis te faciam interire. Beatissimus Januarius respondit: Numquam bene tibi sit, ô incredule *tyranne, ut à veritate Christi alienetur Servus ejus, aut pertimescens faciam, quod dicis. Ego autem in Domino sperabo: non timebo, quid faciat mihi homo. Et hæc dicens, jussit eum præses in custodiam reduci. Alia verò die mane facto, jussit Timotheus præses in foro ejusdem civitatis tribunal sibi parari, & sedens pro tribunali, B. Januarium ante suum conspectum adduci præcepit. Cúmque præsentatus fuisset, Timotheus judex dixit ad eum: Quo usque, infelix, non consentis sacrificare invictissimis & immortalibus diis? Accede jam, & thura offer. Si autem nolueris, gladio te jubeam* interfici: &, si potest, Deus tuus liberet te de manibus meis. Sanctus autem Januarius dicit ei: Tu nescis, quia potentia Dei magna est. Utinam temet ipsum ad pœnitentiam perduceret, ut vel sic indulgeret tibi Deus meus, de quo dicis, impotentem esse liberare me de manibus tuis. Sed, cùm hæc dicis, thesaurizas tibi iram in die iræ. Præses audiens, & non tolerans hunc sermonem, jussit, ut nervi ejus à corpore excluderentur *m*. Beatissimus autem Januarius orabat, ad Dominum dicens: Domine Jesu Christe, qui ab utero matris meæ non me dereliquisti usque in finem, ita & nunc exaudi Servum tuum ad te clamantem, & jube me istud sæculum derelinquere,

Alio rursum modo Sancti constantiâ probatâ,

* *al.* prævaluerunt

* *al.* crudelis

* *al.* jubeo

m

quere, & ad tuam misericordiam pervenire. Hæc cùm orâsset B. Januarius, jussit eum præses in carcerem recipi, cogitans, quemadmodum perderet eum.

5 Recluso itaque beatissimo Januario martyre in ardua * custodia carceris, à militibus custodiebatur. Quod dum duo ex clero ejus, id est, Festus diaconus & Desiderius lector, cognovissent *, quia beatus Januarius episcopus carceri fuisset mancipatus, inflammati à Spiritu sancto, statim exeuntes de civitate Beneventana, venerunt in civitatem Nolanam, ubi S. Januarius episcopus ab impiissimo Timotheo in vinculis tenebatur, aiebant * flentes & dicentes: Quare tantus ac talis Vir tenetur in vinculis? Quid enim criminis admisit? Ubi non subvenit periclitantibus? Quis enim ab eo æger visitatus, non statim salvatus est? Quis ad eum tristis advenit, & non gaudens discessit? Mox eorum verba ad judicem perlata sunt *. Quod dum Timotheus judex audisset: summa festinatione jussit eos teneri, & cum B. Januario martyre sibi præsentari. Quibus præsentatis *, Timotheus judex dixit B. Januario: Qui duo * sunt isti? S. Januarius respondit: Unus diaconus meus est, & alter lector. Judex dixit: Et ipsi Christiani * se esse manifestant? S. Januarius respondit: Etiam. Nam, si eos interroges, spero in Domino meo Jesu Christo, quia nec ipsi se esse Christianos negabunt. Qui interrogati à judice, dixerunt: Christiani sumus, & parati sumus mori propter Dei amorem.

captisque Festo & Desiderio,
* *al.* arcta
* *al.* audissent
**al.* agebant
**al.* pervenerunt
* *al.* præsentibus
* *al.* tui
* *al.* Christianos

6 Tunc Timotheus præses irâ repletus, S. Januarium episcopum unà cum Festo diacono & Desiderio lectore, ferro vinctos jussit ante currum suum protrahi in civitatem Puteolanam, constituens [ut] unà cum sanctis Martyribus, quos [illic]

hi tres ducuntur Puteolos: tum cum aliis quatuor feris exponuntur.

lic] in vinculis cognoverat detineri, id eſt, Soſſium * Miſenatis eccleſiæ diaconum, & Proculum Puteolanæ eccleſiæ diaconum, & duobus * laicis Eutice & Acutio, ad urſos traderentur. Et cùm in civitatem Puteolanam perducti fuiſſent, juſſit eos Timotheus in cuſtodia recipi, & alia die arenam * parari, ut unà cum ſanctis Martyribus ad urſos traherentur. Qui dum recluſi fuiſſent, oſculabantur capita omnium Sanctorum. Beatiſſimus martyr Januarius exhortabatur eos, dicens: Benedictus Dominus Deus, qui facit mirabilia magna ſolus: qui me huc direxit, ut nec Paſtor ſine grege, nec grex ſine Paſtore *n* divelli videatur. Alia verò die ſecundum juſſum judicis paratur arena in civitate Puteolana. Adducuntur Sancti ad amphitheatrum *o*. Veniens autem impiiſſimus Timotheus præſes, ſedens in ſpectaculo, juſſit feras laxari. Cúmque fuiſſent dimiſſæ; S. Januarius, ſicut bonus paſtor, in medio eorum poſitus, ait: O fratres, arripite ſcutum fidei, & exclamemus ad Dominum adjutorem noſtrum, in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Ita verò adfuit miſericordia Domini, ut ante pedes B. Januarii martyris, acſi oves, capite dimiſſo ipſæ feræ adcurrerent. At judex inſanus, non credens, amotis feris, juſſit Sanctos Dei de amphitheatro tolli, & in foro adduci.

al. Sofio *&c.*
* *al.* duos *conſequenter*
* *in Ms. noſtro* arena *mendosè*
n
o

7 Qui ſedens pro tribunali, dictabat ſententiam, dicens: Januarium epiſcopum, Soſſium, Proculum & Feſtum diaconum *, & Deſiderium lectorem & Euticetem & Acutium cives Puteolanæ civitatis, qui ſe Chriſtianos eſſe profeſſi ſunt, & deorum libamina, vel imperatoris * præcepta contempſerunt, capite cædi jubemus. Beatiſſimus autem Januarius, aſpiciens in cælum, dixit: Domine Jeſu Chriſte, qui deſcendiſti de altiſſimis pro redemptione humani generis, erue me, & libera me

Sancti à feris illæſi, capite damnantur: judex fit cæcus,
* *al.* diaconos *aut* diaconos
* *al.* imperatorum

me de manu inimici hujus: & deprecor te, Deus meus, ut ulciſcaris in tyrannum Timoth eum, quæ geſſit in me ſervum tuum, ut eruas, & evellas, & obcæces oculos ejus, ut non videat lumen cæli. Et cùm compleviſſet orationem S. Januarius, ceciderunt nebulæ in oculos ejus, & ſubitò factus eſt cæcus. Tunc oravit S. Januarius ad Dominum, & dixit: Gratias ago tibi, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui exaudiſti Servum tuum, & diſperdidiſti oculos Timothei impii, quia multæ animæ propter ipſum ad perditionem dæmonum converſæ * ſunt. Tunc Timotheus tyrannus invalidis oculis cruciabatur, & dolor magnus in eo adcreſcebat. Converſus clamare cœpit & dicere officio: Citiùs euntes Januarium ad me revocate. Euntes verò miniſtri, invenerunt illos à carnificibus per clivum, qui ducit ad ſulphurotaria *p*, trahere *. Vocantes verò Januarium, ſtatuerunt eum ante præſidem: totus quippe ad ſpectaculum populus utriuſque ſexus confluebat.

* *in Mſ. noſtro* converſi

p

* *al.* trahi

8 Timotheus verò cum ingenti rugitu cœpit clamare & dicere B. Januario: Januari ſerve Dei excelſi, ora Dominum Deum tuum pro me cæco, ut poſſim recipere lumen, quod amiſi. Tunc S. Januarius, erigens oculos in cælum, dixit: Deus * Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, exaudi orationem meam, & jube Timotheo indigno oculos reſtituere*, ut ſciat omnis populus, qui adſiſtit, quia tu es Deus, & non eſt alius præter te: nos enim malum pro malo non reddimus. Et cùm complêſſet orationem S. Januarius, aperti ſunt oculi ejus *q*. Videns autem turba mirabilia, quæ per B. Januarium martyrem Dominus operatus eſt, multi ex circumſtantibus crediderunt in Dominum Jeſum Chriſtum, animæ ferè quinque milia, cla-

& ſanatur: multi convertuntur:

* *al.* Domine Deus

* *al.* reſtitui

q

mantes, atque hujuſmodi dantes voces ad cælum: Non timeatur * Deus, ne * tanti ac talis Viri vindicet mortem, & omnes nos pariter pereamus? Erat autem ipſe beatiſſimus Januarius & corpore & mente pulcherrimus. Tunc impiiſſimus Timotheus præſes, videns tantam turbam converſam ad Dominum, turbatus eſt, & ne famulus Domini Januarius coronâ fraudaretur, timens juſſa principum, juſſit præſes militibus ſuis, ut eum celeriter traherent, & ſanctum Martyrem * decollarent.

* *in Ms. noſtro* timetur
* *ibid.* nec

* *al.* cum SS. Martyribus *viſio & mors matris S. Januarii:*

9 Qui cùm omnes ad martyrium ducerentur, quidam ſenex pauperrimus, ſperans beneficia S. Januarii *, oppoſuit ſe B. Januario, pervolutus pedibus ejus, rogans eum, ut aliquid de veſtimentis ejus mereretur accipere. Beatus verò Januarius dixit ſeni illi: Pòſt, depoſito meo corpore *, orarium meum, de quo mihi oculos ligaveram, ſcias ipſum me tibi eſſe daturum. Mater quoque S. Januarii, in civitate Beneventana poſita, ante triduum, quàm Filius ejus pateretur, tale ſomnium vidit, quòd Januarius epiſcopus in aëre ad cælum volabat, & cùm de ſomno * hæſitaret & interrogaret, ſubitò nuntiatum eſt, quid vellet eſſe r, & à quodam, quòd filius ejus Januarius propter Dei amorem in vinculis teneretur. At illa perterrita, proſternens ſe Domino, in oratione, ſanctum reddidit ſpiritum.

* *al.* ſe aliquid beneficii recepturum
* *al.* poſt decollationem

*al. ſomnio

r

10 Interea Sancti dum perveniſſent ad locum, ubi decollandi erant, id eſt, ad Sulfurotaria, S. Januarius flectens genua ſua ad orationem, dicebat: Domine Deus omnipotens, in manus tuas commendo ſpiritum meum: & erigens ſe, accepto orario ſuo, oculos ſuos ligavit: & flectens genua ſua, manum cervici oppoſuit, & ſpiculatorem, ut feriret, rogavit. Spiculator autem cum magna virtute percutiens, digitum manûs ſancti

Sanctorum martyrum:

mar-

martyris Januarii ſimul cum capite abſcidit. Similiter & omnes ſancti Martyres ſuſceperunt coronam ſempiternam. Sanctus autem Januarius poſt decollationem ſuam apparuit ſeni illi evidenter, orarium, unde ſibi oculos ligaverat, ſicut promiſerat deprecanti, afferens: cuique dixit: Ecce quod tibi reddi debebam * tolle, ſicut promiſi tibi. Ille, accepto orario, cum ſummo honore abſcondit in ſinum ſuum. Spiculatores autem & alii duo de officio, videntes ſenem, irridebant, dicentes ei: Accepiſti, quod tibi promiſerat ille, qui decollatus eſt? At ille dixit: Etiam. Et oſtenſo eis orario, recognoverunt eum *, & admirati ſunt. Eodem verò die, quo B. Januarius cum ſanctis Martyribus decollatus eſt, Timotheus crudeliſſimus torqueri crudeliter cœpit, & voce magna clamat *, dicens: Crucior ego miſer propter ſervum Dei Januarium. Væ, inquit, mihi, quòd multam impietatem * in Dei ſervum Januarium ingeſſi *: has pœnas recipio: angeli autem Dei cruciant me. Et cùm diu torqueretur, emiſit ſpiritum.

11 Chriſtiani autem diverſarum urbium cuſtodiebant corpora Sanctorum, ut ea *f* noctu raptim tollerent, & in civitatibus ſuis *t* portarent. Et cœperunt occultè ſolliciti obſervare: & facta nocte, univerſis dormientibus ſilentio * noctis horâ, apparuit S. Januarius uni eorum, qui parati erant corpus ejus tollere, & dicit ei: Frater, cùm corpus meum tuleritis, & digitum manus meæ illo locò exiliſſe cognoſcite. Requirite eum, & pariter cum corpore meo ponite. Et ita factum eſt, ut Sanctus ipſe ammonuit. Corpora autem Sanctorum jacuerunt *u* ad Sulfurotaria *x*, ubi poſtea dignam beati Januarii martyris baſilicam condiderunt *y*.

* *al.* promittebam *ſine* reddi *quod* reddendat

* *al.* illud *rectiùs*

* *al.* clamabat

* *al.* multa impietate

* *al.* exercui

corpora à Chriſtianis rapta & ſepulta.

f

t

* *al.* ſilentii

u x

y

ANNOTATA.

a *In Ms. Rubea Vallis*, Diocletiani & Maximiani impp.

b Conſtantini *ubique legitur in Mss & editis, etiam apud Mazochium : legendum tamen* Conſtantii.

c *In pleriſque Mss.* ſepties, *etiam apud Mazochium : ſed legendum* quinquies. *Nam quintum conſulatum Conſtantius & Galerius Maximianus ſimul geſſerunt anno* 305, *quo paſſim figitur Sanctorum noſtrorum martyrium.*

d *In aliis*, perſecutio ingens, *in aliis* maxima.

e *Aliàs additur*, crudeliſſimum, *& mox* juſſit. *Sequuntur & alia ſubinde leviuſcula differentia ; ſed eas, ubi ſenſum non mutant, inobſervatas deinde relinquam, & codicem noſtrum ſequar, niſi mendoſus videatur codex, qui aliàs optima nota videtur & ſeculo 9 ſcriptus.*

f *Nota eſt, & epiſcopalis civitas Campaniæ, olim ampla, nunc minor, ſitaque ferè inter Neapolim & Beneventum.*

g *In aliis quibuſdam* Soſii. *Miſeni civitatis dirutæ ſitum vide in tabula prævia, uti & civitatis Puteolanæ mox ſequentis.*

h *Dracontius nimirum, Timothei deceſſor, ut habet Joannes Diaconus.*

i *Hæc ita narrantur, acſi Nolæ fuiſſet Sanctus : nec tanta inter Nolam & Beneventum eſt diſtantia, ut id ſit incredibile.*

k *Tam hæc allocutio præſidis, quàm ſequens reſponſio* Januarii, *potiùs ſunt ſcriptoris, quàm illorum. Quales ſunt & plures, imò fortaſſe omnes his Actis inſerta. At ex libertate ſcriptoris ſermocinationes comminiſcendi, quæ pleriſque ſcriptu-*

ptoribus profanis & multis etiam biographis, aliiſque ſcriptoribus Chriſtianis, ferè communis eſt, nemo rectè inferet, facta ſimiliter ab ipſis conficta.

l *Cùm conſtet, S. Joannem Apoſtolum vaſi injectum olei ferventis, S. Laurentium in craticula aſſatum, alioſque martyres aliis affectos tormentis crudeliſſimis; non debet incredibile videri,* S. Januarium *injectum fuiſſe in caminum, quem Nolani apud ſe etiamnum exſtare credunt; ut dictum in Commentario num.* 190. *Poteſt tamen dubitari, an non aliqua adjuncta nimiùm exornaverit auctor.*

m Excluderentur *legitur in Ms. noſtro, in Mss. Aurea Vallis & Augiæ divitis, uti & apud Falconium & Chioccarellum. In Neapolitano apographo, per Beatillum huc olim miſſo,* ſepararentur. *Ms. Trevirenſe S. Maximini habet: Juſſit,* ut nervi ejus ab invicem diſſolverentur. *Plerique ſcriptores Neapolitaniſatis probabiliter intelligunt vehementem in equuleo extenſionem, quâ* nervorum campago artuumque *ſolveretur, ut loquitur Breviarium Romanum. Fortè tantùm vincula ſolvi juſſerit præſes, acſi ſtatim fuiſſet occidendus: nam* nervi *etiam vincula ſignificant. Certè Acta* S. Proculi, *infrà danda, num.* 4 *locum ita exponere videntur.*

n *Hæc ita nequeunt intelligi, ut* S. Januarius *cenſeatur omnium illorum Martyrum fuiſſe epiſcopus. Nam, etſi quis vellet exiſtimare, nec Miſeno nec Puteolis proprium eo tempore fuiſſe epiſcopum, quod non admittent pro ſua civitate Puteolani; certè illis civitatibus propinquiores erant Neapolis & Capua, quæ ſuos habebant epiſcopos, nec Miſenates & Puteolani fuiſſent ſub epiſcopo Beneventano. Verùm, ut jam monui, dicta Actis inſerta non ſunt tam accurata, ut ad ea multùm attendere oporteat.*

o *De amphitheatro Puteolano, quod antiquis tem-*

temporibus famoſum fuit, ſed poſterioribus ſeculis ruinam paſſum eſt, ita ut ferè totum terræ motibus fuerit obrutum, conſuli poteſt Scipio Mazella in Antiquitatibus Puteolorum cap. 6. Attamen poſtea unà cùm carcere decoratum eſt, ut dixi in Commentario num. 190. *Situm ejus extra civitatem vide in tabula noſtra prævia.*

p Sulphurariam *dicit. Conſule de loco dicta in Commentario* § 7 *&* § 12, *& tabulam Commentario præpoſitam. Apud Chioccarellum legitur* Sulphotaream.

q *Non debeo diſſimulare, in tota illa relatione excæcati & iterum illuminati Timothei multa apparere improbabilia; licèt Joannes Diaconus eamdem adoptaverit, & Actis quoque ſuis inſeruerit, breviùs tamen. Certè utraque oratio* S. Januario *attributa, non niſi pro fictitia haberi prudenter poteſt, cùm Sanctus non oraverit alta voce, ideoque auctor neſciverit verba ab ipſo prolata. Non aquè tamen improbabile eſt, Timotheum cæcitate primùm, deinde & morte punitum fuiſſe à Deo; idque innotuiſſe auctori, qui reliqua adjuncta conjecturando adjecerit. In Ms. Chioccarelli pro* ejus, *legitur* Timothei. *In eodem paulò pòſt alia eſt mutatio aut correctio, quâ dictio fit clara.*

r *Hìc fortè verba tranſpoſita ſunt. Nam in Collectione Ms. Chioccarelli ita legitur:* Cùm de ſomnio ſuo hæſitaret, & interrogaret, quid velit eſſe, ſubitò, nuntiaverunt ei, quòd filius *&c.*

ſ *Codex noſter, conſentiente Ms. Rubea Vallis, hìc habet*; corpus ſanctum, ut ea nocte *&c. At tria alia apographa, duo nimirum Germanica & unum Neapolitanum, magis conſonant editioni Falconii, qua ſic habet:* Chriſtiani ... cuſtodiebant corpora Sanctorum, ut ea noctu raptim tollerent *&c. Hæc magis congruunt ſequentibus &*

ad-

adjunctis omnibus, ideoque præferenda censui, etiamsi vetustiores verisimiliter sint codices, qui habent contrarium. Verùm in hos etiam menda nonnulla irrepsisse, clarum est: ideoque existimo, corpus sanctum, *pro* corpora Sanctorum *mendosè scriptum fuisse.*

t *Ita rursum Mss. Belgica. In aliis additur,* sepelienda. *Attamen nec ad civitates tam citò portata sunt corpora, nec in iis sepulta. Itaque non satis capio, quid scriptor indicare voluerit; nisi crediderit, ausos non fuisse statim corpora Sanctorum ad civitates portare, ut antea proposuerant.*

u *In Ms. nostro,* Corpus autem sanctum jacuerunt *&c. Ex verbo* jacuerunt *colligitur; scriptum fuisse* corpora, *ut habetur in reliquis codicibus, præterquam in Rubea-Vallis apographo.*

x *Verba illa,* jacuerunt ad sulfurotaria, *nata sunt ingerere dubitationem notabilem, videlicet, utrùm intelligenda sint de loco, in quo cadavera occisorum jacuerunt, antequam tollebantur à Christianis; an verò de loco sepultura. Posterius credimus, & abundè, opinor, probavimus in Commentario, quem consule § 7.*

y *Hoc loco finis est Actorum in codice nostro, ubi sequitur:* Explicit Passio Januarii mart. *Consentit codex Rubea Vallis, ubi post edita verba talis est clausula.* Præstante Domino nostro. *In aliis omnibus apographis, & in editione Falconii, multa adduntur, nimirum Appendix mox danda. At nequeo dubitare, quin primus scriptor finem Actis imposuerit, ubi revera finis est in codicibus nostris; etiamsi Chioccarellus in Ms. sua collectione etiam habeat omnia illa, quæ postmodùm adjuncta jam monui.*

APPENDIX

Ex editione Falconii, cum tribus Mss. collata.

Prima omnium tranſlatio, maximè tamen Feſti & Deſiderii.

Sepultura & prima tranſlatio omnium Martyrum:

NOctu *a* verò, cùm unaquæque plebs ſollicitè ſuos ſibi patronos rapere feſtinarent; Neapolitani beatum Januarium ſibi patronum tollentes, à Domino meruerunt. Quem primò quidem in loco, qui appellatur Marcianus *b*, abſconderunt. Poſtea verò quieto jam tempore venerabiles epiſcopi, unà cum omnibus ex genere beatiſſimi martyris Januarii, cum plebe Dei ſancta, cum hymnis & laudibus corpus ejus tollentes, juxta Neapolim tranſtulerunt, & poſuerunt in baſilica, ubi nunc requieſcit. Qui præſtante Domino Jeſu Chriſto, meritorum ſuorum beneficia innumerabilia præſtare non deſinit uſque in hodiernum diem: cujus dies natalis celebratur tertiodecimo Kal. Octobris. Sanctum verò Soſium *c* diaconum cives ejus Miſenates tulerunt, & poſuerunt in baſilica, ubi nunc requieſcit, die nono Kal. Octobris. Puteolani quoque ſanctum Proculum diaconum, & ſanctum Euticetem, & ſanctum Acutium cives ſui tulerunt; & poſuerunt

in

in prætorio Falcidi, quod conjungitur baſilicæ ſancti Stephani, in contrivio *d* ipſo. Sanctum autem Feſtum, & ſanctum Deſiderium idem * cives ſui Beneventum tulerunt.

d

* *al.* iidem

2 Ut autem miracula Dei, quæ Dominus fecit per Sanctos ſuos *, [audiamus,] per ordinem enarrabo. Quidam paganus nobiliſſimus ac dives, civitatis Beneventanæ ſenator, nomine Cyphius *e*, matronam habens, filios habere non poterat: [qui] auditâ famâ *f*, quæ de Sanctorum corporibus geſta fuiſſent; occultè miſit hominem ſuum utiliſſimum, cum vehicularibus, & linteaminibus neceſſariis, & plauſtro; multaque eis bona promittens, & faciens votum, ſi Sanctorum corpora commodè ad eum perduceret, eorumque interceſſionibus * à Domino filios mereretur habere, cum ſuis omnibus baptiſmum conſequeretur.

Cyphius ſenator corpora SS. Feſti & Deſiderii

* *al.* in Sanctis ſuis

e

f

* *Falc.* interceſſoribus

3 Mox affuit fidei ipſius Divinitas ſancta *g*: dum ergo ſanctorum Feſti, & Deſiderii corpora Beneventum ducerentur; ipſi Sancti monuerunt hominem illum, qui præerat vehiculis ipſis, ut eos abſconderet *h*, dicens ei: Ecce ſubſequitur quidam veredarius, qui quærat corpora noſtra modò tollere tibi. Ille verò, ut admonitus eſt Sanctorum vocibus; invento arenario, tulit corpora Sanctorum, & abſcondit: ubi modò cubiculum, velut * oratorium eſt, in via, quæ ducit Beneventum: in quo loco, uſque hodiernum diem dicitur, quia Sanctorum corpora ibidem repauſaverunt *i*. Ergo homo ille, abſconſis eorum corporibus, boves paſcere cepit. Subſequitur interea (ut Sancti prædixerant) veredarius, qui interrogat hominem, dicens: Vidiſtine huc illorum occiſorum *k* corpora ab aliquibus duci? Reſpondit homo ille: Boves meos ut vides, domine, paſco, nec ullum * tranſeuntem vidi. Reſponſo

ab aliquo clàm ſublata, & mirabiliter, ut fertur,

g

h

* *al. in Mſ.* vel

i

k

* *in Mſ.* nam nullum

accepto, veredarius mox reverſus eſt, unde venerat. At vehiculi rector plauſtro impoſuit Sanctorum corpora; & cepto itinere, Beneventum perrexit *.

* *Falc. mendosè* pertinxit *Beneventum allata ſepelii, eiſque eccleſiam exſtruit.*

4 Cùmque Beneventum perlata fuiſſent: prædictus ſenator, ſuſcepta corpora Sanctorum occultè optimo in loco repoſuit. Poſtea verò cum omnibus ſuis baptizatus eſt; & memoratis Sanctis baſilicam fecit: quorum meritis meruit à Domino habere filios. Qui ſancti *l*, donante Divinitate, unuſquiſque eorum civitatis ſuæ * perceptum à Domino patronatum gerentes, omnibus petentibus beneficia præſtare non ceſſant. Septem namque pariter beatiſſimi Sancti martyrizati fuerunt: quorum una exſtitit ſeptenarii forma, ideoque ab omnipotente Deo & Domino noſtro Jeſu Chriſto, glorioſi martyrii perceptâ coronâ, feliciter vivunt *m* in ſecula ſeculorum. Paſſus *n* eſt B. Januarius cum præfatis Sociis ſuis circa annum Domini ducenteſimum vigeſimum, infinitis miraculis claruit, multos ſuo ſuffragio à morborum contagio liberavit. In virtute Filii Dei benedicti Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat, &c.

* *al.* civitatibus ſuis

l

m n

ANNOTATA.

a *Appendix hæc etiam legitur in Ms. Neapolitano per Beatillum miſſo, ſicut etiam in Trevirenſi, & in Richenovienſi, exceptis tamen pauciſſimis in fine, quæ deinde aſſignabo, & cum nonnullis interpolationibus. Eadem rurſum eſt in Collectione Ms. Chioccarelli, atque hic etiam verbis ſubinde diſſentit ab editis Falconii. Dabo præcipuas variantes, non quaſlibet tamen vocum minutias, cùm tanti hæc Appendix non ſit facienda. Porrò illam eſſe po-*

poſtea additam non modò ex codicibus duobus noſtris, in quibus non legitur, ſed etiam ex initio colligitur, cùm ibi repetatur prolixiùs, quod antè breviùs fuerat dictum.

b Marcianus *legitur in Mss. Neapolitano & Trevirenſi, in Richenovienſi* Marcialis *mendosè, apud Falconium* Marciano *Italicè. De loco conſule dicta in Commentario § 7, ubi & de tranſlatione Neapolim. In duobus Mss. hìc breviter etiam inſeritur tranſlatio corporis Beneventum.*

c *De ſepultura & prima tranſlatione* S. Soſii, *reliquorumque Martyrum, quæ hìc ſatis confusè, tamquam eodem tempore factæ, aſſeruntur, conſule diſputata in Commentario § 7. In Ms. Richenovienſi hìc aliqua inſeruntur de* S. Soſio, *quæ leguntur in Actis ſecundis & tertiis.*

d Trivium *vocatur locus, in quem tres viæ conveniunt. Idem, opinor, voluit auctor ſignificare voce* contrivium. *Erat igitur prætorium Falcidii in trivio, veriſimiliter extra civitatem Puteolanam. Poſtea ibi fuiſſe monaſterium, dictum eſt in Commentario num.* 201.

e *Hæc tranſlationis* SS. Feſti & Deſiderii *relatio paulò prolixiùs extenditur, & morali doctrina interpollatur apud Falconium pag.* 196. *Pauca igitur ex ampliore illa relatione annotabo, ubi expedire videbitur: ſed fateor, totam hiſtoriam non videri fabulæ abſimilem.*

f *Apud Falconium pag.* 196 *clariùs ſic:* Hic, auditâ famâ ſanctorum Martyrum, quòd penes Deum, qui verbo cuncta creavit, plurimùm poſſent, ipſiuſque cooperante nutu nimiùm ſtupenda veneranda operarentur *&c. Itaque famâ miraculorum* SS. Feſti & Deſiderii *excitatus fuit Cyphius ad curandam tranſlationem. At non intelligo, quo modo*

fama illa pervenerit ad hominem gentilem, nisi jam tum cum Christianis egerit de conversione sua.

g *Hîc ex ampliore relatione inferenda sunt sequentia:* Etenim quem clàm direxerat, obedientiâ non segnis,... celerrimè abiit, SS. Festi & Desiderii sacra corpora secretim sustulit, & vehiculo superposita Beneventum ducere quantocius cœpit.

h *In ampliore scripto locus, ubi id contigisse dicitur, additur his verbis:* At ubi Caudinos intra sinus, in eum scilicet locum, qui tunc Harenarium vocabatur, ventum (ubi etiam postea ob memoriam Sanctorum beati Festi ecclesia est constructa, juxta viam, quâ rectiùs Beneventum itur) is, qui vehiculo præerat, Sanctorum est voce præmonitus *&c.*

i *Alter ait:* In quo loco nunc usque dicitur: SANCTORUM REPAUSATIO. *Nequeo dissimulare, vehementer me suspicari, illum fuisse locum primæ* SS. Festi *&* Desiderii *sepulturæ. Certè magis fabulosa videntur omnia translationis adjuncta, quàm ut credere valeam, translationem peractam modo hîc relato.*

k *Hæc ita dicuntur, acsi Martyres recenter fuissent passi. Verùm id improbabile est ex ipsis etiam monumenti hujus verbis. Quomodo enim paganus Cyphius ipsorum miracula Beneventi audierat, si non fuerant ante translationem sepulti?*

l *Hîc rursum agitur de omnibus septem Martyribus.*

m *Ultimam periodum, quæ apud Falconium mirè corrupta est, restitui ex Ms. Neapolitano. In Ms. Collectione Chioccarelli locus ita exprimitur:* Septem namque pariter beatissimi Sancti martyrizati sunt, quorum una in Christo fides, una septenarii martyrii exæquat forma, ideoque *&c.*

n *Hæc ultima non sunt in ullo Ms. nostro: neque*

que in Collectione Ms. Chioccarelli, prout ea nobis Neapoli miſſa eſt. Et ſanè annus martyrii, qui mox aſſignatur, longiſſimè à vero aberrat.

ACTA MENDOSA

Ex editione Mazochii.

TEmporibus *a* Diocletiani imperatoris, conſulatu Conſtantini cæſaris quinquies, & Maximiani ſepties *b*, erat perſecutio Chriſtianorum. In eccleſia verò Meſinatæ *c* civitatis, erat diaconus nomine Soſſius, vir prudentiæ, ſanctitate firmiſſimus, annorum circitèr triginta; ſicut ipſe cuidam epiſcopo, qui Dei gratiâ advenerat in extaſis revelare dignatus eſt. Ipſo epiſcopo aſſerente, quòd venerabilis Soſſius, propter metum paganorum non facilè in pubblicis locis hic notitiam habuit beatiſſimorum officio veniebant in eccleſia civitatis epiſcopus diverſis civibus ſe occultè invicem viſitabant. Sermo videlicet, collectio Divinæ legis erat in edificatione hominis, quos epiſcopo credere videbant; & quia in ipſis locis, id eſt cum ipſis frequens erat paganorum, nobilium virorum magnam vatem, & tuſtamulus uſque in hodiernum diem illam eccleſiæ manifeſtatur. Idcirco Sancti, ut diximus, difficile in pubblico videbantur.

Soſius annis circitèr triginta natus,
a
b
c

2 Beato itaque Januario in Meſſinatæ civitate poſito, factum eſt, ut beatus Soſſius diaconus in eccleſia ſua ſancta Dei Euangelia legeret, & ſubitò de capite ejus flama exurexit, quam nemo alius vidit, niſi beatus Januarius epiſcopus; qui ita eum martyrem futurum ex hoc ſignum quod viderat pre-

(è cujus capite flammam emicantem videt Januarius) capitur:

prenuntiavit; & congaudens, oſculatus caput ejus, & gratias agens Domino, caput, quod pro Domino Jeſu Chriſto paſſurum eſt. Poſt non multos dies factum eſt, ut ad Dracontium judicem Campaniæ eorum fama nunciaretur. Hoc audito, Dracontius judex juſſit, eos, ſecundum imperiali præcepto, inquiri, & ad ſe adduci. Inquirentes verò invenerunt beatum Soſſium diaconum, & duxerunt ad judicem. Dracontius enim judex juſſit eum ergaſtulo mancipari, quoaduſque fieret ejus interrogatio *d*; retruſo itaque beato Soſſio in ardua cuſtodia carceris, à militibus cuſtodiebatur.

d

Januarius cùm duobus Sociis comprehenditur,

3 Quod dum beatus Januarius repperiſſet, quia beatus Soſſius diaconus carceri fuerat mancipatus, ſtatim ad carcerem cum diacono ſuo Feſto, & lectore ſuo Deſiderio, ut eum conſolaretur perexit. Et ingreſſus ubi tenebatur in vinculis dicebat. Quare ſine cauſa *e* tenetur Homo Dei in carcere? Statim milites, qui cuſtodibantur carcerem, nunciaverunt judici dicentes. Ecce homines illi, de quibus magnitudo veſtra juſſerat, ut inquirentes, teneremus *f* eos; ad carcerem venientes dicunt. Quare ſine cauſa tenetur homo Dei in carcere? Mox ut hoc audivit judex, juſſit eos teneri, & ad ſe adduci. Qui dum inventi fuiſſent, ad judicem venire non dubitaverunt.

e

f

interrogatur cum iiſdem: omnes conſtanter reſpondent:

4 Et dum preſentati fuiſſent judici, Dracontius judex ſedens pro tribunali, his verbis interrogavit beatum Januarium epiſcopum, dicens ei. Cujus religionis homo es? Sanctus Januarius reſpondit; Chriſtianus ſum, & epiſcopus. Judex dixit ei. Cujus civitatis? Sanctus Januarius ℟. Beneventanæ eccleſiæ. Judex dixit. Et hi quid tui ſunt? Sanctus Januarius ℟. Unus diaconus meus, & alter lector. Judex dixit. Et ipſi ſe Chriſtiani manifeſtant? Sanctus Januarius reſpondit. Etiam: nam, ſi eos inter-

terroges, ſpero in Domino meo Jeſu Chriſto, quod nec ipſi ſe Chriſtianos eſſe negant. Qui interrogati à judice dixerunt, Chriſtiani ſumus, & parati ſumus mori propter Dei amorem. Tunc judex irâ repletus, beato Januario epiſcopo dixit. Accedite, & offerte diis libamina, ſecundum decretum imperatoris, & abſedite inleſi. Sanctus Januarius Res. Nos cotidie omnipotenti Domino noſtro Jeſu Chriſto ſacrificium laudis offerimus, non diis veſtris vanis.

Januarius cum tribus Sociis primùm ad beſtias, deinde capite damnatur:

5 Hoc audito judex, juſſit eos in carcerem recipi, & alia die arena parari, & unà cum ſancto Soſſio ad urſos tradantur. Alia verò die, ſecundum juſſum judicis paratur arena in civitate Putteolana *g*, adducuntur Sancti ad amphiteatrum. Spectatur judex ad exſpectaculum. Sed ut judex moras inecteret, cauſa pubblica faciente, & ad amphiteatrum tardiùs properare, veniens arenarius dixit judici. Jam tardius eſt domine, audire *h* eos, modò non potes. Tunc Dracontius judex juſſit Sanctos de amphiteatrum *i* tolli, & ad ſe adduci. Quibus ſedens pro tribunali dictavit ſententiam, dicens, Januarium epiſcopum, & Soſſium, & Feſtum diaconis, & Deſiderium lectorem, qui ſe Chriſtiani profeſſi ſunt, & decreta noſtra contempſerunt, capite cædi jubemus.

g

h

i

capiuntur & damnantur tres Martyres Puteolani.

6 Qui dum ducerentur ad decollandum, quidam de plebe circumadſtantibus, adeſt Proconſulus * Putteolanæ civitatis eccleſiæ diaconus, & duo laici, Eutichis, & Acutius, Hi tres dixerunt. Quid enim mali homines iſti fecerunt, ut eos judex juberet *k* occidi? Statim eorum verba ad judicem perlata ſunt. Quod cùm judex audiſſet, ſtatim cum ſumma feſtinatione juſſit eos teneri, & cum ſanctis Martyribus decollari *l*. Qui cùm omnes pariter ad martyrium ducerentur, quidam ſenis *m* pau-

* Proculus

k

l

m

perrimus, ſperans ſe beneficia Sanctorum juvari; oppoſuit ſe beato Januario pervolutus pedibus ejus, rogans eum, ut aliquid de veſtimentis ejus mereretur accipere. Beatus verò Januarius dixit ſeni illi, poſt depoſito meo corpore, orarium meum de quo mihi oculos ligavero, ſcias te me ipſum daturum eſſe.

Viſio & mors matris S. Januarii: Sanctorum decollatio.

7 Mater quoque ſancti Jannuari in civitate Beneventana poſita vidit in ſomnis ante triduo quòd Januarius epiſcopus in aëra ad cælum volabat; Et cum de ſomno ſuo excitaretur, & interrogaret quid vellet eſſe, ſubitò nuntiatum eſt ei à quodam, quòd filius Januarius epiſcopus pro Dei amore in vinculis teneretur; At illa perterrita, proſternens ſe in oratione reddidit ſpiritum. Interea Sancti dum perveniſſent ad locum ubi decollandi erant, id eſt à ſulphurataria, ſanctus Januarius flectens genua ad orationem ſuam dicebat, Domine Deus omnipotens in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et erigens ſe, accepto orario ſuo, oculos ſibi ligavit, flectens genua manu ſua cervici oppoſuit, & ſpiculatorem ut feriret rogavit; Spiculator autem cum magna virtute percutiens, digitum manus ſancti martyris Januarii ſimul cum caput abſcidit; ſimiliter & omnes Sancti decollati ſunt martyrium exceperunt ſempiternum.

Apparitio S. Januarii: corpora à Chriſtianis ablata & ſepulta:

8 Sanctus autem Januarius poſt decollationem ſuam apparuit ſeni illi evidenter, & dedit illi orarium unde ſibi oculos ligaverat, ſicut promiſerat deprecanti; Cuique dixit. Ecce quod tibi reddi debeam, tolle ſicut promiſi tibi. Ille accepto orario, cum ſummo honore abſcondit in ſinum ſuum. Spiculator autem, & alii de officio videntes ſenem irridebant ei dicentes, Accepiſti quod tibi promiſerat ille qui decollatus eſt? At ille dixit eis. Etiam, & oſtendit eis orarium. Recognoverunt

runt eum, admirati ſunt. Chriſtiani autem diverſarum urbium cuſtodiebant corpora Sanctorum; ut ea noctu raptim tollerent, & in civitatibus ſuis ſepelienda portarent; Et ceperunt occultè ſolliciti obſervare; Et facta nocte univerſis dormientibus, ſilentiora noctis, apparuit ſanctus Januarius uni ex illis qui parati erant corpus ejus tollere, & dicit ei. Frater, cùm corpus meum tolleris, & digito manus meæ in illo loco exiliſſe cognoſce, requirite eum, & pariter cum corpus meum ponite. Et ita factum eſt, ut Sanctus ipſe admonuit. Corpora autem Sanctorum jacuerunt ad ſulphuratoria, ubi poſtea dignam beati martyris Januarii baſilicam condiderunt.

tranſlatio S. Januarii Neapolim.

9 Noctu verò cum unaqueque plebe ſollicitè ſuos ſibi patronos rapere feſtinarent. Neapolitani beatum Jannuarium ſibi patronum tollentes à Domino meruerunt *n*. Poſtea verò quieto jam tempore venerabilis epiſcopus, una cum plebe Dei ſancta cum hymnis, & laudibus tollentes juxta Neapolim tranſtulerunt, & poſuerunt in baſilica, ubi nunc requieſcit. Qui præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto meritorum ſuorum beneficia innumerabiles preſtare non deſinet uſque in hodiernum diem. Cujus dies natalis celebratur tertio decimo Kal. Octobris.

n

ANNOTATA.

a *Unde hæc Acta acceperit Mazochius, exponitur in Commentario num.* 18, *ibique datur titulus in codice Bononienſi præfixus. Vocatur ibi*, Vita S. Januarii; *cùm Acta tamen maximè concinnata videantur pro* S. Soſio, *à quo ſumunt exordium. Ejuſdem opinionis fuit ipſe Mazochius. Ex hac autem opinione colligo primò, non eſſe miran-*

dum, ſi in his Actis multa omittantur de S. Januario; *ſicut de eodem multa ſunt prætermiſſa in Actis S. Proculi, & in aliis* SS. Eutychetis & Acutii, *licèt hæc aliàs Actis primis conſentiant, & ex eis ſint collecta. Secundò, cùm collector codicis Bononienſis titulum* S. Januarii *his Actis præfixerit, non eſt incredibile, nonnulla ab ipſo reſciſſa eſſe, quæ fortaſſe de* S. Soſio *in fine legebantur.*

b *Legendum* quinquies, *& antè* Conſtantii, *ut jam annotavi ad Acta prima lit.* c. *Cùm autem multa ex Actis primis ad hæc fuerint tranſlata; annotationes ibi datas lector poterit conſulere, ubi hîc non dantur.*

c *Id eſt*, Miſenatis. *Mendum illud* Meſinatæ; *aliaque ſimilia, Mazochius putat oriri ex eo, quòd Acta priùs fuerint Græcè ſcripta. At frequentiora videntur menda, quàm ut ea origini Græcæ imputare poſſimus omnia. Ego illa non ſemper obſervabo aut corrigam, cùm hæc Acta unicè edam, ut perſpiciat lector, unde Joannes diaconus partem eorum, quæ de* SS. Januario & Soſio *dedit, acceperit. Poterit igitur Joannes Diaconus conſuli, ad cujus lucubrationem oſtendam, quid ex hac ſit deſumptum, & plura dabo annotata.*

d *Nulla* Soſii *interrogatio in Actis legitur. Veriſimile tamen non eſt, inauditum fuiſſe damnatum. Suſpicor, omiſſam in his Actis fuiſſe, quòd collector Actorum eam in primis Actis non inveniret.*

e *Improbabile videtur*, S. Januarium *veniſſe Beneventò ad carcerem Puteolanum, longéque improbabilius, in carcere ipſo ſic fuiſſe locutum. Nam id erat ultro ſe perſecutoribus tradere, & quidem ſine juſta cauſa. Quis hoc credat de Epiſcopo? Legit, opinor, Actorum conſarcinator, quæ in Actis primis num.* 5 *leguntur de* Feſto & Deſiderio, *de captivitate* S. Januarii *in civitate Nolana conquerenſ-*

ventibus, quod non eſt improbabile, cùm hi credere poſſent, ſe nec cum perſecutoribus, nec cum delatoribus loqui. At ineptus compilator S. Januarium *in ipſo carcere ſic loquentem inducit.*

f *Quid his dictis ineptius fingi poteſt? Dicunt judici, ſibi mandatum fuiſſe, ut* Januarium *& Socios, quos nuntiant in carcere fuiſſe, comprehenderent, nec tamen ceperant. Aut ſatellites illos credidit ſtipites fuiſſe, aut ipſe ſtipes fuit auctor.*

g *Nullibi dixit auctor, in qua civitate captus eſſet primùm* Soſius, *deinde alii. At antè ſemper locutus eſt de Miſeno, ut credere deberemus, omnes fuiſſe carceri mancipatos Miſeni. Nunc verò arena paratur Puteolis, ut revera factum eſt, &* Soſius, *de cujus interrogatione nihil dixit, cum ceteris ad beſtias damnatur. Sunt hæc nimirum volentis ſcribere, & neſcientis aliquid rectè exponere.*

h *Non erant ampliùs audiendi, ſed jam ad beſtias erant damnati. Et mox revera non ampliùs auditi dicuntur, ſed capite damnati. Nova igitur hæ ſunt auctoris ineptiæ.*

i *Non eſt probabile, intermiſſum fuiſſe ſpectaculum, cùm judex alium ibi ſubſtituere poſſet, ſi ipſe fuiſſet impeditus. Præterea quæ mox facta dicuntur, videlicet reductio Sanctorum ab amphitheatro ad judicem, perductio ad locum ſupplicii, nimirum ad ſulphurariam, aliaque mox referenda, plus temporis exigebant, quàm erat neceſſarium ad feras contra Sanctos in amphitheatro laxandum, reliquaque ibi peragenda, ubi omnia erant parata. Videbit hoc oculis ipſis curioſus lector, modò in tabula Commentario noſtro præfixa conſideraverit diſtantiam amphitheatri & ſulphurariæ à civitate Puteolana. Si quis igitur ab accumulatis ineptiis rectè ineptus dicitur; non poſſumus non ineptiſſimum vocare auctorem illorum Actorum.*

k *Figmentum rursus improbabile, & primis Actis contrarium.*

l *Magis etiam improbabile est, inauditos & sine ulla interrogatione fuisse damnatos.*

m *Quod hîc de sene, & mox de matre* S. Januarii *refertur, ex primis Actis sumptum est, quemadmodum & reliqua, quæ sequuntur.*

n *Hæc etiam desumpta sunt ex iis, quæ variis temporibus fuerunt Actis adjecta, & modò sunt in Appendice. Habes, lector studiose, Acta mendosissima, & non paucis erroribus deturpata. Non possum satis mirari,* pulcherrima *visa esse Mazochio, & sincera. Neque enim deprehendere valeo, ubi lateat abscondita illa pulchritudo, qua major mihi in his Actis non apparet, quàm esset hominis nasso & auribus mutilati, multis vulneribus & ulceribus pleni, sanieque demum & cruore manantis. Sinceritatem & fidem in Actis illis vix majorem invenio, quàm pulchritudinem. Quæ ex Actis primis auctor suis inseruit, ut verbis sunt passim correctiora, aut minùs saltem mendosa ceteris, ita ceteris sunt meliora, & partim probabilia. Quæ initio habet de amicitia & gestis inter* Januarium *&* Sosium, *ex documentis aut traditione Misenatum accipere potuit, & sic probabilia haberi possunt. Quæ verò exposuit alio modo, quàm exponuntur in Actis primis, tam ineptè & improbabiliter relata sunt, ut de falsitate illorum prudenter dubitare nequeamus. Itaque, quemadmodum non inficior, prima Acta suis laborare defectibus, ita cogor dicere, hæc multò deteriora esse.*

ACTA S. PROCULI ETC.

Ex duobus Mss. Puteolanis.

ANgelo Smirnæ eccleſiæ, Polycarpo *a* martyri ſociiſque futuris martyribus in Apocalypſi Joannes denuntiat futuras Eccleſiæ perſecutiones fideliumque jacturas. Ecce, inquit, miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem, & habebitis tribulationem magnam diebus decem. Iſti decem dies decem fuerunt primitivæ Eccleſiæ perſecutiones, quarum primam exercuit Nero propter victoriam apoſtolorum Petri & Pauli de Simone mago. Decimam (aliis prætermiſſis) exercuit Diocletianus. In quibus decem diebus pagani principes, ignorantes Dei juſtitiam & fidem Chriſti, ad extirpandos fideles, in primitiva Eccleſia pullulantes, tam varia excogitaverunt tormentorum genera, ut ea numerare aut exprimere vix ulla ſufficiat aut dictatis ſcriptura aut narratis facundia. Tandem ultimam perſecutionem gentilium præſagiens inimicus humani generis, æmuluſque noſtræ ſalutis, virus ſuæ nequitiæ per Diocletianum auguſtum ex integro vomere viſus, hominem quantò obſcuriore loco natum, tantò auſteriùs præſidentem, & aptum ad perturbandum tam divina officia quàm humana, animum ejus in tantam impietatem induxit, ut imperiali edicto mandaret, omnes eccleſias Chriſtianorum toto orbe proſterni, ſcripturaſque divinas comburi, & eccleſiis præſidentes ubique carceribus mancipari. De re-

Sævitia perſecutionis Diocletiani; a

reliquis autem Christianis præcepit, ut qui mandatis suis acquiescerent, procul à gladiis fierent; sed qui profiterentur se non immolaturos idolis, gladiis interirent *b*. Tunc inventus est populus Christianus inter paganos, quasi Job in terra Hus, & quasi Loth in Sodomis, & quasi lilium inter spinas.

b

2 Ortâ igitur Ecclesiæ persecutionis tam sævâ procellâ, Dracontius quidam præses Campaniæ, volens Diocletiano placere, quasi virulentus draco, in Christi fideles venena iniquitatis effudit, nulli parcens ordini, sexui vel ætati. Et inter alios venerabilem virum Soſſium, Misenatis ecclesiæ diaconum, obscuro carceri mancipavit. Erat autem huic Soſſio familiari dilectione conjunctus, æqualis sanctitatis & ordinis, egregius vir Proculus, ecclesiæ Puteolanæ diaconus, qui, transactis aliquot diebus, memor injuriæ Viri sancti & conculcationis fidei Christianæ, illa charitate accensus, quæ foràs mittit timorem, sociatis sibi fidelibus viris Euticete & Acutio, Dracontium adiit *c*, & forti animo in hæc increpationis verba prorupit: Quæ te, ô inique judex, feritas inducit, ut sis veritatis hostis & innocentiæ persecutor, dum Christi servos persequeris, & Christi fidem subvertere frustra conaris? Injuste præses, cur in tribunali sedens agis, non quæ justitiæ, sed quæ crudelis bestiæ sunt? Draconti, meritò sic vocaris, dum Christi servum Soſſium, Deo acceptum & hominibus gratum, cum latronibus ligas, cum iniquis carceras, & cum impiis crucias. Desiste, miser: desiste à persecutione servorum Dei, ne quando irascatur Dominus, & pereas in æternum: illius offensam pertimesce, qui potest corpus & animam in gehennam perdere. His Dracontius auditis, irâ exarsit, & fellea venena iniquitatis more draconis ad linguam evocans, ad S. Pro-

in qua capitur S. Sosius: cujus causâ judicem adeunt

c

cu-

culum ait: Usque quò superstitiosa verba hæc loquêris? Si te vesania in contumaciam elevat, si pœnarum te fatuus provocat appetitus, hodie facio, ne impunè tua loquacitas reprehenderit, quem oportuit revereri, teque illi in pœnis socio, pro quo advocati officium assumpsisti.

3 Et continuò jussit sanctum virum Sossium suis tribunalibus sisti, longo carceris squalore inediâque afflictum, & ait: En, Procule, habes, cum quo de secta tua vana confabules: en, coram te est, cui similis efficiaris in ornatu vestium deliciisque ciborum. Ad hæc S. Proculus, sancti Viri pœnis non perterritus, sed fortiùs animatus *, respondit: Placet, ut Viri ejusdem religionis & ordinis eodem percurrant stadio ad bravium supernæ vocationis. Immò, inquit tyrannus, æqualis tenebit pœna, quos error idem commaculat. Humanitatis tamen memor, vos moneo, ut, dum tempus habetis, vestrum corrigatis errorem, ne vos tormenta excrucient, & immatura morte amittatis dulcedinem juvenilis ætatis. Quænam vestra dementia imperialia jussa contemnere, & pro nova secta antiquis seculis deorum observatas cæremonias reprehendere vel damnare? Ad hæc S. Proculus ait: Jussa principum, quæ legi Dei contraria non sunt, libenter suscipimus, nec eis injuriam irrogamus, si Regem & Dominum universæ creaturæ illis præponimus. Cærimonias autem damnamus idolorum & dæmonum: & pro vera fide Dei, & Domini nostri Jesu Christi parati sumus universa portare tormenta: non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quam Christus revelabit in nobis, reddens pro parvis magna, pro terrenis cælestia, pro temporalibus sempiterna; immò donabit, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt: hæc

Proculus, Eutyches & Acutius, & cum illo mancipantur carceri.

* *al.* armatus

enim præparavit Deus diligentibus ſe. Quibus auditis, omnes immaniſſimus Dracontius in eumdem carcerem includi juſſit.

S. Januarii certamina Nolæ,

4 Cúmque interea ipſe Diocletianus Timotheum quemdam ſubſtituiſſet, & in Nolana hic civitate Januarium Beneventanum epiſcopum ob eamdem Chriſtianæ fidei confeſſionem in ardentem fornacem conjici præcepiſſet, ſanctus Epiſcopus ſigno crucis ſe muniens oravit, ut inſtar trium puerorum in medio ignis pro hac fidei confeſſione ſervaretur incolumis. Iniquitatis autem miniſtri illæſum cernentes in conflagranti igne Deum laudare ac benedicere, ſtupore perterriti, hoc nuntiant Timotheo. Ille verò juſſit aperiri caminum, & ſtatim flamma erumpens plures exſtinxit adſtantium paganorum: in veſtimentis autem aut capillis ſancti antiſtitis Januarii nullum apparuit læſionis veſtigium. Tunc adſtanti Viro Dei ait tyrannus incredulus: Quibus, Januari, maleficiis talia operaris? Sed variis te faciam interire tormentis. Sanctus autem Januarius reſpondit: Ego ſemper in Domino ſperabo, nec timebo, quid faciat mihi homo. Tunc iratus tyrannus juſſit eum in carcerem recipi. Mane autem facto, in foro civitatis ſedens pro tribunali, præſentato ſibi S. Januario, ait: Quid immoraris? Sacrifica diis, ne diro gladio moriaris, nec te liberare poterit Deus tuus de manibus meis. Sanctus verò Januarius reſpondit: Ignoras Dei potentiam, miſer, cui nemo reſtitit & pacem habuit: omnia enim, quæcumque voluit, fecit in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyſſis. Penſa, quanta ſit in eum blaſphemia, qui tantam habet patientiam, ut ad miſericordiam te adducat. Tunc iratus præſes, juſſit compedes abſolvi *d*, ut mortis timorem immittat. Sanctus verò Januarius oravit, ſuum agonem Domino commendans, Præ-

d

ſes

ſes verò iterum juſſit eum in carcere recipi.

deinde cum Feſto & Deſiderio ibi captis, & cum reliquis Puteolis:

5 Hoc audientes duo ex clericis B. Januarii, Feſtus diaconus & Deſiderius lector, in fervore ſpiritûs locum adeunt, & flentes quærunt, cur tantus ac talis Antiſtes teneatur in vinculis: quid Vir ſanctus commiſit unquam criminis? Quis ad eum triſtis acceſſit, & non rediit conſolatus? Quis æger ab eo viſitatus, & ſanitatis remedia non ſuſcepit? His Timotheo relatis, furibundè præcepit cum B. Januario eos in carcere claudi, & cùm fortes atque conſtantes in Chriſti fide reperiſſet, juſſit ſanctos Chriſti confeſſores, Januarium, Feſtum & Deſiderium, ferro vinctos ante currum in civitatem Puteolanam trahi, & cum ſanctis confeſſoribus, Soſſio, Proculo, Euticete & Acutio in memorato ſuſceptos carcere diligentiùs cuſtodiri. Sequenti die cuncti urſis traditi ſunt: ſed feræ *e* ſanctos Martyres oſculis demulcebant. Sanctus verò præſul Januarius hoc attendens, gratias Deo exolvit pro individua ſocietate Paſtoris & gregis. Alia die crudelis præſes ad ſpectaculum veniens, juſſit in Sanctos feras dimitti. Sed, confortante Præſule Socios, ne de potentia Dei diffiderent, qui fecit cælum & terram, beſtiæ humiliter ad pedes Sanctorum ſe proſtraverunt. Quod cernens tyrannus, Chriſti Confeſſores ante ſe juſſit adduci.

e

omnes capite damnantur, judice cæcato & precibus S. Januarii ſanato:

6 Et cùm præſentati fuiſſent coram eo, protulit ſententiam, dicens: Januarium epiſcopum, Proculum, Soſſium & Feſtum diaconos, & Deſiderium lectorem, Euticetem & Acutium cives Puteolanæ civitatis, qui ſe Chriſtianos eſſe profeſſi ſunt, & deorum libamina & imperatorum præcepta contempſerunt, capite cædi jubemus. Quia verò pravorum * nonnulli retrahuntur à malis formidine pœnæ, & ut Chriſti virtus & fidei uni-

* *al.* paganorum

tas adſtanti populo innoteſceret, oravit S. Januarius, ut crudelis tyrannus oculorum aſpectu & luminis corporalis dulcedine privaretur, ſicut erat mentis infidelitate cæcatus: & continuò cæcus factus eſt. Præcipiens autem tyrannus S. Januarium coram ſe velociter adduci *, dixit ei: Januari, ſerve Dei excelſi, ora Dominum tuum pro me, ut lumen recipiam, quod amiſi. Cui Vir humilis acquieſcens, oravit, dicens: Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob, ut cognoſcat univerſus populus, quia tu es Deus ſolus & verus, aperi oculos Timothei, & illumina mentes, quas ille ſtuduit obcæcare. Facta oratione, Timotheo lumen oculorum continuò reſtitutum eſt. Quod cernens populus, univerſus in ſtupore converſus eſt, uſque ad quinque millia virorum & mulierum, & factus eſt clamor laudantium & benedicentium Deum.

* *al.* revocari

Sanctorum martyrium: corporum tranſlatio

7 Timotheus verò à pœna liber, ſed iniquitatis ſervus, cernens populum converti ad Chriſtum, juſſit militibus latam ſententiam in Chriſti Confeſſores velociùs executioni mandari. Ducti igitur ad locum, qui Sulphuraria dicitur, capitis obtruncatione compleverunt martyrium. Ipſo autem die martyrii eorum Timotheus doloribus vexatus clamabat: Væ mihi miſero, væ mihi miſero, quia propter crudelitatem, quam exercui in Dei Servos, ab angelis intolerabiliter crucior. In cruciatibus autem illis ſpurciſſimum & oneratum peccatis ſpiritum exhalavit. Fideles verò concives Martyrum occultè corpora rapuerunt, & ad civitates propinquas cum multa reverentia detulerunt. Proculum Puteolani venerantur: Neapolitani verò tunc B. Januarium habere meruerunt. Sed Longobardorum tempore, capite remanente Neapoli, corpus ejus Beneventum cum magna gloria tranſlatum eſt.

A N-

ANNOTATA.

a *Angelum sive episcopum Smyrnensis ecclesiæ, ad quem S. Joannes scripsit Apocal.* 2, *fuisse S. Polycarpum, communis ferè est interpretum sententia, quam tamen hîc non examino. Acta S. Polycarpi data sunt ad* 26 *Januarii.*

b *Hîc in altero Ms. pauncula sunt adjecta. Sic aliis locis nonnulla in verbis est differentia. At ex alterutro sumam, quod correctius videtur: nam Acta hæc tanti meriti non sunt, ut necesse sit annotata accumulare.*

c *Horum Actorum collector primis Actis passim inhæret. At prima Acta tacent de occasione, quâ tres Puteolani Martyres capti sunt. Itaque dubitandum videtur, an ultrò Dracontium adiverint, & objurgârint, præsertim cùm Joannes Diaconus num.* 13 *captivitatem eorum referat modo nonnihil diversò. Nequeo etiam auctoritatem attribuere sermocinationibus & discursibus, quos horum Actorum scriptor verisimiliter meditatus est.*

d *Sic auctor intellexit, quod num.* 4 *in Actis primis dicitur*, Jussit, ut nervi à corpore ejus excluderentur, *per* nervos *intelligens compedes, & fortâsse satis rectè*

e *Hæc in utroque Ms. mendosa esse opinor, legendumque* carceri traditi sunt, ubi invicem oculis demulcebant. *Certè semel tantùm bestiis objecti sunt.*

ACTA

Auctore Joanne diacono ecclesiæ S. Januarii.

Ex Ms. Neapolitano & Romano tabularii Vaticani, collatis cum editionibus Surii & Falconii.

PROLOGUS

Auctor sæpe rogatus de S. Sosio scribere,

POst nonnulla tyrocinii mei Opuscula *a*, quibus aliquantisper juvenilem animum caritatis exercuisse videbar imperio *, nullius fore disponebam intentionis, nisi ut magis hebetaret desidia, quàm fomenta lividæ stomachationis alicui pro talibus subministrarem *b* experimentis. Didiceram quippe, & satis didiceram, qualiter bilis ignita linguæ faculam torrens continuos ureret dentes. Huic ergo decreto cùm inclinatus animo adhæsissem, inter plurimorum sodalium cœpi etiam & domni Johannis *c* venerabilis sancti Severini abbatis, quem umquam refellere nefas existimaveram, detrectare imploratione, adeo scilicet, ut ad id, quod de sancto Sossio fieri postulabat, multifaria evadens obliquitate diversus, modulum excusationis

a

* *al.* impepium

b

c

nis nullatenus inhiberem. Quod ubi vir ſtrenuiſſimus animadvertit, non eſt paſſus ultrà diſſimulationis funiculum prolongari, ſed per idoneos proventores * domno Stephano *d* ſuggeſſit epiſcopo, quatinus ejus amplitudinis interventu obtineret, quod adipiſci ſua impetratione nequibat.

* *al.* perventores

d

2 Extemplo me pontificalis accerſitum ſublimitas taliter increpando accepit: Exciditne tibi, diacone, qualis obedientiæ ſit fructus? Exciditne Samuëlis juſta indignatio, dicentis; Melius eſt obedire, quàm ſacrificare. Cur ergo ſurda præteris aure, quod à Johanne abbate toties poſceris? An ignoras, quantas utilitates talium narrationum ſcripta convectent? Si enim in eis totius Chriſtianitatis emolumenta percipiuntur, quare tu tua quærens, oſtendis te colaphis non eſſe diſciplinatum apoſtolicis? Sic præſul. Et præſuli ſic ſummiſſa voce reſpondi: Si veſtræ priùs diſcretionis lance penſatur, quò potiſſimè noſtra vergat accuſatio, juſtiſſimè caſtigamur: ſin aliàs, quare tantis frangimur increpationibus *? Habet, inquam, habet affatim veſtri compertum acumen ingenii, quomodo plurimæ martyrum paſſiones ex hiſtoriis & annalibus ſunt decerptæ, in quibus commendabatur ſeriatim, quicquid gentilis illa * perpetrabat examinatio. At nos, quibus nulla talium facultas ſuppeditat, quo exequi pacto cogimur, unde rectiſſimè favorabili denotemur mendacio, & inevitabili pſeudoepigraphi diſcrimen incurramus. Hanc præſul ille * apologiam tali protinus auctoritate concluſit: Procul hinc, procul, ſi placet, totius objectionis ambago recedat. Eſt enim exinde quædam ſcriptura, *e* lepida, ut reor, digeſtione contexta, quam me olim vidiſſe recordor. Et quidem quoniam longi temporis meta relabitur, idcirco cunctando aſſero,

tandem juſſus à Stephano epiſcopo, ſcripturam de eo ſuggerente,

* *al.* fatigamur redargutionibus

* *al.* ipſa

* *al.* ipſe

e

ro, utrùm necne ſancti Januarii geſtis, cum quo fortiſſimus Chriſti Athleta immortalem percurrit agonem, aliqua ſit ex parte diverſa. Tamen hæc qualicumque ſtilo prolata conſtet, ſumenda eſt à te, & ſicuti certum eſt tuos feciſſe majores, quæque ſunt ſuperflua, reſeca, neceſſaria ſubroga, inepta abjice. Et unà cum his, quæ de inventione corporis ejus ſunt, fide tua, qui interfuiſti, in civilem redige compoſitionem, quatinus pro tanti laboris compenſatione municipatu tandem martyriali, Chriſto largiente, perfrui merearis.

ſcribere proponit vera & comperta. *f*

3 Ad hæc ergo nihil ultrà reſpondere præſumens, coactus inchoavi, quod ſpontaneus recuſabam. Sed quia in memoratis ſcriptis, infatuato *f* quamvis ſale pertinctis, nulla parentum ipſius, nec pontificis ſaltem, qui eum redimitione levitali dicaverat, mentio inerat, & conquerentes ex hoc viros etiam non ſpernendæ gravitatis perſpeximus, ideo ſummatim commemorare libuit, ut nec ego ſim in antea obnoxius, nec illius temporis pertinaciter incuſentur ſcriptores. Quoniam multus accidere * potuit eventus, aut latibuli ſcilicet aut mortis, necnon & ignorantiæ, vel aliud quid verifimile; unde juſta poſſit oriri excuſatio, quod ſilenter prætermiſſi fuerunt *. Tamen quomodocumque acciderit, quia nulla valet modò conjectura cenſeri, conſtat me credulitate media nihil irritum, nihil ambiguum in iſtis poſuiſſe narrationibus. De cætero nunc agendum eſt, venerabilis abba, ut nuper promiſſis orationibus ſic ſic meam juves inertiam, quatinus ſit Deo acceptum, & hominibus gratum hujus noſtri laboris conamen.

* *al.* accedere

* *al.* prætermiſerunt

ANNOTATA.

a *Varia Opuſcula à Joanne Diacono compoſita fuiſſe*

fuiſſe in juventute, dixi in Commentario § 3. *Hoc ſenex præcipuè ſcripſit de* S. Soſio, *uti apud Surium tamquam Acta* S. Soſii *eſt editum. Attamen non minùs ſcripſit de* S. Januario *& Sociis. Quare non malè in codice tabularii Vaticani, qui ſignatus eſt* A. 4, *præfigitur hic titulus:* Paſſio ſancti Januarii, Soſſi, Feſti, Deſiderii, Euticii, Acutii, menſe Septemb. die XXIII. *Solus* Proculus *omiſſus eſt, veriſimiliter exſcribentis incuriâ. Dies titulo additus etiam in Ms. Neapolitano,* Soſium, *qui* XXIII *Septembris colebatur, præcipuè inſinuat. Lectorem porrò monitum velim, me omnia daturum ex alterutro codice. Ubi diverſæ ſunt lectiones, nec clarè apparet, alterutram eſſe mendoſam, diverſitatem annotabo.*

b Subminiſtrares, *& mox* didiceras, *habet Surius, ſed perperam, quia auctor inſinuat, ſe prioribus Opuſculis nonnullos offendiſſe, & ideo ſtatuiſſe nihil præterea ſcribere.*

c *Joannes ille abbas acceperat priùs corpus S. Severini, deinde &* S. Soſii. *De utroque ſcripſit hîc auctor, ut dictum in Commentario num.* 38.

d *Stephanus is erat epiſcopus Neapolitanus, hujus nominis tertius, quem ab anno* 895 *epiſcopum fuiſſe credit Ughellus; ſed neceſſe non eſt, ut credamus, ipſum ſuperfuiſſe uſque ad annum* 920.

e *Scripturam hanc non aliam fuiſſe, quàm Acta, primùm à Mazochio, & nunc à nobis ſecundo loco edita, cum laudato Mazochio exiſtimo, ut videri poteſt in Commentario num.* 20. *Erant tamen multò veriſimiliter correctiora, quàm nunc prodierunt ex codice Bononienſi, ubi non modò mendis deturpata, ſed etiam fortaſſe mutilata fuerunt. Præterea nec Stephanus illi ſcripturæ multum laudis attribuit, & Joannes Diaconus eam primis* S. Januarii *Actis conſtanter poſtpoſuit.*

f *Hac voce Joannes ipſe inſinuat, iis Actis nonnullos errores inſertos.*

CAPUT I.

Geſta S. Soſii & amicitia cum S. Januario : captus Soſius fortiter ſe gerit, uti & Proculus, Eutyches & Acutius, coram Dracontio judice.

Diocletianus & Maximianus, adepto imperio,

NUmerianus igitur auguſtus, cùm ex Parthicæ regionis demolitione * reverteretur, & propter oculorum, quam incurrerat ægritudinem, lectică in itinere veheretur *, ita eſt ab Apro *a* ſocero ſuo clandeſtinis peremptus inſidiis, ut vix fœtore cadaveris necem ejus poſt aliquot dies milites comperiſſent. Qui ſtatim Aprum interficientes, Diocletianum, cujuſdam ex Dalmatia ſcribæ *b* filium, tumultuoſa vociferatione cæſarem acclamaverunt. Hic autem verſipellis ut erat, Maximianum continuò *c* Herculeum, moribus & feritate haud ſibi diſſimilem, conſortem ſibi aſſciſcens, iniquo prælatu reipublicæ ſummam invaſerunt. Sed quia Carinum, prælati Numeriani germanum, qui ſuperſtes adhuc cum magno * exercitu Galliarum commanebat in partibus, metuendum ducebant, idcirco in ſuis primordiis lentam commoverunt perſecutionem in Chriſtianos, ſcientes procul dubio plurimos illi hærere amicos, quos hujus tituli ſacratiſſima decorabat profeſſio.

i. e. ex bello Perſico

* *al.* uteretur

a

b

c

* *al.* omni

5 Ubi autem cæſar iſte penes Margum *d* prælio devictus occubuit; confeſtim illi tempus nan-

d

cì-

eiſcentes, quo tyrannidem ſuam ſævire permitterent, pro dolor! per univerſum orbem *e* complices ſuos direxerunt, quatinus quicquid Chriſtianitatis culturæ repperiſſent *, aut ſuis, ſi poſſent, obſcenis manciparent cæremoniis, aut exquiſitiſſimis addicerent pœnis. Succurre, Domine Jeſu, ſuccurre agonizanti Eccleſiæ tuæ, ut perſpicuus fidei candor, quò magis denſitate caliginoſæ gentilitatis obrui ſatagitur, eò ampliùs, te illuſtrante, martyrialibus * reniteſcat lucernis. Cruentiſſimis itaque ſatellitibus omni ſollicitudine ſuorum juſſa dominorum adimplere ſtudentibus, licèt omnis Campania, imò totus afflictaretur mundus, tamen in oppido Miſenatium potiſſima incubuerat perſecutio, quia illic celebris paganorum frequentabatur occurſus, propter Sibillæ *f* vatis ſepulcrum, haud inde longè diſcretum.

perſecutionem ſæviſſimam in Chriſtianos movent.

e

* *al.* reperirent

* *unum Mi.* immaterialibus

f

6 Hac ergo tempeſtate beatiſſimus Soſſius, ejuſdem eccleſiæ diaconus, vir, in quo cælitus omnium chariſmatum dona confluxerant, ſecundum congruam nominis ſui vocationem, (quia Soſſius, ſi à σώζων Græco ſermone derivatur, Latinè SALUTARIS exprimitur) nocte dieque, quamvis palam ob inſidias perſecutorum non auderet converſari *g*, tamen ad nil aliud erat intentus, niſi ut incredulos invitaret ad fidem, & fideles ad imminentes corroboraret agones. Cujus induſtria cùm longè latéque flagraret, & opinio bonitatis in dies accreſceret, in tanta cœpit ab omnibus haberi dilectione, ut Januarius Beneventanæ ſedis egregius antiſtes, licèt majoris eſſet dignitatis, magni tamen Dei, uſque ad mortem ſe humiliantis, imitator effectus, ſedulus ad illum viſitandi gratiâ properaret: & doctrinæ pabulum mutuâ ſibi ſumminiſtrantes affluentiâ, non ſolùm animos ſuos ad cæ-

Soſius amicitiâ cum S. Januario conjunctus fuit:

g

leſtia ſublevarent, ſed & Dominicum gregem per ſacra colloquia informarent.

hic flammam è vertice ipſius emicantem cernens, martyrem futurum prædicit,

7 Mira Sanctorum dilectio, mira, & ſtupenda conſtantia: nam cùm nulla fatigatione itineris, nulla terroris intentatione retraherentur, quin vicariam ſibi non exhiberent affectionem; accidit haud ſine divino nutu, ut idem domnus * Antiſtes ex more veniens, reperiret illum fortè in cœtu fidelium ſacroſancta Euangelia ſonoro jubilo perſonantem. Mox Pater optimus, pietatis amore contractus, ſubſtitit, & fervorem tantæ alacritatis diu multúmque ammirans, ſubitò clericalem * verticem ejus vidit perſpicuam fundere flammam. Cujus oblectatione perculſus, intellexit protinus documento Scripturæ imbutus, quid coruſcatione radiaret in illa, quidve portenderet inflammatio ipſa. Et lætus ad * cælum cum gaudio palmas ſuſtollens, ineffabilem Chriſti gratiam ſeriamque diſpenſationem ex intimis cordis organis collaudavit. Dehinc perpendens id nulli præſentium, niſi ſibi ſoli, apparuiſſe, properanter accepit, & conſtricto ſuper eum incumbens amplexu, flammigerum illud caput ſpiritalibus detinebat oſculis, & coram adſtantibus martyrii tandem diademate coronandum, iterum iterumque profitebatur. O religio ſanctitatis! O devotio caritatis! O vaticinatio veritatis! Dum enim talia tantaque Præſulis pariter & Levitæ dona conſideramus, omnis penitus admiratio nobis adimitur, ſenſus hebeſcit, lingua torpeſcit.

** al.* dominus

**al.* clericatum

** al.* in

de quo auctor differit.

8 Quis umquam tam eloquens, tamque facundus dignè poteſt exprimere, qualiter iſti de religione ad ſanctitatem, de devotione ad caritatem, de vaticinatione conſequenter ad veritatem pertingere meruerunt? Illam, inquam, Veritatem, quæ multo antè dicere * dignata eſt: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut ardeat? Si enim per ignem

** al.* ſpondere

gnem caritas, qui Deus eſt, & per terram corda humana intelliguntur; rectè ignis iſte utrorumque ardebat *h*, ut uni, qui ſecundum Apoſtolum Chriſtum habebat, caput in vertice redundaret; alteri quoque, qui ſecundum Euangelium beatos habebat oculos, reſplendeſceret in obtutu; ambo ergo beati, ambo felices, quia ambo nimirum illis ſunt donati muneribus, quæ olim filios naſcentis Eccleſiæ loqui & prophetare unanimiter inſtigabant. Quid enim? Numquid iſte non fuit ille ignis, qui repentè ſuper Apoſtolos intonans ora illorum per varias diſcrevit loquelas? Numquid non hujus illapſu Petro loquenti * fides, & eleemoſynæ Cornelii centurionis ſunt approbatæ? Numquid ad impoſitionem Pauli manûs ſuper viros decem iſtius non eſt illuſtratus adventus? Et quid per ſingula ducor? Ipſe *i* procul dubio illos, ipſe clarificavit & iſtos.

h

* *al.* loquendi

i

9 Videamus, qua conventione ad martyrii gloriam ſacratiſſimus pertigerit * Diaconus, de quo veraciſſimus prophetavit Antiſtes. Cùm igitur Soſſius levita benigniſſimus, ſicut perlatum eſt, famoſis polleret moribus, & vitæ virtutiſque propoſito inſiſtens, bonus odor aliis ad vitam, aliis ſecundum Apoſtolicam inſtitutionem eſſet ad mortem, factum eſt, ut ab his, qui bono perierunt odore, ſæpiſſimè ad Dracontium, tunc Campaniæ judicem, accuſaretur. Quorum frequenti ſuggeſtione, utpote paganitatis miniſter, in furias actus, lictoribus ſuis tranſmiſſis, artari eum, & ad ſe uſque perferri præcepit. Mox autem, quia lux in tenebris latere non poterat, neque civitas abſcondi ſupra montem poſita, ubi conventus eſt à militibus fortis Athleta Chriſti *, & coram ſolio judicii præſentatus, ſtetit imperterritus *. At ſceleratus arbiter diu multúmque ammirans elegantem ejus ſpe-

Captus S. Soſius, & interrogatus, fidem * *in Ms.* pertinxerit

* *al.* Dei

* *al.* interritus

cioſitatem, Aptè, inquit ad illum, forma corpo-
k ris cum fama nominis tui congruit *k*: ſed quia quadam ſuperſtitione pollutus aſſeveraris, neceſſe eſt, ut accedens libamen offeras, & fruſtreris accuſationem, quæ toties de te noſtras perculit aures. Ad hæc Sanctus ita reſponſum reddit paucis: Abſit hoc, judex, abſit à me, ut debeam aliquo modo illam commaculare religionem, cui ab ipſis, ut ita dicam, oblatus cunabulis, toto corde totaque intentione ſervivi.

10 Tunc cenſor intumuit, & felleam vultu præ-
conſtanter & liberè profitetur: tendens amaritudinem, Ne confidas, inquit, in hoc vernanti corpore juventutis. Quia, ſi ſcitis imperialibus & meo protinus conſulto non parueris, illo te, priùs vehementer affectum tormentis, jubeo mancipari ergaſtulo, unde ſaltem nec ipſe te Deus tuus poſſit eripere, ſed ſqualore intolerabili, & famelicâ ſic adigaris penuriâ, ut ſponte perficias, quod modò parvipendendo recuſas. Mox Propugnator veritatis, omni refertus conſtan-
l tia, ait: Non tibi umquam bene *l* ſit, arbiter iniquitatis, ut quibuſque aliquando pœnis devincar, & deteſtabile tuæ perverſitatis adimpleam votum. Ego autem firmiter in Deo meo ſperans, cum ejus Apoſtolo ſemper decanto: Nullus me ſeparabit
* *al.* Dei à caritate Chriſti *, non tribulatio, non perſecutio, non gladius, non carcer, non fames, non nuditas: quoniam propter eum tota die mortificor, ut tandem cum illo conjungar. Sed tibi, ô miſerrime, tibi, ô ſceleſtiſſime, potiùs eſt ingemiſcendum & dolendum, qui juſtè quodam præſagio Dracontius es appellatus. Revera enim nunc ille temerarius draco per oris tui organum loquens, invalidam Dei mei præſumit aſſerere poteſtatem, qui olim protoplaſtis, ob appetitæ Deitatis rapinam, mortem infligens, contra Conditoris in-

ter-

terdictum veſci eis de ligno vetito perſuaſit. Tamen licèt illis hominibus occulto Dei judicio prævaluiſſe lætatus ſit, mihi verò, cui jam per lignum * Crucis vita eſt reſtituta, numquam per te Dracontium, qui ad inſtar ejus nomen * : venenatam poſſides linguam, Deo ſuffragante, poterit prævalere.

* *al.* de ligno

* *al.* nominis

11 His judex auditis, ſævum * infremuit, & furibundus ad lictores, Nunc, ait, nunc veſtras expromite vires, & loquacitatem hujus Audaciſſimi * validis comprimite flagris, quatinus reſipiſcens animadvertat, ante cujus ſublimitatis tribunal adſiſtat. Dixit: & dictum miniſtri cominus exequentes, totum Sancti corpus fædiſſimè laniabant *m*. Cernens itaque dæmonum arbiter robuſtiſſimum Chriſti paleſtram *n* illa patienter flagella tollerâſſe, ſtomachando intulit: Hic, quia ſe vultum longanimitatis induiſſe ſimulat, clauſtris eſt teterrimis deputandus, ut ibi frigore fameque deficiens, florida ipſius, quâ gloriatur, juventa tabeſcat. Erat namque * tunc beatiſſimus Soſſius annorum circitèr triginta, ſicut ipſe cuidam benigno revelaverat epiſcopo, nomine Theodoſio *o*, quem propter vitæ meritum valde dilexerat. Advenerat autem iſte de Græcia, & propter religionem multa cum eo ſoliditate * fuerat combinatus. Quique etiam & de eodem fatebatur diacono, quòd verè Domini noſtri Jeſu Chriſti diſcipulus, & imitator eſſe ſtudebat. Nam & oportunè importunéque prædicationi inſtabat, & ob indicantium ſagacitatem vulgares plerumque declinabat aſpectus.

flagris cæſus, dum annorum ferè erat triginta,

* *al.* ſecum

* *al.* Audacis

m

n

* *al.* nempe

o

* *al.* ſodalitate

12 Recluſo itaque fortiſſimo martyre Soſſio ſecundum decreta judicis in ardua atraque * cuſtodia, Proculus diaconus, & Eutices atque Acutius, illuſtriſſimi cives Puteolanæ urbis, fervore devotionis accenſi, ethnicos clamoſis * objurgationibus

* *al.* arctaque

* *al.* clamoroſis

carceri includitur. Martyres Puteolani ipſum invi-ſentes,

nibus increpabant, dicentes: Miſeri, dementes, inſani, quare benignum & innocentem Hominem verberibus afflixiſtis, in tenebras adduxiſtis? Numquid, quia veſtrarum principis tenebrarum noluit eſſe famulus, ideo lucernam ardentem, quæ ſub modio non poteſt contegi, carceris obſcuritate voluiſtis extinguere *? Heu deteſtabile judicium! Heu execrabile factum! quod omnis lex abrogat, omniaque jura condemnant. Quis umquam legiſlator vel juris peritus indixit, ut juſtus condemnaretur, aut innoxius puniretur? Hæc & his ſimilia vociferantes, ad ergaſtula properârunt: & ſanctum Levitam omni ſolamine omnique allevabant affatu. Dic rogo, dic, inſaniſſime cenſor, numquid & iſti alienationem mentis patiuntur, qui & innocenti Viro ex intimo compatiuntur affectu, & penitus improbant tuæ iniquitatis examen? Cæce, ſi ſenſus tuus non eſſet perverſus, videres utique, quia iſti ſunt, de quibus prophetica clamat ammiratio: Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Verè ut nubes, & ut columbæ volabant, qui nullis implicati contagiis, tam perſpicuo tamque claro obtutu ea, quæ ſunt æquitatis, intuebantur, & veraciter profitebantur.

**al.* extingui

capiuntur, interrogantur, conſtanteſque,

13 Sed quia nullius utilitatis reſpectum tua capit obſtinatio; ideo præceps velut in reorum duceris accuſationes. Lictores enim, verbis illorum auditis, ſtatim ad iniquum judicem properantes, Domine, inquiunt, ecce homines Chriſtianæ ſectæ, quos ubique perſcrutari ſponte veſtra dignatio juſſit, venientes ad carcerem, cum Soſſio dampnaticio in confabulatione junguntur. Dracontius ilico citatis eos ad ſe vocans officiis, præcepit, ut cum ſancto Soſſio ſibi præſentarentur *p.* Qui dum læto coram eo vultu apparent, talem judex prorupit in vocem: Quæ * vos fatalis coëgit

p.

**al.* Miſeri, quæ

im-

impulſio, ut huic inſano faventes Homini, noſtræ noſtrorumque principum decreta parvipendatis? An neſcitis, quanta ſuper hujus Soſſii complices imperatorum deferveat indignatio? Relinquite ergo has vanas, quas ſomniatis, ſpes, ne vos appetîſſe pœniteat iſtius ſodalitatem vecordis. Ad hanc Sancti tale conſtanter ediderunt reſponſum: O utinam, judex, cælitus inſaniam ſtolidi hujus fuiſſemus incurrere digni, qui vos veſtroſque tyrannos fide contempnit, humilitate deſpicit, patientiâ vincit, viceramus, inquiunt, & nos iram indignationis non veſtræ, ſed Dei, qui venturus eſt ponere orbem terræ deſertum, cujus illecebras tanta vos aviditate ſectamini, ut meritò filii ejus aſtruamini. Filii ergo mundi procul dubio quia cum mundo perituri ſunt, ideo eligendum eſt nobis, ut temporalem auguſtorum & veſtram pro nihilo ducamus fævitiam, ut deſideremus in hujus collegio inveniri, quem vos inſanîſſe putatis, quatinus cum eo vitam adipiſci mereamur æternam.

14 Talibus extemplo dictis cenſor exarſit in iras, & ſine mora furens vapulare Sanctos penè uſque ad internecionem præcepit, ipſo etiam deſuper intonante: Hæc eſt ſuavitas collegii, hæc eſt jocunditas contubernii, hæc, inquam, ſunt oblectamenta Soſſii, in quibus vos toto epulari optâſtis affectu. In his porrò delectabiliter convenit epulari*, donec conſultiùs excogitemus, quid aliud noſtræ humanitatis vobis dignanter impertiri poſſimus. Crudeliſſime arbitrûm, quare in Famulos Dei furiâ tantâ baccharis? Quare ultra modum fævire diſponis? Neceſſe eſt enim, ut aula fidei eorum procacioribus impetatur turbinibus: ſed quia tu ex parte jam compertum habes, quo fundamento locata conſiſtat, ſubrogandus eſt tibi alter ſæviſſimus, qui cognoſcat ex toto, qualiter illam ar-

graviter cæſi in carcerem conjiciuntur.

* *al.* gratulari

chitectus Chriſtus ſupra petram ſuam inconcuſsè fundavit.

ANNOTATA.

a *Cædes occulta Numeriani imperatoris per Aprum ſocerum ſuum & præfectum prætorio, ſatis bene hîc relata, contigit anno* 284, *uti & electio Diocletiani, qui acclamatus imperator, Aprum manu propria occidit. Non itaque ſtatim poſt compertam Numeriani mortem, ſed poſt acclamationem Diocletiani occiſus eſt Aper.*

b *Communior hæc eſt opinio de genere Diocletiani.*

c *Imò potiùs ſecundo imperii ſui anno, ſive anno* 286.

d Apud Murgum *habet Surius; ſed rectè in utroque Ms.* apud Margum, *quod oppidum erat Mœſiæ Superioris. At non videtur prælio victus occubuiſſe Carinus, ſed victor occiſus dicitur à ſuis. Res contigit anno* 285.

e *Non tam citò generalis fuit perſecutio ſub Diocletiano; ſed illa anno* 303 *cœpta.*

f *Cumana Sibilla celebris eſt. Miſenum autem erat prope Cumas: utrumque oppidum exciſum eſt: at ſitus videri poteſt in tabula Commentario præfixa. Veriſimiliter auctor id habet ex Actis ſecundis, ubi mendosè aliqua leguntur ſimilia:* Et quia in ipis (*ipſis*) locis.... frequens erat paganorum nobilium virorum (*adde* concurſus ad) magnam vatem & tuſtamulus (*fortè* cujus tumulus) uſque in hodiernum diem *&c.*

g *Hæc etiam ex laudatis Actis num.* 1 *deſumpta videntur, uti & ſequentia de flamma è vertice* Soſii *emicare viſa, & martyrio ipſius prædicto à* Januario.

h *Su-*

h *Surius cum Ms. Neapolitano:* Rectè ignis iſte in utrorumque ardebat præcordiis *&c.*

i *Idem hîc cum dicto Ms.:* Si ipſe illos, procul dubio clarificavit & iſtos.

k *Sermocinationes Dracontii &* Soſii *neque in Actis primis neque in ſecundis leguntur, ut verisimile ſit, eas ab hoc auctore compoſitas ea libertate, quam, æquè ac profani ſcriptores, multi biographi licitam ſibi exiſtimârunt.*

l *Hac phraſi ſolùm vult auctor: Non contingat tibi ex voto, ut me vincas.*

m Laniârunt *habet Surius cum Ms. Neapolitano. Porrò Acta prima ſolùm habent num* 1, Soſium *& tres Martyres Puteolanos* diverſis ſuppliciis maceratos *fuiſſe. Dubitari itaque poteſt, an Joannes Diaconus de illorum ſuppliciis plura noverit.*

n *Voce inuſitata* Paleſtra *pro athleta vel luctatore etiam inferiùs uſus eſt auctor, ſi rectè habeat Ms. Romanum. Surius* Militem *ſubſtituit: Militis æquè ac Palæſtræ mentio eſt in Ms. Neapolitano; ſed ibi dictio eſt corrupta.*

o *Hæc de illo epiſcopo & ætate* Soſii *ſimiliter leguntur in Actis ſecundis num.* 1, *tacetur tamen nomen epiſcopi, prout illa ſunt edita.*

p *De occaſione, quâ* Proculus *& duo Socii fuerunt capti, nihil habent Acta prima; ſecunda verò rem alio modo exponunt, nec minùs improbabiliter, quàm hic Joannes: in Actis* S. Proculi *alio rurſum modo ipſorum comprehenſio narratur.*

CAPUT II.

Januarii, Festi & Desiderii certamina Nolæ coram novo præside Timotheo : Tres illi Puteolos ducti, ubi omnes, frustra bestiis objecti, capite cæduntur.

Timotheus Campaniæ proconsul factus, Januarium capi jubet :

CÆsis ergo Martyribus, & cum sancto Sossio in uno conclavi reclusis, Diocletianus execrabilis imperator Timotheum *a* quemdam paganissimum Campaniæ præsidem substituit, ita dumtaxat, ut insatiabili feritate Christianos * persequeretur. Qui adveniens, dum ex more urbes accepti præsidiatus inviseret, Nolam adiit, ibique diebus aliquot remoratus, officium de gestis & judiciis præcedentium subtiliter inquirere cœpit. Mox autem, ubi repperit, quòd Sossius Dei confessor & martyr cum Proculo diacono, Euticete simul & Acutio laicis, apud Puteolanam urbem ergastulis macerati pro Christi nomine tenerentur, statim & beati Januarii mentio facta est, eò quòd Sossium pro quodam inflammationis præstigio *b* officiosissimè visitare, & propensiùs omnes ad passionis tolerantiam comportaret *. Hac protinus suggestione consul inflammatus, Eia, inquit apparitoribus, perniciter iste accersatur, qui tantæ præsumit auctoritatis esse, ut ipse priùs * perpendat, cujus sit vigoris

a * *al.* fideles

b * *al.* confortaret

* *al.* potiùs & ocyus,

goris altitudo noſtra, & ita, ſi eſt illi commodius, cæteris conſulere diſcat.

16 Citò ergò pulcerrimus Præſul ante faciem tyranni * allatus, multis reſponſionibus adornatus * eſt, ut ſacrificia libaturus accederet. Sed cùm nullis potuiſſet blanditiis ab orthodoxæ intentionis culmine *c* dejici, projectus eſt in fornacem, quam per triduum dux ipſe nimis ſuccendi * præceperat. De qua ita, Deo cuſtode, incolumis eſt egreſſus, ut nec crinibus eſſet, nec veſtimentis ſaltem aduſtus. Ecce, Timothee, antiquum illud trium puerorum miraculum noviter Dominus per Martyrem noſtrum * operari dignatus eſt. Sed quia tu, perverſiſſime, dæmonum id magis ludificationibus, quàm divinæ aſcripſiſti potentiæ, cui debito jure omnis creatura famulatur, recto de te dici poteſt examine: Rex Babyloniæ ſurget in judicio cum Timotheo iſto, & ampliùs condempnabit eum, quia ille, viſo tanto miraculo, ſtatim Chaldææ dignitatis faſtus depoſuit, & ad prædicandam Dei virtutem voce, litteris, hortamentiſque omnibus eſt accinctus: &, ut ne quid minus exhiberet, famulos ejus tantâ ſublimavit honorificentiâ, ut in omni regno ſuo primates eos fore decerneret. Tu autem è contrario phantaſma putans tantum miraculum, nec Chriſto magnitudinem, nec Martyri ejus aliquam exhibuiſti reverentiam: & ideo nunc te tuumque complicem Dracontium una manet remuneratio, quia una fuit & mentis obſtinatio *. Ille namque Soſſium diaconem tenebris occulit *, tu Januarium præſulem in ignem projicis, ut unà vobiſcum perpetuo combureretur incendio.

17 Sed quia perſpicua Sanctorum devotio & ignem ſprevit & tenebras, ſupereſt, ut atrocius ſupplicium Januario inferas, quatinus tandem cum Soſſio copulatus, pariter ad deſiderii ſui pertingat

hic fornaci ardenti injectus, manet illæſus,

* *al.* ante tyrannum

**al.* hortatus *c*

**al.* accendi

* *al.* ſuum

* *al.* excæcatio

**al.* obtulit

de quo ratiocinatur auctor.

effectum. Nequiſſimus itaque conſul denuo ſanctum Januarium ſuis præſentari fecit aſpectibus. Quem cùm robuſtiorem in fidei repperiſſet arce conſiſtere, juſſit, ut nervi à corpore ejus abſtraherentur *d*; & ita decretis ad cuſtodiendum militibus traderetur. Heu ducem cruentum! Heu crudelem tyrannum, cujus atrocitas etiam elementa tranſcendit! Ignis quidem potuit ſuæ voraciſſimæ repugnare naturæ, & Martyrem incolumem cuſtodire. Iſte verò communis naturæ oblitus, unde compungi ad veniam debuit, inde carnificis feritatem exſuperavit. Miſer ille aut non fuit humano figmento compactus, aut crudelitas ejus ſævior fuit ſæviſſimis cunctis.

d

Feſtus & Deſiderius capti & interrogati,

18 Audientes interea duo ex agmine clericorum ejus, Feſtus ſcilicet diaconus & Deſiderius lector, quòd eorum Paſtor pro Chriſti nomine in vinculis teneretur, continuò inflammati à Spiritu ſancto, Nolam properârunt, & ejulantes clamabant: Quare talis Pontifex coartatur? quare tantus Pater affligitur? Qui ut omnes lucrifaceret, omnium compati neceſſitatibus procuravit. Mox eos impiiſſimus dux ſibi cum ſuo præſentari jubens Antiſtite, ſciſcitatus eſt beatum Januarium, ſi ſuæ ditionis eſſent. Cúmque ille reſpondiſſet, quòd unus diaconus ejus eſſet, & alter lector; præſes intulit: Tene, inquam, & iſti ſequentes, Chriſtianos ſe autumant eſſe? Erectis ilico * piiſſimus Paſtor in cælum oculis, Spero, inquit, in Deo meo, quòd non ſolùm verbo, ſed & opere veraciſſimi ſunt Chriſtiani.

* *al.* itaque

cùm Januario Puteolos ducuntur,

19 Tum conſul, ubi ab eis, de hujuſcemodi religione interrogatis, audivit, quòd ovanter pro tali ac tanto nomine mori eſſent parati, nimio ſuccenſus furore præcepit illos ante currum ſuum catenis innexos uſque Puteolanam protrahi urbem, ut unà cum Soſſio & Proculo diaconibus, necnon

Eu-

Euticete & Acutio laicis, ad diſcerpendum beſtiis traderentur, quatinus ſanctorum Martyrum membris * horribiliter laniatis, ille videndo ſuam rabiem ſatiaret. Dic, rogo, inſaniſſime conſul; dic, irarum miniſter, quò te tuus furor impellit? Hactenus Januarius ſolus, fide, non ferro, munitus, facillimam de tua vecordia inſultationem ſumebat; & nunc cum Soſſio ceteriſque conjunctus, minoris virtutis efficitur an potioris? Si enim præcipiti furiarum voragine tua non fuiſſent abſorpta præcordia, nequaquam Sanctos Dei, ubi * erant mente, ita corpore ſociares. Ergo quia nunc tu de te ipſo facis ludibrium *, videbis, qua facilitate Martyres noſtri de te beſtiiſque tuis triumphent.

* *al.* artubus

* *al.* ſicut

* *al.* ludibria

20 Cùm autem beatus Januarius carcerem eſſet ingreſſus, quo fortis levita Soſſius tenebatur, cœpit omnium deoſculari capita, maximè ſancti Soſſii caput amplexans, aiebat: Ecce ſanctum & venerabile caput, quod olim Spiritus ſanctus martyrizandum portendit. Ecce caput, quod olim ſpiritalis * flamma *e* depaſcens, & roſeo paradiſi ſerto *f* coronandum præfiguravit. Eia nunc, fratres, viriliter contra antiquum hoſtem, & ejus famulum Timotheum pugnemus, viriliter dimicemus, quia idcirco me huc Dominus direxit, ut nec Paſtor à grege nec grex à Paſtore videatur divelli. Nullis, inquam, blandimentis, nullis comminationibus à Chriſti ſocietate ſequeſtremur; quia fortiſſimus Jeſus cælitus proſternet acies *g* omnium adverſantium nobis.

& reliquis Martyribus jungantur.

* *al.* cæleſtis

e

f

g

21 His ita peractis, altera die præcepto tyranni in eadem civitate arena parata eſt, & conſul ad amphitheatrum cum innumerabili multitudine promiſcui ſexus & ætatis perveniens, paleſtras * Chriſti pariter ad beſtias exponendos fecit adduci. Tunc Martyres crucis ſe munientes præſidio,

Sancti omnes feris objecti, & ab illis illæſi,

* athletas

ſidio, velut ferrei montes ſtabant immobiles, & oculos palmaſque levantes ad ſidera, infimis ex
h organis propulſabant Tonantem *h*. Mox mirum in modum, ubi beſtiæ catenis ſolutæ, & in Sanctos furibundo impetu ire coactæ ſunt, ſic affuit
al. Domini miſericordia Dei, ut velociter omnem feritatem in manſuetudinem convertentes, velut mitiſſimæ ad pedes Sanctorum procumberent. Cerne, ſocordiſſime conſul, cerne tropæa Martyrum, quos faciliùs ſub uno collegio, quàm ſingulari congreſſione, vincendos exiſtimâſti. Torquêre nunc magis magiſque livore ſæviſſimo, & lymphatica intrinſecus rotare vertigine, quia illo ſunt omnes in beſtiali ſubmiſſione circumvallati tutamine, quo Januarius in voraciſſimis flammis, & Soſſius in carceralibus tenebris. Hiſce ergo, miſer, diſce dona hæc fuiſſe cæleſtia, & non magicæ artis phantaſmata. Quoniam nihil umquam poteſt ab immundo mundari, & à mendace nihil verum aliquando dici.

22 Populus autem, qui ad tale ſpectaculum confluxerat, in ſtuporem & murmurationem converſus, tantum pavorem ſtultiſſimo præſidi incuſſerunt *, ut Sanctos continuò ex amphitheatri ſcamate ad forum duci præciperet, & funeream* dictaret ſententiam, dicens: Januarium epiſcopum, Soſſium, Proculum, & Feſtum diacones, ùnà cum Deſiderio lectore, Euticete atque Acutio laicis, quos à Chriſti cultura nullis potuimus revocare tormentis, vel * imperialibus ſubjicere cærimoniis, capite plecti jubemus. Beatus verò Januarius, fide promptiſſimus, pietate providus, extemplo Dominum deprecatus eſt, ut oculos iniquiſſimi Præſidis, qui multos à lucis tramite pro defenſione dæmonum deviârat, tenebris proſterneret, quatinus hoc alii videntes, ad lucis fidem

capite damnantur. Judex cæcus factus & ſanatus,
** al.* incuſſit
** al.* ſurentem
** al.* &

&

& ſalutis reſpicerent pœnitentiam. Mirabilis Deus in Sanctis ſuis! Necdum Martyr verba finierat, & nimius horror ducis oculos obtexit ita, ut præ dolore ingenti feſtinaret *i* officium ad Martyrem reducendum. Ducebatur autem jam à carnificibus cum aliis ad ſulphoratoriam *, ut ibidem decollaretur. Ecce nunc, Timothee, ſi juſtè pro tuis dimicâſti diis, eruant te de hac intolerabili cæcitate, quam incurriſti. Si autem nequeunt tibi reſtituere ſanitatem, implora Martyris ſuffragia, ut luminis tui miniſterio reſtituto, cognoſcat gentilitas omnis, quòd plus martyres noſtri poſſunt, quàm dii veſtri. Cùm autem velociter ſanctum Martyrem * reduxiſſet, conſul cœpit clamare & dicere: Januari, ſerve Dei excelſi, deprecare Dominum * tuum pro me, ut lumen valeam recipere, quod amiſi. Mox ſanctus Januarius pro circumſtantibus populorum catervis vociferanti duci compatiens, celerem illi ſoſpitatem à Domino impetravit.

i

* *al.* Sulphuratoriam

* *al.* Januarium

* *al.* Deum

23 Sed quia reprobi ſemper de beneficio pejores fiunt; conſul, utpote derelictus à Deo, cernens tantam multitudinem hominum ferè quinque milia * converſam ad Dominum, valde turbatus eſt, & ne decreta principum præteriret, juſſit propere Sanctum protrahi, & cum ceteris Martyribus decollari. Sancti verò, dum pſallendo ad locum deſtinatum perveniſſent, flexis in oratione poplitibus, Deo ſe commendârunt. Et ſpiculatorem, ut feriret, hortantes, bravium ſunt perpetuæ felicitatis adepti. Chriſtiani autem diverſarum urbium, cùm ſollicitè lucubrarent, ut Patronos ſibi raperent *, Neapolitani beatum Januarium revelatione commoniti *k* ſuſtulerunt. Puteolani quoque ſanctum Proculum & ſanctos Euticetem & Acutium. Sancti verò Feſtus & Deſiderius, promerente Ciphii cujuſdam devotione, Beneventum perlati ſunt.

Sanctos decollari jubet, quod executioni mandatur.

* *al.* millium

* *al.* rapere divina collatione valerent

k

Sanctiſſimum * denique Soſſium levitam cives ſui Miſenates tollentes, in mirifica collocârunt *l* eccleſia, nono Kalendarum Octobrium, de quo, Deo providente, poſt multorum annorum curricula qualiter Neapolim tranſlatus ſit, ſub teſtimonio fidei veraci & ſimplici ſtilo proſequemur.

* *al.* Beatiſſimum

l

ANNOTATA.

a *Modò Acta prima auctor ſequi incipit, neglectis ferè ſecundis, quæ ſolùm pro geſtis* Soſii *præ oculis habuit. Omittit tamen aliqua de* S. Januario, *quia de* Soſio *ſcribebat.*

b *Hic, cùm rurſum memoret* Soſium, *rurſum ad Acta ſecunda reſpicit; ſed ſatis improbabiliter, cùm gentiles veriſimiliter nihil noviſſent de flamma, quæ ex capite* Soſii *emicuerat.*

c *Ita Ms. Neapolitanum & Surius. Ms. Romanum habet:* ab orthodoxi intentione culminis.

d *Vide de hoc Annotata ad Acta prima lit.* d.

e Soſio *ubique intentus auctor, rurſum hîc aliquid ex Actis ſecundis mutuatur, licèt deoſculatio capitum ex primis ſit ſumpta.*

f Roſea paradiſi ſerta *legitur in Ms. Romano.*

g *Surius cum Ms. Neapolitano:* omnes adverſariorum noſtrorum acies.

h *Id eſt, orabant Deum.*

i *Fortè* feſtinare juberet, *aut* mittere feſtinaret.

k *Surius pro* commoniti *mendosè habet* commodi. *At* commoniti *eſt in utroque Ms. Revelatio de ſuſtollendo unà abſciſſo digito legitur in Actis primis num.* XI, *in ſecundis num.* 8.

l *Varia prætermiſit auctor de* S. Januario, *quia* Soſium *habebat præ oculis. At hunc ſtatim tranſlatum eſſe Miſenum, & in baſilica collocatum non credimus. Videri poſſunt, quæ de prima omnium tranſlatione differui in Commentario* § 7.

CAP.

CAPUT III.

Inventio corporis S. Sosii & translatio Neapolim: miracula secuta.

POst *a* eversionem igitur Luculani *b* oppidi, sicut in alio constat libello expressum, cùm memoratus abbas corpus sancti Severini meruisset adipisci, cœpit sese omnibus præparare impensis, ut ad honorem ejus opitulante Deo basilicam camerato posset ædificare labore: ac per * hoc dum ubique solicitus investigaret, ut tanto operi competentem valeret invenire materiem, ad Misenate direxit castellum: nam sexaginta evolutos jam penè per annos ab Hismahelitis *c* erat demolitum oppidum illud, & ad solum usque prostratum. Monachi verò, qui ad hoc transmissi fuerant, dum humana curiositate, quæ more solito stimulat semper ignota scrutari, diversa per loca subissent, ad contemplandam ipsius episcopii fabricam processerunt. Inde, cùm ecclesiam sancti Sossii fuissent ingressi, & sub illo ingenti lustrâssent singula templo, tres litteras prope obliteratas ex ejusdem Sancti vocabulo conspexerunt. Quarum schemate protinus exhilarati, Eamus, inquiunt, eamus, & domino abbati talia nunciare non remoremur. Qui vestigio regredientes, & cuncta, quæ fecerant, secundum regularem institutionem recensentes, adjecerunt: Si tua, pater honorande, voluntas est, possumus sanctum reperire Sossium; vidimus

Joannes abbas concepta spe inveniendi corpus Sosii,

a

b

* *al.* pro

c

enim in ipso pariete, cui altare subjacet ipsum, tres apices quasi latitantes, qui nostris pro certo mentibus indiderunt, quòd, si quilibet lector idoneus affuisset, incunctanter ad rei veritatem pertigissemus *. Horum itaque assertiones tacito abbas ipse corde revolvens, compescere priùs eos honesta studuit gravitate. Dein, quia illi quodam instinctu magis ac magis talia repetebant, insuper & promptis affirmabant attestationibus, consentit tandem. Sed quia non fore canonicum æstimavit, absque pontificali licentia, cujus & juris erat, illuc transmittere, per auxilium Domini sacerdotem meæ indolis præceptorem, supplicando direxit domino Stephano episcopo, quatinus, si divina largitate donatus munere tanto tamque præclaro fuisset, permissu ejus in suo monasterio collocaretur.

* *Falc.* pertingeremus

25 Tunc præsul pio suspirans affectu, Annuat, inquit, Dominus precibus servorum suorum, & aperiat illis thesaurum misericordiæ suæ; quia multi fuerunt, prorsus multi, qui se ad illum inveniendum omni studio accinxerunt; sed occulto Dei judicio nunquam exinde ad effectum pertingere potuerunt. Nam Sicardus princeps Longobardorum, post innumera mala, quibus urbes nostratium afflixit, etiam ad hoc prorupit, ut sepulcra suffoderet, & Sanctorum ex eis corpora sublevaret; sed Martyrem hunc, licèt alium pro alio reperisset, & nomini ejus ecclesiam consecrâsset *d*, nequaquam invenire potuit. Postmodum quoque dominus Athanasius *e* episcopus, sanctæ memoriæ germanus meus, summa probitate hujus margaritæ investigator extitit, sed nec ipsi collatum fuit. Nunc autem, si divinæ voluntatis est, ut illis pandatur, quis est tam demens, qui contrariæ supernæ dispensationi nitatur? Talibus confestim eulogiis

obtentâque Stephani episcopi licentiâ, mittit

d

e

logiis animatus abbas ipſe, accerſivit me Johannem ſancti Januarii diaconum, & Aligernum primicerium, & Petrum ſubdiaconum: & facta nobis præceptione, injunxit, ut cum Johanne, cognomento Majorino, propoſito ſuo, & Athanaſio illuſtri monacho, Miſenum proficiſcentes, noſtro diſcerneretur arbitrio, ſi quid acceptabile tanta monachorum inſinuâſſet aſſertio.

26 Nos quidem tanto viro haud ſegniter obſecundantes, altera die jam inclinata ad veſperum naviculam *f* aſcendimus & Puteolos annavimus, ibique parva quiete corpora procurantes, ſimili nos ſomnio de inventione Martyris lætificaverunt Athanaſius monachus & Petrus ſubdiaconus. Sed quia multos errare ſomnia fecerunt, idcirco nec penitus detraximus, nec accomodavimus fidem. Tamen eveſtigio ſurreximus, & ante lucem ad illud ſancti Soſſii properavimus templum: ubi dum ex more matutinales decantâſſemus hymnos, & velut homines diu ad tantarum enormitatem camerarum obſtupeſceremus, inventores litterarum tandem vocavimus, & nobis apices ipſos monſtrari præcipimus. Quibus examuſſim perpenſis, & fratrum ſimplicitate conſiderata, non ſubſannando, ſed compatiendo, diximus: Hæc, inquam, fratres, tria grammata veſtram potiùs declarant intelligentiam, quàm aliquid emolumenti conferant. Si enim evidenter cognoſcere vultis, quid hæc innuiſſet exaratio, verſus fuit olim hujus abolitæ imaginis deſuper ſtantis. Mox omnium diriguit animus, & quantâ priùs lætitiâ geſtierat, tantâ ſubitò mœſtitiâ retrahebatur: ita duntaxat ut memoratus præpoſitus, commotus adverſus ipſos monachos, diceret: O utinam nunquam veſtra loquacitas audita fuiſſet, ecce homines iſti tantam fatigationem pro charitate fraternitatis arripientes,

viros egregios ad quærendum. Hi diligenter

f

vacuos ſeſe hinc diſcedere timent. Nam cœperant fodere circum altare, quod illis oſtenderam, ſed nihil inveniebant niſi ſepulturas inanes *.

* *al.* vacuas

eccleſiam deſtructam luſtrantes,

27 At ego interim unam contemplabar feneſtram, & tacitus admirabar non ſolùm ſitum ejus, qui in tanta mole tam tenuis videbatur expreſſus, ſed antiquorum maximè induſtriam, quæ in condendis corporibus, immò in omni artificio tantâ calluit aſtutiâ, ut difficiliùs poſterorum animadverſio pateret. Dum hæc autem mecum ipſe revolverem, ſubitò quadam inſpiratione perculſus, Aligerno primicerio & Athanaſio monacho, qui mihi dextorſum aſſiſtebant, dixi: Si quid veri mens mea conjicere poteſt, plus hæc feneſtra deceptionis, quàm lucis, habere videtur. Et illi, Quo, inquiunt, modo? Quibus ego: Si ad integrum luſtrare quiviſſem, qualiter locata conſiſtat, ſtatim propalatum fuerat, quomodo cunctos quæſitores Martyris hujus valde fefellit. Sic fatus unà cum ipſis extemplo foràs egredientes, certatim per dumos & vepres aditum tentabamus: ſuccreverat enim illic horribilis ſaltus, quem denſi complêrant undique ſentes. Horum ergo lacerationibus cùm fœdiſſimè vulnerati debilitaremur, Athanaſius, plenæ devotionis monachus, quamvis laniatus, tandem prorupit, & me præ gaudio terque quaterque nominatim exclamans, ſe cominus applicuiſſe vociferavit. Tunc nos alacriter in eandem regredientes eccleſiam, innixumque illum ſuper eandem feneſtram conſpicientes, ſciſcitati ſumus, quò curtis vergeret illa, quali themate piſcina ſurgeret ipſa? Cúmque ille conſultiùs ad ſingula reſpondiſſet, latomis confeſtim accitis: Eia agite, inquam, præcipitate moras, & altare hoc ad demoliendum totis inſurgite viribus. Nullâ cunctemini reverentiâ; quoniam melius eſt, ut noſtris honori-

ſi-

rificè nunc evellatur manibus, quàm poſtea Saracenorum vel ſacrilegorum perfidiâ contemtibiliter diripiatur, ſi fuerit integrum in tot ruinis relictum. Et ſpero equidem in Deo meo, quòd hodie totius fatigationis & laſſitudinis immemores pariter de bonis Domini geſtiamus.

imaginem S. Soſii detegunt, odorem percipiunt ſuaviſſimum,

28 Mox illi, velut ſi cæleſti oraculo exhortati fuiſſent, properè corripiunt trullas, & ovanter noſtra juſſa faceſſunt. Citò ergo citiùs altari deſtructo, apparuit muſiva, quæ ſub eo latebat, & effigies ſancti Soſſii titulata litterulis, & angelicis coronata manibus, cujus habilis nitor ita omnes illiciebat, ut Joannes præpoſitus illam ex ipſo pariete, non niſi immutilatam evellere, & ſecum exinde integram perferre deſideraret. Sed quia omnis iſta intentio ſub uno cæmentarii eſt ictu fruſtrata, converſus ad transfodiendum ipſum parietem unà nobiſcum fremere cœpit aviditate tota. Nam viſa illa prærogativa inventionis effigie, ſic ſic omnium incaluerat animus, ut eſſet videre, quaſi alter alterum niteretur excludere, dum unuſquiſque ſingulariter ſuum oſtentare fervoris ſtudebat affectum. Sub hac nempe laudabili altercatione largiùs exciſo pariete, reperimus inextricabilem ad inſtar ſpecuum machinam, quæ cunctum nobis auferebat proſpectum. Erant namque quatuor ſepulcra inania, ſuper invicem poſita, & duo hinc inde ſubjecta, ſed ſibimet uno mechanicæ artis glutino copulata, ad quorum mirabilem concatenationem exprimendam facundiſſimus, ut reor, etiam torpuerat, ſi ab inferis emerſiſſet, Homerus. Sed quid poteſt contra benignam Dei largitatem humana valere ſagacitas? cùm Scriptura proclamet: Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum. Celeriter ergo contritis & iſtis, tantæ jocunditatis odor, acſi cupreſ-

ſi

ſi videlicet efflaverit ab intimis, ut non ſolùm ipſa die nos inexplebiliter, ſed etiam penè ad medium menſem ſatiaret omnes illuc accedentes: & mirum in modum, quanto plùs naribus odor ille ambroſius attrahebatur, tanto delectabiliùs hauriebatur. Hujus itaque ſuavitatis manente fragrantia, quid niſi, quod ſuprà in Domino confiſus ſpoponderam, protinus abolita eſt omnis gravitudo laboris, fugit omne faſtidium ambiguitatis, & ſuccedente lætitia curioſiſſimis oculis latebrarum penetralia conſiderabamus.

& tandem in tumba ſacrum corpus reperiunt.

29 Sed quia ſub illis cavernis variè retundebantur acies intuentium; allatum eſt lumen: & evidenter introſpicientes, cùm vidiſſemus arcuatam tumbam ad inſtar baſilicæ brevioris expreſſam; perculſus ſum illico relatione clientum * domini Athanaſii majoris epiſcopi, qui quendam presbyterum g ætate provectum, & Miſenatis excidii ſuperſtitem, eidem præſuli ſuggerentem audierunt, quòd ſanctus Soſſius, ſicut prædeceſſorum ſuorum continuata traditione didicerat, in eccleſiola ſuper ſe reconditus eſſet. Ad hanc ergo cominus accedentes, corpuſque ſanctiſſimum intuentes, non mihi ſi linguæ centum fuiſſent, oraque centum, & ferrea vox, exprimere potuiſſem, quanto gaudio geſtiſſemus. Revera enim pro ingenti lætitia ubertim etiam lachrymas fudimus, & debitas omnipotenti Deo gratias conſona voce perſolventes, miſimus ex conſulto circumquaque; ut omnes occurrerent, & eſſent non ſolùm ineffabilis noſtræ epulationis participes, verùm etiam & tantorum Chriſti magnalium teſtes. Interea nos coram ipſo mauſolæo, diviſis chorulis, hymnos Davidicos concinentes, mirabamur tam celerem tamque frequentem populi concurſum. Affluebant enim plurimi, non tantùm ex adjacentibus caſtel-

* al. mendosè eventûs

g

ſtellis, ſed etiam ex illis, qui pro fovendis corporibus ad ipſas venerant thermas: quoniam fama *h*, mirabile dictu, prævenerat jam nuncios noſtros & omnium penetrârat ad aures. *h*

Corpus lauſtratum, & pro S. Soſii corpore aguitum.

30 Horum ſiquidem cùm tota die ſuſtinuiſſemus adventum, & eadem nocte illic excubâſſemus, delectabile ſomnium, imò, ſicut pòſt docuit exitus, veritatis indicium vidi. Nam cùm vigiliis curiſque confectus, eminus procubuiſſem, &, ut matutinalibus horis aſſolet plerunque fieri, ancipiti ſuiſſem ſopore correptus: duos ex ejuſdem tumuli adytis conſpexi prodire juvenculos, crine nigerrimos, oculis ſidereos, vultu proſpicuos, habitu niveos, &, ut breviter dicam, tota jocunditate angelicos, quorum pulchritudo ſic me attonitum reddidit, ut nequirem interrogare, qui eſſent. Tamen cùm ipſi ad me ſtuderent quaſi pedetentim accedere, ne videlicet greſſus alliderent in lapidibus ibidem congeſtis; & ego quodam præſtolarer affectu cum eis impertiri ſermonem, Joannes præpoſitus inſolenter exclamans, me è graviſſimo ſomno excuſſit. Contra quem graviter commotus, dixi: Non tibi unquam, ſervidè frater, relinquatur inultum, qui tua me improbitate tanto bono repentè privâſti. Et expoſita illis viſione, mihi pertæſum & cæteris, ipſi quoque præpoſito miſeranda confuſio ingeminabatur, adeò quippe, ut ora viciſſim replicantes, vario conjicere ſtuderemus aſſenſu, quid tanta viſio innuiſſet. Æſtimantibus autem aliis ſic, & aliis aliter, ecce Joannes Cumanus *i* epiſcopus cum omnibus ſuis, & ipſe accitus affuit: qui diligenter martyrialia membra perluſtrans, & ea omnia adhuc compage ſolida obſtupeſcens: Verè, ait, olim David Sanctorum incorruptionem attendens cecinit: Dominus cuſtodit omnia oſſa eorum, unum ex *i*

eis non conteretur. Et converſus ad populum exclamavit: Nulla, fratres, interſit dubitatio, nulla cunctationis veſtigia cujuſlibet in corde remaneant, quia hic eſt profectò Soſius levita & martyr, cujus caput, quondam pro Chriſto abſciſſum, cervice tenus illi modò locatum & dextrum pauliſper ad humerum inclinatum, luce clariùs contemplamur. Dixit, & Miſſarum ſolenniis ibidem celebratis, unà nobiſcum, alternatim coram locello pſallentibus, uſque ad mare deſcendit.

transfertur in navi, (orta & ſubitò ceſſante procella)

31 Revertente autem eo & univerſo populo, nos ratem aſcendimus, & cum ingenti tripudio cœpimus tranquilliſſimum remigare per æquor; ubi nobis accidit haud filendum miraculum. Nam cùm littus Averni tuto curſu præteriſſemus, & oris jam Puteolanis ſucceſſiſſemus: ſubitò nimboſus turbo aſſurgens, toto in nos ſtridore, totaque intentione fremere videbatur. Mox conturbatis monachis & valde fluctuantibus animo, Nolite, fratres, aiebam, nolite fruſtra metuere: ſi enim iſte Sanctus ad ea vult loca ſubire glorioſus, ex quibus aliquando fortis propugnator evaſit, non fortuitò, ſed quodam ſuperno nutu, credamus hanc nobis ingruiſſe procellam, & ideo nec obniti contrà, nec tendere fas eſt: ſin aliàs, & magis ac magis crebreſcit, nihil eſt aliud, niſi ſedet huic*, ut poſt ſexcentos & quindecim annos *k*, ex quo ad ſuperos migrâſſe creditur, marinis abluatur lymphis. Quod ſi prævidero ego, ante omnes, cui cominus aſſidet, tam diu caput locelli hujus iſtis imprimo undis, quouſque aut bene lotus ex eis emergat, aut iſtos tumentes, velit nolit, præſtet componere fluctus. Mirandis plùs miranda ſuccedunt: vix hæc edideram, & tanta eſt conſequuta tranquillitas, ut jam pacatum per fretum littori ſcapham appuliſſemus, obſtupeſcentes nimirum virtutem Mar-

* *al.* niſi ſe det huic

k

ty-

tyris, etiam in verborum facetiis efficacem.

32 Refectis itaque celeriter in ipſa puppi, quæ neceſſaria erant, ire perreximus. Sed quia propter innumerabilem diverſæ conditionis & ætatis occurſum eodem die Neapolim attingere nequivimus, Lucullanum *l* ſumus ingreſſi caſtellum, quanquam everſum: & poſito locello in eccleſia, ubi priùs ſanctus requieverat Severinus, copioſas aſciariarum *m* & inſignium fœminarum catervas obviàm habuimus. Tunc nihilominus & Joannes abbas, nuntio noſtro excitus, cum omnibus monachis, quos invitaverat, advenit, & gratiarum actione in Deum celebrata, per totam noctem unanimes Græcam Latinamque pſalmodiam ſonoris vocibus concrepârunt. Manè igitur facto, Stephanus epiſcopus & Gregorius conſul cum omni populo ſanctis occurrerunt exequiis, & pro inexplebili gaudio, præceperunt nobis cuncta ſibi ſuggerere, quæ de inventione ipſius fuerunt. Quibus cum omnia ſeriatim, ſicut præſcripta ſunt, inſinuâſſemus, quin etiam & congruè ſubjunxiſſemus, qualiter amplitudo corporis ejus ſecundum ſtaturam æquiorem, ad quam metiri & comparari potuit veniâ dignâ *n*, quinque pedum & ſex digitorum prolixa fuiſſet; protinus idem antiſtes miro ſuccenſus amore, inquit: Felix ille, quem & in hoc ſeculo ad expugnandam ethnicorum perfidiam robuſtiſſimum Chriſtus formavit, & nunc in illo triumphantium grege inter primos primum coronat Athletam. Hæc & his ſimilia cùm longi ſermonis affatu protraxiſſemus, & inſatiabilis audientium devotio, eadem iterum iterumque repeti concupiſceret: deductum eſt ſanctiſſimum corpus cum omni gloria in monaſterium diffamati abbatis, & nec multo pòſt per manus prælibati antiſtitis reconditum eſt in altario eccleſiæ, ſancti priùs Severini vocabulo dedicatæ, u-

usque ad caſtrum Lucullanum: inde ſolemniter Neapolim.

l

m

n

bi omnibus ſe petentibus innumera præſtare beneficia non deſinit, ex quibus tria tantummodo iſtis commendamus litterulis, cætera, quia multa ſunt & incomprehenſibilia, fervore potiùs celebrentur.

Arthritis ſublata,

33 Quædam denique puella nobilium famula, miſerabilibus articulorum coarctata doloribus, cùm ad hujus Sancti eccleſiam perlata fuiſſet, & lita membratim ex oleo lucernæ, coram ipſo altari indeficienter ardentis: revecta eſt domum, ibique poſt aliquantulos dies tantam eſt conſecuta ſanitatem, ut illam Martyris interventu fuiſſe ſalvatam, nemo fidelium ambigat.

puer moribundus ſanatus,

34 Filius denique puer, cùm propter horribilem capitis dolorem ſæpius craſſum vomeret ore cruorem, & nullam medicinali artificio poſſet adipiſci medelam; ductus eſt jam feminecis à parentibus, & coram ipſo altari projectus. Quorum fidem & ejulatum cuſtos eccleſiæ, vir celerrimæ * compaſſionis, ut vidit, confeſtim pueruli frontem & tempora ex memoratæ lampadis oleo perunxit, atque ita, ut allatus fuerat, moribundum jacere permiſit. Mox mirum in modum cœperant ex auribus ejus vermiculi prodire quam plurimi, & velut ſi quodam ſtimulo agerentur, præcipites in terram defluere: quibus ad unum explosis, laudabile dictu, redintegratus eſt ſenſim puer vigori priſtino, & quem genitores ante paululum moriturum lugebant, repentè gaudebant incolumem, magnificantes Deum, qui per Martyrem ſuum tanta beneficia præſtat indignis.

* *al.* celeberrimæ

uti & deſperatus æger, viſione prævia.

35 Quidam præterea nomine Stephanus, quotidiano languore correptus, ad hoc ipſa diuturnitate pervenerat, ut jam deſperari ab omnibus cœpiſſet. Hic ergo cùm quadam nocte humanæ legis angore contritus, ſimul & invaletudine gravatus, nimiùm triſtis recumberet; vidit quaſi per

ſo-

ſomnium quendam juvenem omni decore nitentem, ſeque placidiſſimè ſciſcitantem, qualiter eſſet. Cui cùm ille, mortis terrore perculſus, reſpondiſſet: Malè prorſus & in tantum malè, ut ex hac infirmitate nullo modo credam evadere; protinus audivit: Conſtans eſto, & veni ad me. Tunc ille ſolicitus inquiſivit, dicens: Tu quis es, domine, qui jubes me venire ad te? Cúmque ex ore leniter reſpondentis Soſium intellexiſſet, expergefactus, diu multùm de viſione hæſitavit: tandem advocatæ uxori ſuæ cùm omnia recenſuiſſet, cœpit illa viriliter eum exhortari: Proficiſcere, quia ipſe eſt proculdubio ſanctus Soſius, quem pro ſalute omnium in hac terra cœleſtis Dominus condonavit. His monitis animatus homo venit, & ſpe credulus tamdiu perſeveravit, quouſque ſanitatem reciperet ſecundum veridicam, quam in ſomno ſponſionem acceperat. Cujus beneficii memor, voti compos, ſemper occurrit, & in virtute martyris Chriſtum collaudat totius ſalutis authorem.

ANNOTATA.

a *Hanc Actorum partem ſolùm manuſcriptam habemus in apographo Neapolitano.*

b Lucullanum *oppidum, quod prope Neapolim ſitum erat, ut colligitur ex dicendis num.* 32, *deſtruxerunt ipſi Neapolitani anno* 909, *ne incideret in manus Saracenorum, ut videri poteſt in Opuſculo ejuſdem auctoris, hic aſſignato, de tranſlatione S. Severini abbatis, apud nos edito tom.* 1 *Januarii pag.* 1098, *quod conſule.*

c *Id eſt, à Saracenis. De tempore deſtructi Miſeni, & hujus tranſlationis, diſſerui in Commentario* § 3 *& rurſum* § 9 *num.* 138 *&* 139.

d *De ſublato per Sicardum alio corpore circa*

annum 836 *conſule Commentarium num:* 136.

c *Cùm duo fuerint ante Stephanum III Athanaſii epiſcopi Neapolitani, nimirum S. Athanaſius, qui juvenis epiſcopatum obtinuit exeunte anno* 849, *& defunctus eſt anno* 872, *& ſucceſſor ipſius Athanaſius II, non aquè ſanctis moribus ornatus, dubitant ſcriptores, utrum è duobus fratrem ſuum nominet Stephanus III. Chioccarellus in Epiſcopis Neapolitanis pag.* 107 *fatetur, non conſtare, utrùm Stephanus fuerit frater S. Athanaſii, an Athanaſii II. Agnoſcit, laudes Athanaſio hîc datas, multo magis congruere Athanaſio primo & ſancto, quàm Athanaſio ſecundo, qui nequaquam à morum probitate laudatur. At credit, Stephanum III longiùs diſtare à S. Athanaſio, quàm ut frater ipſius eſſe potuerit. Conſentit Ughellus tom* 6 *in Stephano III ob eamdem temporis, quam ſibi creârunt, difficultatem. At mihi contraria opinio apparet vera, nec magna in tempore eſt difficultas, quam ipſi auxerunt, dum tranſlationem, circa annum* 910 *peractam, fixerunt anno* 920. *Rationes accipe, lector ſtudioſe. Miſenum fuit deſtructum prioribus annis epiſcopatûs S. Athanaſii:* omnes penè immobiles res *deſtructa illius eccleſia accepit Neapolitana eccleſia, agente S. Athanaſio, ut ſcribit Joannes Diaconus. Quis igitur credat, ſanctum epiſcopum numquam fuiſſe ſollicitum de quærendo* S. Soſii *corpore? Imò verò fuiſſe ſollicitum de eo quærendo S. Athanaſium, hic ipſe auctor num.* 29 *inſinuat. Præterea conſtat, ſatentibus Chioccarello & Ughello, S. Athanaſio fuiſſe fratrem Stephanum: huncque fuiſſe epiſcopum Surrentinum, liquet ex Vita S. Athanaſii apud nos tom.* 4 *Julii pag.* 83 *num.* 25. *Itaque vix dubitare poſſum, quin ille ſit ipſe Stephanus, quem Ughellus ab anno* 895 *epiſcopis Neapolitanis accenſet. Ille cer-*

certè anno 910 debebat esse octogenario multò minor, si quinque tantùm aut sex annis fuerit natu minor S. Athanasio: nam hic natus est anno 832 ut videri potest in Commentario ejus Actis prævio num. 9. Nulla igitur est difficultas ab ætate Stephani, qui fortè non excesserat annos septuaginta.

f Sagenam habent aliæ editiones; sed eadem est significatio.

g *In Ms.* episcopum presbyterum, *forsan mendosè.*

h *Verisimiliter aliquis nuntiaverat, inventam imaginem, & ex ea corpus citò reperiendum sperabant.*

i *Hic Joannes catalogo episcoporum Cumanorum ex hoc tantùm loco inseritur apud Ughellum tom. 6.*

k *Ex hoc loco, opinor, scriptores fixerunt translationem anno 920, cùm Sancti credantur passi anno 305. At Joannes nullibi indicavit tempus martyrii, & fortè etiam ignoravit, cum quo Christi anno concurreret quintus Constantii & Galerii consulatus, quo passi creduntur.*

l *Plerique scriptores existimant*, Lucullanum castellum, *aut* oppidum, *ut antè vocatur, ea fuisse in insula, quæ antiquis* Megaris & Megalia, *nunc* Castrum Ovi, *vulgò* Castello dell' ovo, *dicitur. Eam opinionem & nos secuti sumus in S. Athanasio Neapolitano tom. 4 Julii pag. 77, in S. Patritia tom. 5 Augusti pag. 203, aliisque locis. Mazochius in Annotatis ad Calendarium ad 29 Martii pag. 124 in eadem insula & Lucullanum castrum, & monasterium* S. Salvatoris *locanda credidit. Sita autem est ea insula non longè ab urbe Neapolitana versus Puteolos, tamque vicina est continenti, ut ponte cum littore jam antiquis temporibus fuerit conjuncta. Porrò Mazochius in*

Ap-

Appendice ad Dissertationem de Cathedra Neapolitana priorem mutavit sententiam, conatusque est probare, insulam S. Salvatoris esse Nesidem, magis versus Puteolos sitam; & castrum Lucullanum in continenti situm fuisse circa lacum Agnanum *dictum, non longè à Puteolis. Videri possunt loca singula in tabula prævia. Verùm eam opinionem mihi minimè probavit Mazochius; etiamsi prolixè disputet, & conjecturas conjecturis adjiciat. Nam quanto studiosiùs ipsius Dissertationem perlegi, tanto magis deprehendisse me credo, in ea nihil pro opinione illa nova afferri præter conjecturas & ratiocinia. Omnia enim monumenta sacra, quæ affert, contraria magis ipsi sunt, quàm faventia. Repugnant Vita S. Silvestri in libro Pontificali, Vita S. Athanasii, Vita S. Patricia, Translatio S. Severini, Translatio hæc* S. Sosii, *reliquaque omnia documenta sacra, quæ adduxit. Lubet paucis hoc ostendere. Primò donatio Constantini factâ ecclesiæ Neapolitanæ in Vita S. Silvestri, quam allegat, exprimitur his verbis:* Possessionem Insulam cum castro, præstantem solidos 80. *Conjicit Mazochius, intelligi insulam Nesidem cum castro Lucullano, quod vult in continenti situm fuisse è regione Nesidis. Ego verò repono, verba allegata magis innuere, castrum fuisse in ipsa insula, ut fatetur ipse Mazochius cap.* 1. *Itaque, non inquirens in certitudinem donationis aut explicationis Mazochianæ de castro Lucullano, solùm observo, verba illa ipsi esse contraria magis, quàm faventia, ipso etiam fatente. Secundò, quæ in Vita S. Athanasii memoratur,* Insula Salvatoris, *non est Nesis, ut vult cap.* 2 *Mazochius, sed insula illa, in qua hodie est* Castrum Ovi. *Consulamus utramque S. Athanasii Vitam, apud nos ad* XV *Julii datam. Joannes Diaconus in prima num.* 7, *ubi narraverat, S. Athanasium in car-*

carcerem fuisse conjectum à Gregorio duce, indeque precibus clericorum eductum; addit, tali *fuisse* sacramento constrictum, ut nusquam sine consensu ejus abiret, nisi tantùm ad ecclesiasticam explendam consuetudinem. *Tum ita pergit:* Diebus igitur decem expletis, commeatum petivit, quasi convivium monachis insulæ Salvatoris exhibiturus. Quo accepto, nihil moratus, cum omnibus clericis in eamdem ascendit insulam. *Omnia hæc insinuant, insulam Neapoli vicinam & suburbanam, quale est Castrum Ovi; & nequaquam tam longè distantem, quàm distat Nesis, Puteolis propinqua magis, quàm Neapoli. Etenim non dicitur* navigâsse *ad insulam, nec profectus ad insulam; sed solùm* cum omnibus clericis ad eamdem (*per pontem nimirum*) ascendit insulam. *Præterea convivium, quod monachis volebat exhibere, & comitatus omnium clericorum, locum insinuant suburbanum & propinquum, non Nesidem insulam satis longè distantem. In Vita secunda num. 7 de distantia insulæ ab urbe hæc leguntur:* In insula, Salvatoris vocabulo cognominata, quæ à Neapoli vix duodecim distat stadiis *&c. Duodecim stadia ordinaria faciunt passus mille quingentos. Tanto intervallo ab urbe abesse poterat seculo* IX *Castrum Ovi, cùm Neapolis postea multùm excreverit. At numquam Nesis insula magis fuit vicina, quàm hodie: constatque, eam facilè triplo magis Neapoli distare. Itaque hic locus rursum Mazochio contrarius planè est. Æquè eidem contraria sunt ejusdem Vitæ verba, quibus num.* 23 *refertur abductio S. Athanasii ex Insula Salvatoris per Marinum præfectum Amalfitanum, qui ipsum navi impositum Surrentum perduxit. Nam subditur:* Hoc videntes Neapolites exierunt super eos navaliter, ... persecutique sunt eum procul ab urbe. *Itaque res gere-*

batur in conſpectu urbis Neapolitanæ, non in Neſide inſula. Vita utraque S. Patriciæ, data tom. 5 Auguſti, ſive ad diem XXV, *tam clarè Mazochio adverſatur, ut mirer, virum eruditum id non vidiſſe. Prior num. 7 habet, Sanctam ante mortem* Neapolim per mare iterum *veniſſe, indeque* in parvam quamdam inſulam (*quæ* Salvator nomine proprio appellatur,) *portatam, ibique obiiſſe. Altera num. 7 aſſerit, ipſam in via ægrotare cœpiſſe, ductamque navi ad inſulam S. Salvatoris, ibidem obiiſſe. Atqui traditio Neapolitanorum habet, S. Patriciam obiiſſe in Caſtro Ovi. Quare S. Salvatoris inſula ſecundum traditionem Neapolitanorum eſt Caſtrum Ovi. Præterea utraque Vita affirmat, corpus defunctæ Patriciæ fuiſſe carruca impoſitum in inſula Salvatoris, & ſic à duobus tauris vectum ad eccleſiam Neapolitanam SS. Nicandri & Marciani. Non diſputo hic de facti veritate. Solùm inquiro, utrùm ſcriptores illi per inſulam Salvatoris intellexerint Megarin, ſive hodiernum Caſtrum Ovi, proximum Neapoli, & ponte junctum cum continente; an verò Neſidem, longè Neapoli diſſitam, & propinquiorem Puteolis. Dignetur itaque audire Mazochius utrumque biographum. Primus num. 17 ait:* Ipſe verò princeps & epiſcopus cum toto clero, & populus totius civitatis,... ad illum locum poſtea venientes, & corpus illud ſanctum imponentes ſupra carrucam, pſalmis & laudibus boves illos indomitos ſequebantur ferentes carrucam. O quàm mirabilis eſt Deus in Sanctis ſuis! Tauri nequaquam ducti ab aliquo, recto tramite & vigoroſo pede in eccleſiam SS. martyrum Nicandri & Marciani applicuerunt. *Alter num. 9 de itinere taurorum ſic loquitur:* Tunc tauri illi abierunt per mediam civitatem, & pervenerunt in monaſterium SS. Nicandri & Marciani *&c.*

Quis

Quis non videat, agi de tranſlatione ex loco ſuburbano? Etenim neuter loquitur de itinere rectà ad urbem inſtituto, quod prætermittendum non fuiſſet, ſi ex loco tam diſſito, quàm ſit Neſis inſula, facta eſſet tranſlatio. Pergo ad Tranſlationem S. Severini, ſimiliter Mazochio adverſantem. In illa apud nos tom. 1 Januarii pag. 1101 num. 13 hæc leguntur: Poſtero autem die pontifex & clerus, dux & optimates, paſſimque populus univerſæ conditionis & ætatis, matutino tempore properantes, ſe in occurſum cum Dominicæ crucis vexillis odoriferiſque incenſis, in præmiſſi oppidi (*Lucullani*) campo ſanctis exequiis obviârunt, & certatim ſupplices exhibentes venerationem, alternantibus choris Latinis & Græcis, ad monaſterium ſæpe fati abbatis debito obſequio concinnatiſque luminaribus, cineres ſanctos deducunt. *Omnia hæc inſinuant, oppidum Lucullanum, ad cujus campum uſque ſacro corpori obviàm proceſſit tota ferè urbs Neapolitana, fuiſſe proximum Neapoli, & minimè prope Puteolos ſitum. Ut enim omittam, quod iterum obſervari poteſt, corpus non dici Neapolim deductum, ſed ſolùm* ad monaſterium, *inde* S. Severini *dictum; quis credat, clerum cum epiſcopo, optimates cum duce, populumque omnis ætatis, pedeſtri facto agmine, quale deſcribitur, uſque ad lacum Agnanum prope Puteolos, ubi oppidum Lucullanum condere ſtudet Mazochius, ſacris reliquiis obviàm proceſſiſſe, indeque Neapolim rediiſſe tempore matutino? Profectò multi crederent agi de vita ſua, ſi menſe Septembri, quo facta eſt tranſlatio, tantum iter medio die pedibus conficere cogerentur. Itaque nequaquam veriſimile eſt oppidum Lucullanum tam longè fuiſſe Neapoli diſſitum; ut facilè vidiſſet Mazochius, niſi in aperto illo campo, qui veriſimiliter erat ante pontem Lucullani, labyrintheas quæſiviſſet am-*

bages. Vita S. Severini pag. 497 num. 57 docet, corpus S. Severini collocatum esse. Neapolitano populo exequiis reverendis occurrente, in castello Lucullano per manus S. Victoris episcopi, *nimirum Neapolitani. Populus assistens translationi, & episcopus eamdem peragens, aquè sunt Neapolitani. Videat igitur Mazochius, an loca circa lacum Agnanum non sint sub episcopo Puteolano, & an civitas Puteolana jam seculo* v, *quo illa sunt facta, adeo fuerit deserta, ut episcopus Neapolitanus omnia peregisset in aliena diœcesi, & solus populus Neapolitanus adstitisset, si prope Puteolos fuisset castrum Lucullanum. Venio tandem ad locum, quem tractamus, non minùs Mazochio contrarium, quàm reliqua omnia. Nam primò Joannes abbas cum omnibus monachis venit ad Lucullanum castellum eodem die, quo illuc cum sacro corpore advenerat Joannes Diaconus cum sociis. Postridie mane similiter venerunt* Stephanus episcopus & Gregorius consùl cum omni populo, *tractâque ibi morâ non exiguâ*, deductum est sanctissimum corpus cum omni gloria ad monasterium diffamati abbatis. *Omnia hæc innuunt, oppidum Lucullanum Neapoli fuisse vicinum. Si enim longè abfuisset, aut fuisset ad lacum Agnanum, non venisset eò vesperi abbas cum monachis, nec episcopus & consul cum omni populo accurrissent mane, ut inde* cum omni gloria *corpus ad urbem perducerent: neque enim ad id suffecisset tempus matutinum, præsertim si consideretur mora longa, quæ ipsorum adventui & processioni ad urbem in oppido Lucullano intercessit. Brevis ergo erat via ex Lucullano ad monasterium S. Severini, adeoque vicinum erat Lucullanum Neapoli, ut auctor non dicat*, ad urbem *corpus fuisse delatum, sed* ad monasterium. *Itaque quod suprà dicit auctor*, quia propter innumerabilem

di-

diverſæ conditionis & ætatis occurſum eodem die Neapolim attingere nequivimus *&c.*; *intellige hoc ſenſu*; quia nimis ſerò erat ad ordinandam innumerabilis populi ſolemnem proceſſionem, quæ delationem corporis in urbem ſuâ præſentiâ honorare cupiebat. *Aut fortaſſe*, Quia conſultum non erat corpus per confertam multitudinem ad urbem deferre ſine cautela poſtridie adhibenda. *Certè inſinuat auctor, non fuiſſe nimis ſerò ad urbem ingrediendum; ſed ad corpus eò deferendum debitâ reverentiâ & ſolemnitate. Quò autem urbi erant propinquiores cum corpore, eò faciliùs poſtridie magna cum ſolemnitate ad urbem deferri poterat. Præterea ad oppidum Lucullanum navi pervenerunt, non terreſtri itinere, ut perperam voluit Mazochius. Verba ſatis clara ſunt:* Refectis itaque celeriter in ipſa puppi, quæ neceſſaria erant, ire perreximus, *nimirum navigio per mare, ſicut cœperant. Cur enim neceſſaria in navi refeciſſent, ſi navi amplius uti noluiſſent? Itaque nullum eſt dubium, quin navi redierint uſque ad oppidum Lucullanum, ſicut navi diſceſſerant Neapoli, cùm nulla terreſtris itineris fiat mentio, & ſolùm ad littus veniſſe videantur ad reſarcienda nonnulla, quæ per ſubitam procellam in navi erant luxata. Hactenus oſtendi, repugnare Mazochio quatuor aut quinque monumenta, quibus pro nova ſua opinione maximè uti voluit. Exiſtimo etiam hæc ſufficere eidem poſſe, ut ſententiam mutet, præſertim cùm part.* 3 *cap.* 1 *Appendicis ſuæ agnoſcat & probet, Caſtrum Ovi jam à ſeculo* XII *dictum fuiſſe* Caſtellum Salvatoris. *Allegat hunc in finem verba Falconis Beneventani, de Rogerio rege ad annum* 1140 *ita ſcribentis:* Inde navigio parato Caſtellum S. Salvatoris civitati proximum aſcendit *&c. Addit alios ſcriptores ſeculi* XII *&* XIII, *qui hodiernum Caſtrum Ovi*

eodem S. Salvatoris *nomine designant ; fateturque ; idcirco parùm abfuisse , quin sententiam mutaret. Quin & cap.* 3 *similiter agnoscit , antiqua Megaridi sive hodierno Castro Ovi seculo* XII *nomen fuisse* Castri Lucullani , *datque verba ex Capacio , quibus memoratur abbas* Sancti Salvatoris in Castro Lucullano. *Ex eodem Capacio memoratur anno* 1202 *abbas* monasterii S. Salvatoris insulæ majoris de Neapoli *&c. Verùm hæc verba Mazochius iterum explicat de Nesside , quia vocatur* insula major ; *Nesis autem hodie major est , quàm Castrum Ovi. Respondeo , ineptam esse collectionem : cùm enim Castrum Ovi olim* Megaris *&* Megalia *fuerit dicta ; fuerit &* Major *ab aliquo vocata , corrupto non nihil antiquo nomine , & sine ulla comparatione ad alteram. Fortè & olim longè major fuit , ut verisimile esse multis locis ipse agnoscit Mazochius. Cùm tamen nolit fateri ,* castrum Lucullanum *ex vetustis monumentis prope civitatem fuisse , audiat Translationem SS. Juliana & Maximi , quam fatetur scriptam anno* 1207 , *datam apud nos tom.* 2 *Februarii pag.* 88 , *in qua num.* 8 *hæc leguntur :* Et sic canendo pervenerunt ad ecclesiam B. Nicolai Christi confessoris de castro Lucullano , sitam prope mœnia civitatis. *Si ecclesia castri Lucullani erat prope mœnia civitatis initio seculi* XIII , *ut hîc dicitur ; non erat certò in Nesside : sed castrum Lucullanum erat prope Neapolim , & quidem propinquius , quàm fuerat seculo* IX , *verisimiliter quia Neapolis interim accreverat. Cetertùm , quia jam prolixior in his fui , quàm congruit huic loco , breviter mentem meam de tota illa Mazochii Diatriba in gratiam scriptorum Neapolitanorum , quos* omnes pleno in lumine *cæcutiisse* , duceſque cæcorum *factos asserit part.* 1 *cap.* 3 , *lubet declarare. Legi totam non animo refutandi , sed assi-*

guan-

gnandi eam lectoribus, ſi oppidum Lucullanum in ea rectè aſſignatum reperirem. Cùm verò non niſi tenebras legendo haurirem, conjecturaſque ex conjecturis novâſape dialecticâ deductas, cœpi & loca ex Vitis Sanctorum allegata conſulere, cenſuique totam Diatribam breviter refutandam. Etenim adeo omnia à Mazochio allegata veterem ſententiam Neapolitanorum confirmant; ut eam mihi minùs confirmâſſet Mazochius, ſi defendendam ſuſcepiſſet, quàm confirmavit oppugnando. Nunc enim certus ſum, nihil ab eo prætermiſſum, quod pro contraria opinione afferre poterat: de quo non æquè certus eſſem, ſi communem ſententiam elucidâſſet. Candidè autem & ſincerè proteſtor, me nihil inveniſſe in tota Diatriba, quod vel levem dubitationem de communi ſententia ingerat, vel difficultatem patiatur. Tertia pars Diatribæ, ubi oſtendit, ſeculo XII *&* XIII *nomen* S. Salvatoris, *imò &* Caſtri Lucullani *fuiſſe Caſtro Ovi, abundè convincere debet quemlibet lectorem eruditum, etiam præcedentibus ſeculis* caſtrum Lucullanum *&* inſulam S. Salvatoris *non alio fuiſſe loco, præſertim cùm omnia loca inſinuent, fuiſſe prope Neapolim, nec ullus omnino locus innuat, monaſterium S. Salvatoris fuiſſe in Neſide, aut caſtrum Lucullanum prope lacum Agnanum. Illud unum, mihi videtur dubium, an oppidum Lucullanum non fuerit partim in continente: ubi enim nullus in inſula ſupererat locus, oppidum in continente ante pontem augeri potuit: quod an revera factum fuerit, non inquiro.*

m Aſcetriarum *ſcriptum fuerit, opinor. Sunt autem* Aſcetriæ *mulieres piæ & continentes, diverſæ à monialibus reclusis, ut probatur apud Cangium in Gloſſario. Monachæ tamen aliquando etiam apud Græcos* aſcetriæ *vocantur; ſed hac vox la-*

latiùs patet, & quamlibet piam mulierem significat.

n Veniâ dignâ, *nisi corrupta sint voces, idem hîc est, opinor, ac* digna cum reverentia.

HOMILIA

DE MIRACULIS S. JANUARII

Ex Ms. Collectione Chioccarelli, collata cum codice Vaticano & editionibus Caraccioli & Falconii.

Exordium auctoris.

a

OPerante Divina misericordia, *a* rediit communibus votis optata sollemnitas, & dies annuæ festivitatis effulsit, natalem nobis beatissimi Januarii martyris referens, quem & vestræ frequentiæ venerabilis cœtus accumulat, & sanctorum ministrorum, atque antistitum Dei conventus exornat. Gaudere enim oportet, & exultare in Domino, & psallere Domino nostro, qui facit in bonis desiderium nostrum, & favore Divino pia vota confirmat. Dum de virtutibus beati martyris Januarii pauca de pluribus, quæ Dominus Deus per eum fecerit, pia devotione referamus.

2 Temporibus enim, quibus omnipotens Deus mortalium est iratus sceleribus, & ad crudelitatis ultionem mons Vesuvius vasto tremore con-

concuſſus, igneis exundaret globis, & circumquaque fluentibus urbes calidis cineribus prævaſtâſſet, ita ut pergravatæ corruerent *b*, vix tandem Neapolis, in ejuſdem montis conflagrantis ſita radicibus *c*, precibus effuſis populi cum lachrimis vitæ opem meruit, tendens ad cœlum cum voce manus, ſed ſuper his etiam nec cælum videbatur: procumbebantque in humum ardentem. Extremo ſolatio *d*, cùm rerum natura periret, ad ſolitum beati Januarii martyris concurrunt cubiculum.

Ardente Veſuvio, Neapolitani opem S. Januarii
b
c
d

3 Igitur cùm lachrimæ juges & gemitus perpetuus ad Deum preces eſſent *e*, nullaque abſque formidine hora, nullus ad requiem ſomnus daretur, quòd dies cladem demonſtrabat, nox verò metum jugiter augebat, lamentationes quippe omnia tecta, antraque beati martyris Januarii *f* tam virorum raucis vocibus, quàm fœminarum claris ululatibus perſonabant. Alii verò immundo pulvere deturpati iniquam vitæ ſortem querulis clamoribus increpabant: alii autem genas ſuas unguibus lacerantes, proprios neſciebant dolores, dum alienas lugerent urbes: plerique cunctis erectis manibus per plateas repetitis orabant vocibus, deprecantes dare veniam peccatis, ut poſſint meritò Dei laudare virtutem, & ſicut ſcriptum eſt: Clamaverunt ad Dominum, dum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberavit eos. Ita beato Januario martyre intercedente, Veſuvii montis ignita interruptio *g* extincta eſt. Cujus facti miraculi omnium Creatori gratiarum actiones retulerunt.

implorant & impetrant.
e
f
g

4 Et cùm hæc divinæ virtutis inſignia honeſtis rumoribus crebreſcerent, ac tantæ Dei poteſtatis glorioſiſſima famâ per animos urbium longinquarum *h* pervaderet, & ad baſilicam, in qua nunc *i*

Æger ad Sancti ſepulcrum ſanatus,
h i

venerabile corpus beatiſſimi Januarii martyris requieſcit, ægrotantium ſeu deprecantium pro diverſis languoribus cupidè cum fide confluerent, contingit *, ut inter eos quidam vir, Savinus * nomine, Neapolitanæ urbis primarius, genere, & probitate conſpicuus, deſperatus à medicis, à pueris invectus, dejecta cervice preces fundebat cum lachrimis, ſe ab inferni portis revocari. Et illico, pietatis nutu ſtupentibus cunctis, miſeratione ſancti Januarii martyris ſublevatus, medelam, quam flagitabat, emeruit.

* *in Ms. Vaticano* contigit *rectiùs*

* *al.* Sabinus

5 Nec non & Marcus *k* quidam nomine, in eadem urbe degens, Syrus genere, ævo jam gravis, ſic debilis corpore, & ita pigra membrorum fragilitate torpebat, ut ambulandi ei copiâ denegatâ, quaſi vivum funus præter ſpiritum penè totus exanimis eſſet. Hujus quidem propinqui non tam ad ſanandum, quàm ad ſepeliendum in eccleſia * beati martyris Januarii inferre nitebantur, quem circumſtantium populoſitas, cùm à ſuis vectaretur, ingredi non permitteret: nam & infra parietes *l*, & ante fores cupidè multitudo certantibus ſtudiis pullulabat, & dum vellet alter alterius ſanitatem videre, ſanandis vetabatur introitus. Unde non priùs introivit, quàm medelam recepit, fides enim ipſius, intercedente beato Januario martyre, decuſſit omnem ejus protinus imbecillitatem, & à moleſtiarum ſuarum ponderibus ſublevatus *m*, ad priſtinæ ſanitatis pervenit officia, Regis æterni magnalia tam ſuis, quàm plurimorum vocibus, longè latéque denuncians.

alter, dum eò portabatur:

k

* *al.* eccleſiam

l

m

6 Nam & Gregorius tribunus quidam militum, qui Capuanæ * urbi præerat, vir inſignis, ſed ita letiferis confectus languoribus, ut nulla ei evadendi ſperaretur facultas, ſed divinis invitatus * virtutibus, cubiculum ingreſſus beati Januarii mar-

tertius ad ſepulcrum.

* *in Ms. Vat.* Capuæ

* *ib.* incitatus

martyris, protinus perfectæ ſanitatis incolumitate vegetatus, alacer ad prædictam, unde venerat, remeavit urbem.

7 Alio rurſus tempore, cùm Orientales multarum urbium populi cernerent *n*, Omnipotentis Domini virtutem mirificis virtutibus per merita beatiſſimi Januarii martyris triumphare, omni contempto negotio, ſubmiſſis capitibus, reſonantibus hymnis, rogabant medelam ſibi ejus oratione præſtari. Quin etiam ægrotantium tabida corpora, vegetati fide, ejuſdem Martyris oleo perungentes, ſtatim miſericordiæ ejus fructu potiebantur. Modò cæcis lumen, modò debilitatis greſſu * curſum donabat; nunc ſpiritus fugabat immundos, nunc letales plagas, nunc acerbitates morborum ejus * meritis ab humanis corporibus propulſabat.

Orientalibus multa beneficia præſtita.

n

* *al.* greſſûs

* *Falc.* ſuis

8 Nam & in eadem urbe Neapolitana quidam Florentius, vir nobiliſſimus, primi generis exortus, juxta animi *o* virtutem de cæleſtibus trahebat; de terrenis verò, quantum ad ſæculum pertinet, primis in Romana republica fuerat honoribus ſuffultus; eruditione quoque liberalium litterarum, & omnibus, quæ ad animi virtutem pertinent, exercitiis apprimè eruditus. Noviſſimè verò hanc, quæ prior *p* omnium ſecundum Deum, ita ſanctam religionem ſuſcepit, ut limina cunctorum * ſanctorum martyrum Chriſti precibus exoraret, ſicut & antè facere conſueverat. Cùm ergo urbanam ſibi peteret adminiſtrationem, & non poſſet eam dignationem per auri pretium attingere, vix tandem ad ſepulcrum pergens beati martyris Januarii, fideliter preces effudit, dicens: Deus omnipotens, beati martyris tui Januarii mecum fuſa prece *q*, meritorum ejus veſtigiis me admitti facias. Te quoque, beatiſſime Januari martyr, ſuppliciter exoro, ut vicariam promo-

Præfectura patrocinio S. Januarii,

o

p

* *al.* cuncta

q

tionem, quam auro non quivi attingere, merear te interprecante velociùs obtinere.

ut creditur, obtenta.

9 His autem atque hujuſcemodi verbis tribus volutis * Sabbatis oranti, medio noctis tempore apparuit ei quidam, effigiem ſancti præ ſe ferens Januarii, luce micans nova ſuper ſolis ſplendorem *, & angelico fulgens habitu, gemmiſque radiante *, & protenta ejus manu ſeſe apprehendere, & in rhedam quandam auro gemmiſque diſtinctam eum ſuperponere *r*. Et cum de ſomno ſuo hæſitaret, & interrogaret, quid velit eſſe; expleta oratione ſolita, juxta conſuetudinem ad vicinum fundum, cui Patinnis *f* nomen eſt, divertit; moxque duo cancellarii patriciorum, Ecius videlicet & Sigiſvulgus *t*, ſpumantibus equis ſuperveniunt, moxque complexi ſunt eum, & oſculati. Cúmque uno atque altero horæ ſpatio, quaſi obſtupefacti, invicem ſe honorificantes, deambularent, proferunt ei ſacros apices. Ecce, inquiunt, quod tibi minimè flagitanti domini noſtri tibi gratuitò deſtinaverunt. Qui cum magno ſuſcipiens gaudio, beati martyris Januarii oracula recognovit, memorque illius beneficii, altare ejus pretioſis exornavit marmoribus, quibus & vultum ipſius exprimens ſcripſit LIBERATORI *u*, ſcilicet eò quòd ejus crebriùs opitulator fuerit, quodque altare vallavit cancellis cum oſtiis fabrefactis argenteis, Deo & beato Januario gratias referens.

* *al.* volventibus
* *in Ms. uno* ſplendore
* *al.* radians
r
f
t
u

Puer ad vitam revocatus,

10 Puerulus quidam clericus, Clemens nomine, nimis languore correptus, vi febrium laborabat. Septem admodùm tranſactis diebus totidemque noctibus abſque cibo & potu, clauſis luminibus, medicis deſperantibus, mutus atque immobilis manſit. Cúmque ſuper eum jam mortuum à clericis & vicinis nocte Pſalmi dicerentur, ut reddito terris die ſepeliretur; Creſcens tum quidam

&

& Innocentius, viri religioſi, ut plerúmque ſolet accidere, ex mœſtitia inter pſallentes ſopore oppreſſi ſunt. Vident tum ambo beatiſſimum martyrem Januarium ſtolâ prætextum niveâ, angelo ſimilem, corpus viſitantem. Quem æſtimantes medicum, quaſi ternos ei aureos offerunt. Quibus ille: Ego ſum Januarius, qui meum pro Chriſto fudi ſanguinem. Numquid non poteram mundi poſſidere divitias, vel naturam lapidum in materiam fulgentis auri convertere? Sed omiſſo terræ ornatu, virtute malui potiùs quàm auro fulgere. Moxque recedentibus tenebris, & clareſcente diluculo, cùm de loco, in quo quieverant, ſurrexiſſent, ad B. Januarii martyris currunt cubiculum. Necdum quippe Creſcens medium iter expleverat *, cùm jam Innocentius ſanctum pulverem, [ferens *w*] quem deſuper Martyris ſepulchrum ſumpſerat, veniebat *x*. Quo, ut dixi, pulvere, ſacroſancto chriſmate conſperſo, cùm defunctus liniretur, paulatim membris omnibus moveri cœpit, & laxatis in uſu * cernendi cœpit palpitare luminibus. Novum miraculum, ingens poteſtas! Oculos, quos clauſerant tenebræ obitûs, precibus beati martyris Januarii Dominus reſeravit ad lucem, legem naturæ reſcidit, vires mortis perfregit, animamque ſedibus tenebrarum mancipatam, quaſi ruptis terrarum *y* compagibus, ad ſupernam vitam corporis revocavit. Mirabilis ergo Deus in Sanctis ſuis: quotidie enim operatur ſalutem in medio terræ. Et, ut Iſaias ait, Et in inſulis à longè *z*. Unde & ipſe Salvator dicit: Pater meus uſque modò operatur, & ego operor. Et rurſum: Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic & Filius, quos vult, vivificat. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, [quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet

* *al.* confecerat

w

x

* *al.* uſum

y

z

ciet. Qui ergo credunt Deo, credant, martyres ita vixiſſe *aa*, ut magnum non ſit iſta feciſſe.

aa

11 In Ænaria *bb* inſula erat quædam ſanctiſſima vidua, nomine Maxima, cujus filius prævaleſcente morbo extinctus eſt. Quem religioſa mater, pietatis dolore concuſſa, ſolutis ſparſiſque per humeros crinibus, extinctum naturæ votum, perditumque ſenectutis ſolatium, ululatu fæmineo ad invidiam mortis immaturæ plangebat. Nec non & ubera, quibus fruſtra periturum aluerat, ante conſpectum proferebat virorum, memor doloris, pudoris oblita, & veſtibus dolore conſciſſis, ipſumque, quo conceperat, uterum palmis lacerantibus elidebat. Cumque corpus jaceret exanime, atque à clericis exequiæ pararentur, linteamina, quia Galliarum gens cuncta depopulaverat, nequaquam alicubi reperiebantur *cc*, ita ut etiam de eccleſia velum acciperent, quo corpus ipſum tegi potuiſſet. In quo cernens mulier beatiſſimi Januarii effigiem, arreptum conſtringens manibus, oſculo picturam libabat, petens, clamans, & dicens: Per Regem Sanctorum te obteſtor, beatiſſime martyr Januari, ut meis anguſtiis ſolatiare digneris, atque te impetrante recipere poſſim filium meum, quia pro quo paſſus es, poteſt tibi in præſenti concedere, quicquid ab eo poſtulaveris, qui quondam flexus miſeratione, unicum viduæ ſuſcitavit filium. Et hæc dicens, velo, quod allatum fuerat, in quo erat effigies beatiſſimi Januarii martyris, velociùs texit filium, connectens picturæ faciem ad ejus faciem, lumina luminibus ponens, atque ori ora componens, palmis palmas, pedibuſque ejus pedes ſuperpoſuit. Audierat quoque in Scripturis ſanctis, quemadmodum beatus Heliſeus unicum mulieris Sunamitis * ſuſcitaverat filium, & iterum, quia quem tange-

alius modo mirabili.

bb

cc

* *Carac.* Sunamitidis

bat

bat umbra *dd* Sanctorum, vivificabatur. Quæ enim aures tam duræ, quæ de ſilice ſciſſa præcordia poſſunt hæc ſine lacrimis audire? Sed hanc audivit miſericors Proviſor cunctorum talia clamitantem, & aſſiduis fletibus lamentantem, atque ut genitricis luctum auferret, beato Januario ſupplicante, vitam filio reparavit, & de ſub effigie *ee* Martyris apertis oculis ſanus ſurrexit. *dd* *ee*

12 Magna *ff* eſt ergo martyrum gloria, ingens & illuſtris corona. Mirantur illos angeli, mirantur illos omnes ſupernæ poteſtates, diligit illos Chriſtus, honorificat Deus Pater, illuſtrat Spiritus ſanctus. His omnis theſaurus divinæ Majeſtatis aperitur: his nihil honoris dignitatiſque ſubducitur: hi ſunt Chriſti conformes; hi ſunt participes & & coheredes Chriſti, hos habet in omnibus comites, hos in omni claritate conſortes. Horum laudes atque virtutes ſemper recolere, ſemper noſtro debemus ore proferre. Meritò Spiritus ſanctus dicit: "Pretioſa in conſpectu Do„mini mors Sanctorum ejus. Et iterum: Domi„nus cuſtodit omnia oſſa eorum, unum ex eis „non conteretur„. Identidem: "Sancti, qui ſunt „in terra ejus, mirificavit omnes voluntates ſuas in eis„. Voluntates quippe eorum, qui in memoriis Sanctorum Deum deprecantur, per manum angeli ad altare, quod eſt in cœlo, ante thronum Omnipotentis proferuntur. Verùm ne hæc noſtro aſtructa videantur ingenio, lege id ipſum exemplar. Confirmat, quod dicimus, beatus Joannes Apoſtolus: "Vidi, ait, ſeptem angelos ſtantes in „conſpectu Domini, & datæ ſunt illis ſeptem „tubæ, & alius angelus venit, & ſtetit ante al„tare, habens thuribulum aureum, & data ſunt ei „incenſa multa, ut daret de orationibus Sancto„rum omnium ſuper altare aureum, quod eſt an„te *Concluſio auctoris de gloria ff*

„ te thronum Dei. Et aſcendit fumus incenſorum „ de orationibus Sanctorum de manu angeli co- „ ram Deo.„ Nimis cæci ſunt & inſipientes, qui hæc tam clara, & tam manifeſta nec vident nec intelligunt, ſed in ſua tantùm lingua confidunt.

& poteſtate Sanctorum,

13 Et cùm Deus de cœlo clamet: "Beati „ mortui, qui in Domino moriuntur„; & Prophe- ta Domino dicat: "Vivent mortui tui:„ quomo- do ergo ſe dicunt eſſe fideles, qui martyrum ne- gant virtutes? Et dum cernant * quotidie nume- roſas orationum catervas beatiſſimi Januarii mar- tyris tumulum, tanquam radiantes gemmas, ſti- pare, & multos geſta ſcribentes *gg*, dona pro bene- ficiis acceptis ſolvere, nituntur quibuſdam præſti- giis clarum oculorum lumen auferre. Supereſt, ut ad ſanctum Scripturarum librum revertamur. Qui ait: "Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo „ poterat, ex omnibus gentibus, & populis, & „ linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu „ Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus „ eorum; & clamabant voce magna dicentes: Sa- „ lus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & „ Agno. Et omnes angeli ſtabant in circuitu thro- „ ni, & ſeniorum, & quatuor animalium, & ce- „ ciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & „ adoraverunt Deum, dicentes: Amen. Benedi- „ ctio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, „ & honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in „ ſæcula. Et reſpondit unus de ſenioribus, dicens „ mihi: Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, „ & unde venerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu „ ſcis. Et dixit mihi: Hi ſunt, qui venerunt de „ tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas, & „ dealbaverunt eas in ſanguine Agni: ideo ſunt an- „ te thronum Dei, & ſerviunt ei die ac nocte in „ templo ejus„.

* *al.* cer- nunt

gg

14

14 O beata & glorioſa beatiſſimi Januarii martyris fides, omnium litteris monumentiſque celebranda, & carminum laudibus etiam poſteris proferenda! Verè reſurrecturum ſe cum gloria eſſe credidit, nihil in Euangelii promiſſione dubitans, verè dignus dignè coronatus, quem in cœlo gaudens Chriſtus excepit, cui amictus candidas & glorioſas palmas offeret *. Verè enim quod magni laboris, magnæque molis eſt, hoc beatiſſimo Januario martyri ſtolam iſtam, quam tribuit ſpiritualis largitio, contulit *hh*. Per eam &, qui non nominabatur, oratur; &, qui neſciebatur, celebratur; &, qui non videbatur, apparet: dignè ſcilicet ejus corpus *ii* pro meritis atque beneficiis honorificatur. Claruit & * his validiſſimis teſtimoniis, quæ ſanctus Januarius patrocinia à Deo collata nobis famulis ſuis præſtiterit, cujus precibus mereamur à noſtris cunctis expiari peccatis, & delictorum nodis exui; mereamur congruo * medicinæ ſuffragio à morborum contagio liberari, ut percurſis * optatæ incolumitatis gaudiis gloriemur in Domino Jeſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum Amen.

& nominatim S. Januarii.

* *al.* lætus offerret

hh

ii

* *al.* ex

* *al.* congruè

* *al.* perceptis

ANNOTATA.

a *Initium hujus Homiliæ in codice Vaticano eſt tale*, Divina annuente, *omiſſa voce* miſericordia. *Ejuſmodi plura, & alia clariùs etiam mendoſa, aut leviuſculè mutata, leguntur in illo codice. Paſſim tamen eadem planè facta in utroque codice referuntur. Ubi mutatio utcumque notabilis videbitur, lectorem monebo, omiſſis minutiſſimis, aut claris mendis, ne annotata nimis excreſcant.*

b *Mſs. Vaticanum ita habet:* Et circumquaque

fluentibus urbes calidis peruſtæ cineribus & prægravatæ corruerent.

c *Apud Falconium*, juxta ejuſdem montis conflagrantis ſita radices. *Apud Caracciolum*, in... radicibus *legitur, dictio tamen ibi eſt mendoſa in aliis, & magis etiam in codice Vaticano, cujus ſcriba neſcivit, opinor, quid voces ſignificarent, aut certè dictionem dedit nihil ſignificantem.*

d *Solus Falconius:* Omni deſtituti ſolatio. *In reliquis, legitur*, extremo ſolatio. *At interpunctio ubi facienda ſit, dubitari poteſt. Suſpicor ita legendum:* Procumbebant in humum ardentem. (*vitioſè* in unum ardentem *apud Caracciolum & in Ms. Vaticano*) Extremo ſolatio, cùm rerum natura periret, ad ſolitum B. Januarii martyris concurrunt cubiculum. *Per* cubiculum *autem hîc deſignatur oratorium ſubterraneum, in quo Sancti corpus ſervabatur: corpuſque eo tempore erat in eccleſia ſuburbana prope Neapolim. Voces verò*, extremo ſolatio, *idem ſignificant, ac*, Pro extremo ſolatio.

e *Hoc loco iterum diſſonant codices omnes Mss. & editi, ſed idem ubique dicitur. At in reliquis, omnibus hæret dictio imperfecta, in ſolo Ms. Chiocarelli dictio perfecta eſt, & vera lectio, ut opinor. Proximè accedit Ms. Vaticanum, in quo ſic habetur:* Igitur cùm lacrymæ juges & gemitibus perpeteſque ad Deum preces eſſent *&c. Senſus cohærebit, ſi legatur* & gemitus, *vel* cum gemitibus. *Mitto editiones magis vitioſas.*

f *Falconius in ceteris conſonans, addit vocem*, replentes *hoc modo:* Antraque Beati martyris Januarii replentes. *At vox illa non eſt in Mss. Porrò auctor voce* tecta *domos ſignificat, niſi tecta antraque opponens, indicare voluerit, ades* B. Januario

tio *ſacras ſuperiùs inferiúſque lamentationibus precantium fuiſſe plenas.*

g *Vox* interruptio *in utroque habetur Ms; ſed procul dubio mendosè. Scriptum fuerit* irruptio, *ut ſolus habet Caracciolus; aut potiùs* eruptio, *ut obſervavit Falconius. De beneficio illo S.* Januarii *actum eſt in Commentario num.* III *& ſeqq.*

h *Solus Falconius habet:* Per urbium vicinarum loca longinquarumque *&c.*

i *Ex hoc loco colligitur, Homiliam hanc fuiſſe habitam ante tranſlationem, quâ ſacrum* S. Januarii *corpus delatum eſt Beneventum.*

k Malchus *vocatur in ſolo Ms. Vaticano; in aliis omnibus* Marcus. *Hæc ſanatio etiam breviter narratur in Officio Neapolitano apud Falconium pag.* 147.

l *Falconius*, intra parietes.

m *Falconius ſenſum aliis verbis ita expreſſit:* Decuſſis omnium ejus protinus imbecillitatum & moleſtiarum ponderibus, ſoſpitatem meruit. *Quæ dedi, ſunt in utroque Ms.*

n *Hoc loco Ms. Vaticanum lectionem exhibet multùm diverſam, ita habens:* Cùm alio rurſus tempore Orientales populi multarum claſſem navium cernerent, Majeſtatiſque virtutem mirificis virtutibus per merita beatiſſimi Januarii martyris triumphare *&c. In editionibus Falconii & Caraccioli, quæ ferè conſonant Neapolitano noſtro Ms., de claſſe non fit mentio. Suſpicor tamen ob Ms. Vaticanum, etſi certò mendoſum ſit, aliquid de navium claſſe ab auctore memoratum fuiſſe, fortè quòd Orientales claſſe Neapolim fuiſſent advecti, ibique miracula* S. Januarii *intellexiſſent, ac tunc ſupplices ad ejus patrocinium recurriſſent. Sequentia favent huic conjecturæ.*

o *Rectiùs in Ms. Vaticano:* Juxta animum vir-

tutem de cæleſtibus trahebat. *In utraque editione:* Juxta animum laudabilis omnibus.

p *In Ms. Neapolitano mendosè legitur*, priorem, *quod ex aliis correxi.*

q *Hæc oratio in nonnullis vocibus diſcrepat in editionibus, & Ms. Vaticano. At idem ferè ubique ſenſus. Fortè verba meditatus eſt ſcriptor ipſe.*

r *Poſteriora, qua hìc mendoſa ſunt, ſic leguntur in Ms. Vaticano:* Qui videbatur protempta manu apprehendere prædictum virum, & in rhedam quamdam auro gemmiſque diſtinctam ſuperponere; *ut ferè habent alia editiones.*

ſ *In Vaticano*, Paterzitus; *Caracciolus*, Parzimis; *Falconius* Pattimius.

t *Sic cum Ms. Neapolitano habet Falconius. Apud Caracciolum*, Evi videlicet & Sigiſvuldi. *In Ms. Vaticano:* Et his videlicet & Sigiſvuldi.

u *Apud Caracciolum*, Liberatori ſancto. *In Ms. Vaticano*, Liberatori. *Falconius habet:* Liberator ſancte. *In lectionibus apud Falconium pag. 147 totum hoc factum breviùs & meliùs ſic narratur:* Florentius, nobiliſſimus civis Neapoli, petens adminiſtrationem urbanam, prece vel pretio non poterat obtinere. Convertit ſe proinde ad Deum & S. Januarium præſulem. Sibique oranti noctu apparuit in ſomnis quidam in effigie dicti Sancti, luce micans ſupra ſolis ſplendorem, & angelico fulgens habitu, apprehenſaque manu Florentii, in currum auro gemmiſque diſtinctum ſuperpoſuit ipſum. Expergefacto à ſomno cancellarii patriciorum attulerunt ſacros apices de adminiſtratione cupita. Gratias inde egit Deo & ſancto Martyri: altare ejus pretioſis exornavit marmoribus, vallavitque cancellis cum oſtiis argenteis fabrefactis.

w *Vox*

w *Vox* ferens *deſideratur in Ms., ſed addita eſt ex utraque editione. In Ms. Vaticano totum illud factum de puero reſuſcitato omiſſum eſt.*

x *Poſt verbum* veniebat, *diſſonat utraque editio à Ms. Falconius hæc ſolùm dat:* Quem, ut dixi, pulverem ſacroſanctum ipſius defuncti intulit corpori. *Caracciolus:* Quem, ut dixi, pulverem, ſacroſancto chriſmate conſperſum, ipſius intulit corpori.

y *Caracciolus*, tenebrarum *rectè, opinor. Falconius* arteriarum.

z *Caracciolus*, in inſulis longè.

aa *In utraque editione ſolùm:* Ita vixiſſe, & ita feciſſe. *In lectionibus apud Falconium pag.* 147 *idem miraculum breviùs ſic narratur:* Puerulus clericus, Clemens nomine, nimio febrium languore correptus, per ſeptem dies totidemque noctes abſque cibo & potu clauſis permanſit oculis: à medicis deſperatus, mutus & immobilis prope interitum erat. Duo religioſi viderunt Januarium martyrem (quem pro ægroto oraverant) in ſtola nivea angelo ſimilem: putanteſque eum medicum pro cura infirmi, ei pecuniamque* offerebant. Quibus reſpondit: Ego ſum Januarius, qui pro Chriſto ſanguinem meum fudi, ſprevi mundi divitias, potens naturam lapidum in aurum convertere, virtute malui, quàm auro fulgere. Expergefacti eccleſiam Martyris adeunt, & pulverem chriſmate ſancto conſperſum, intulerunt corpori jam defuncto, & ad vitam reductus eſt. *Ceterùm ex eo miraculo clarè colligitur*, cubiculum S. Januarii, *de quo hic auctor ſapiùs meminit, locum eſſe ſepulcri in eccleſia extra urbem, cùm pulvis fuerit ſumptus* deſuper Martyris ſepulcrum.

* *redundat* que

bb *In codice Vaticano mendosè* Enarnia *legitur, apud Caracciolum* Inarime, *quo nomine etiam de-*

ſignata fuit ab antiquis, ſed nunc Iſchia *paſſim dicitur. Nota eſt inſula, epiſcopatu etiam gaudens, & duobus aut tribus milliaribus diſtans à promontorio Miſeno.*

cc *Magna rurſum hîc in editis & Mss. verborum diſſenſio. In eo tamen concordant omnes codices, quòd mulier velum ab eccleſia acceperit ad involvendum defunctum filium. In Ms. Neapolitano etiam duo menda habentur, fortè exſcribentis negligentiâ in apographum inducta, ut hæc ſolùm corrigenda ex aliis omnibus cenſuerim, relictis reliquis, prout ibi leguntur. Falconius habet:* Cúmque corpus jaceret exanime, atque à clericis exequiæ pararentur; facta eſt linteaminum ad involvendum corpus magna inopia (Galliarum quippe gens cuncta vaſtaverat) ut de eccleſia velum acciperent. *Sic etiam habet Caracciolus. Quod autem in omnibus documentis Neapolitanis dicitur, inopiam illam linteaminum ortam eſſe, quia Galliarum gens cuncta vaſtaverat, non habetur in codice Vaticano: in quo & alia omiſſa jam dixi. In lectionibus Officii Neapolitani apud Falconium pag.* 148 *miraculum iſtud hoc modo refertur:* Vidua ſanctiſſima, nomine Maxima, cujus filius mortuus eſt, plangens, pectuſque percutiens, ſolutis & ſparſis per humeros crinibus, extinctum filium ſuæ ſenectutis ſolatium, ululatus maximos emittebat: & non inveniens ad involvendum corpus aliquod linteamen, (quia Galliarum gens cuncta vaſtaverat) de eccleſia velum accepit, quo corpus defuncti protegeret. Cernenſque in eo mulier Januarii ſancti figuram, conſtringens manibus, oſculo* libabat eamdem, petens & clamans, ut miſereretur viduæ, & filium ſuum unicum ſuſcitaret. Audivit eam miſericors Deus, &

* *Falc.* oſcula

B. Januario ſupplicante, vitam ſuo filio reparavit. *Verba dedi ex Ms. Chioccarelli.*

dd *De ſuſcitato per Eliſeum filio Sunamitidis videri poteſt* 4 *Regum* 4. *Quod verò dicitur de* umbra Sanctorum, *pertinet ad S. Petrum, de quo legitur. Act.* 4 ℣ 15, Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis & grabatis, ut, veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. *At illud de umbra Sanctorum, & alia nonnulla rurſum prætermiſſa ſunt in codice Vaticano.*

ee *Idem miraculum, modo nonnihil diverſo relatum à Gracis, dedi in Commentario num.* 110. *Si verum eſt, quod dicitur de vaſtatione Gallorum, contigerit veriſimiliter miraculum illud non diu poſt medium ſeculi* 6, *quando Franci non modò Campaniam miſerè vaſtárunt, ſed omnes provincias hodierni regni Neapolitani, aliaſque Italiæ illis vicinas, ut hiſtorici paſſim referunt. De populatione illa & ſubſecuta eorum clade internecina per Narzetem Juſtiniani imperatoris ducem ſcribit Agathias lib.* 2.

ff *Concluſio tota in codice Vaticano & apud Falconium omiſſa eſt, veriſimiliter quia minùs ſpectat ad S.* Januarium. *Habetur tamen apud Caracciolum, & in Ms. Chioccarelli, ex quo dabitur. Ex ratiociniis auctoris pro gloria & cultu Sanctorum veriſimillimum fit, eum ſcripſiſſe ſeculo* 8 *poſt ortam hæreſim Iconoclaſtarum, qui invocationem Sanctorum impugnabant.*

gg *Quamquam editio Caraccioli cum Ms. in his plerúmque conſentiat, ſubinde tamen in ea aliquid reperitur mendoſum. In apographo noſtro hîc legitur* & geſtas ſcribentes. *Quod correxi ex Caracciolo: apud quem mox legitur*, vota, *ubi hîc* dona.

hh *Editio Caraccioli:* Hoc beatiſſimo Januario martyri ſtolam iſtam contribuit, & ſpiritualis largitio contulit.

ii *Ibidem:* Digneque ſanctum ejus corpus *&c.*

TRANSLATIO

SS. JANUARII, FESTI ET DESIDERII

Auctore anonymo Beneventano,

Ex Ms Chioccarelli, collato cum aliis Neapolitanis, cum codice Vaticano, & cum editionibus Caraccioli & Falconii.

Cùm Sico Neapolim obſidebat, prædicente S. Januario Ju[a]*m diſceſſum,*

[a] **al.* Samnitium

[b]

PRopitiante Domino, qualiter beatiſſimi Januarii ſanctiſſimum [a] corpus ad ſuam ſedem reductum ſit, ad memoriam revocemus. Igitur tempore, quo Beneventanorum, ac Samnitum * magnus princeps Sico [b] Neapolim obſidebat, noctu cuidam fæminæ beatus Januarius martyr apparuit, dicens: En migro de loco iſto. Quem cùm fæmina percontaretur, quò ire vellet; illi reſpondit: Beneventum, plebs enim mea eſt. Hactenus pro urbe hac deprecatus ſum, ſed ferre illorum mala jam non valeo, maximè cùm ſuper tumulum

lum meum tot perjuria perpetrent. Hiſce dictis à mulieris oculis elapſus eſt. Mulier verò, quæ viderat, concivibus ſuis cuncta narravit. Illi verò, ut facinus ſæpiùs operari ſolet, cuncta mulieris parvipenderunt relata.

2 Ipſo in tempore, Chriſto cogente, repentè in mente * principis, immiſſum eſt, qualiter corpus martyris Beneventum reduci poſſit *, cepit namque * quoſdam perquirere, quo in loco ejuſdem oſſa ſacra tumulata tenerentur. Illicò quidam profeſſus eſt ſe optimè noſcere *. Mox itaque ſacrum ad locum fideles mittuntur, qui properè, quod princeps ſummus ille ſciſcitatus eſt, invenere. Nam aperto tumulo mirabilem ac cæleſtem *c* theſaurum repererunt. Iſtinc frequens *d* tantus odor fragravit ac terror, ut corda fortium *, qui aderant, odore ac pavore ſimul concuterentur. Videbant ſiquidem cæleſtem rem latitâſſe in fovea; nemo quippe aderat, qui non in ſtupore mentis corrueret; pariter enim illos pavor, ac ſtupor habebant. Igitur trementes gaudenteſque ſacra oſſa tulerunt. Nec diu in caſtris latere poterat: mox omnes cucurrerunt armis fidei, amoreque muniti: à tanta multitudine quaſi funditus terra quaſſabatur.

quæri jubet Sancti corpus, quod Juavi cum odore reperitur;

* *al.* mentem

* *Ms. Vat.* poſſet

* *al.* itaque

* *al.* nôſſe

c d

* *al.* eorum

3 Urbs ſimul clamoribus, atque clangore tubarum movebatur. Ex improviſo urbis multitudo *e* caſtrorum concurſum neſciens, tantummodo alter ad alterum dicebat *. Tandem à quodam diligentiùs perquiſita res, inventa eſt. Is ad urbem cucurrit, & nunciavit, dicens: Præſidium urbis * nunc ablatum eſt: nam patronus * noſter Januarius, qui tot * tempora nos protexit, peccatis noſtris merentibus, à nobis nunc aufertur. Omnes quoque Samnitum ordinati ſtabant, ſubmittentes capita ſua, ac dicentes: Benedictus, qui venit

ac magno cum civitatis luctu tollitur,

e

* *al.* clamabat. Tamen

* *al.* nobis

* *al.* pater

* *al.* per tot

in nomine Domini : Acclamationem * illorum, ac lachrymas, ſeu clamorem, ſed & ſignorum virtutes, nullorum calamus poteſt ſignificare : atque utinam pater Auguſtinus eſſet, qui hæc nobis cuncta deſcriberet ! Ego verò quaſi paperculus litterarum, ceu formicator *f* pondus tantorum erigere.

* *al.* exultationem

f

4 Interea pontifex, & omnes cleri cum reverendiſſimo Gucti *g* præſule inter denſiſſima agmina cum hymnis & lampadibus ſanctiſſima oſſa ferebant, ſed clericorum voces diſcerni non poterant propter agminum clangorem ; ſuum namque Patrem ſe recepiſſe gaudebant. Nec prætereundum, quòd omnes odor ita perfuderat, acſi aromatum infinita ſuis manibus ferrent. Princeps verò eximius tantæ lætitiæ copulatus eſt *h*, quàm ſi urbem illam ſuæ ſubdiderit * ditioni, lætaturque, quòd Patrem ſibi ſuiſque reduceret, quem nullus potuit præcedentium principum revocare. Idcircò * immenſas retulit grates, quòd ſuo in tempore illi Chriſtus miranda conceſſiſſet.

magnoque gaudio Beneventanorum.

g

h

* *al.* ſubderet

* *al. additur* Deo

5 Nec prætereundum arbitror, quod ipſo die, quo ſublevatus * eſt, Dominus per illum eſt operatus. Nam cùm quidam equum perderet, nec alterum haberet, ad beatiſſimum Martyris corpus cum lachrymis cucurrit, dicens : Sancte Januari, unum equum, quem habui, nunc furtim neſcio quis abſtulit, puto quòd valeas palàm illum reducere. Credens * per beneficium Martyris ſe adjuvari, ad locum, in quo manebat, ſe receſſit *. Sed mox, ut reverſus eſt, vox illi de intimis caſtrorum, quaſi infantis facta eſt : Illum ad locum propera, & equum tuum invenies ibi. Illo in momento, quo vox ſonuerat, ad locum cucurrit, equum vinculis retentum invenit : reverſus eſt gaudens, profitetur omnibus, quòd tàm citiùs à beato

Equus amiſſus, Sancto invocato, reperitur :

* *al.* ſublatus

* *Mſs. Vat.* credenſque

* *ib.* recepit

to Martyre potuit exaudiri. Res omnibus nota eſt, cunctorum ora laudem Martyris promulgabant. Vox illa cujus in ore ſonuerit, nunquam invenietur*, quam divinitus emiſſam fatemur.

* *al.* inveniri potuit

6 Et illud dicendum, quòd nullo in tempore fragrantiæ odor receſſit, ita ut ab itinere, per quod ducebatur corpus, duarum *i* vel trium horarum ſpatium non evaneſceret. Quo tempore ſimul cum præſule ejuſdem Martyris itineris comes fui. Hoc in eodem itinere, quod fateor, erga fluvium, qui Vifercula *k* dicitur, geſtum eſt. Nos itaque cùm Martyris veſtigia portitorum *l* ſequeremur, repentè à nobis expulſum eſt, ut vix ab aliquo quiverit videri. Illico Præſul venerabilis in ſtupore mentis raptus, ait, Ubi, inquit, eſt, quod ſequebamur? Omnes vehementer ſtupidi grates referre Domino nitebamur, qui per Martyrem ſuum dignatus eſt ſervorum corda ſuorum novis miraculis refovere *m*. Mox illud iter capere velociùs cogebamur, quoniam penè jam ſanctiſſimum corpus Martyris octonis ſtadiis *n* à nobis diſiungebatur. Ejuſdem vehiculo ut annexi ſumus, cujus * portitores præſul percontatus eſt, dicens: Cur ita à nobis tam longiùs receſſiſtis? At illi præſuli dicunt: Quod interrogas, nullus noſtrûm novit, putabamus etenim nos ſine pondere, quaſi nihil portantes, nobiſcum carpere iter. Obliti quidem fuerant, quod portabant. Tota quidem nox *o* ab illa ruſticorum multitudine mirum in modum in Domini laudem verſa eſt; exultans ſuum carpebat iter.

fragrantia aliaque mirabilia in via:

i

k

l

m

n

* hujus

o

7 Fama verò jam Martyris Beneventanam urbem invaſerat. Unde omnis urbs cum lampadibus & hymnis obvia illi facta eſt, laudantes Dominum, ac dicentes: Benedictus, qui venit in nomine Domini, quia poſt tot tempora Patrem ſuum reci-

corpus latanter Beneventi excepiun,

pere meruerit *. Igitur urbem beatificantes * cum Martyre ſuo ingreſſi ſunt, quem in baſilica ſui beatiſſimi diaconi Feſti poſuerunt, donec illi ſummo cum honore locus in ſua ſede pararetur. Nam juxta baſilicam Dei Genitricis Mariæ ſemperque Virginis baſilica, quæ Hieruſalem *p* cognominabatur, fuit, in qua etiam ſedes antiquorum epiſcoporum, & illius fuit. Hanc eccleſiam martyri Januario miro opere renovaverunt, in qua etiam cameram marmoream elegantiùs *q* conſtructam eximius princeps fieri mandavit, in qua corpora ſanctorum martyrum locarentur, Januarii videlicet, Feſti & Deſiderii.

8 Nam venerabilis Gucti *r* præſul cum omni plebe, ac multitudine populi ad locum, in quo ſenator Cyphius beatiſſimum Feſtum & Deſiderium locaverat, pergens, eoſdem in urbem ad ſuum Pontificem tranſvexit, ut eorum corpora uno ſub tegmine locarentur, quorum ſpiritus unâ Dominus *ſ* gratiâ univit. Quorum tumulus cùm à præfato præſule aperiretur, quaſi cæleſte manna illic repertum eſt: nam nivis in modum * beati martyris Feſti corpus totum tumulum occupaverat; odor, quaſi tot floribus *, nares omnium perluſtrabat: denique particulam quidam * ſanctiſſimi corporis naribus meis appoſuit, dicens: Vide, cujus odoris eſt hoc? Ad quem ego: Nemo mortalium referre poteſt, nam mihi videtur balſamum cum floribus omnibus permixtum fragrare. At ille inquit: Beatiſſimi martyris Feſti pars corporis eſt, ſimulque promiſit *t* omnia, quæ viderat. Eadem, imò evidentius potiùs, à venerabile præſule mihi perlata ſunt, qui etiam beatum Deſiderium, quaſi eodem tempore trucidatum, cum ſanguine ſe inveniſſe fatebatur.

9 Sacra verò corpora in prædicto loco loca-

ta

al. meruerunt *aut* meruit

al. lætantes

p

q

& cum tranſlatis SS. Feſti & Deſiderii corporibus

r

ſ

* *Ms. Vat.* mirum in modum

* *ib.* florum

* *al.* quamdam

t

ta ſunt. Omnis civitas ad illam ædificationem *u* confluxit, etiam excellentiſſimus princeps Sico, qui coronam auro *optimo, excellentemque gemmis pretioſiſſimis de capite ſuis manibus depoſuit, & ſuper altarium * beati Januarii martyris locavit, quod ipſe ſimul cum præſule auro optimo, gemmis pulcherrimis, figuris variis undique per totum fieri mandavit.

honorificè depoſitum.

u

* *Ms. Vat.* ex auro

* *ib.* altare

10 Mirabilia igitur, quæ per ſuum Martyrem, poſtquam reductus eſt, Dominus fecit, ſequenti die, quoniam huc uſque * feſſi ſumus, propitiante Domino Jeſu, annuenteque Martyre ejus, quæque * à Religioſo ipſius eccleſiæ *w* audivi, referamus. Denique eodem tempore quædam nobilis puella, quæ adhuc ſupereſt, fuit. Hæc paralyſin in dextero latere graviter patiebatur, nullo modo brachia * ad os ducere valebat. Conſilio verò parentum ad ſacrum beatiſſimi Januarii corpus ducta eſt, ut illi ſolita pietate ſanitatem largiretur, quod * illico eſt conſecuta. Nam cùm omnes nos poſt orationem ſopori dediſſemus, ipſa quidem non longè ab altario, prout poterat, pſallebat. Repentè quidam Sacerdos illa cum fœmina ſacro velamine viſus *x* eſt. Hæc pavore nimiùm concuſſa corruit *, faciem obnixè tegere quærebat; ſed continuò, qui apparuerat, brachium ad illam tenens acceſſit *y*. Illa autem, quoniam Martyris viſionem *z* ferre non potuit, protinus in clamorem erupit, ad cujus vocem experrecti * cucurrimus, eamque invenimus ſanam.

Puella ſubitò ſanata, apparente Sancto:

* *al.* nunc

* *al.* quæcumque

w

* *Ms. Vat.* brachium

* *Ms. Vat.* quam etiam

x

* *ib.* corruens

y

z

* *in edit.* expergefacti

11 Sed & illud ſilentio dari non arbitror, quod idem referebat, dicens, quòd ab ejuſdem *aa* viro, quæ ſanitati reſtituta eſt, decretum eſt, ut ſuo oleo ante beatiſſimi Januarii corpus jugiter candela *bb* foveretur. Quod cùm negligentiùs ab illo, cui commiſſum erat, ageretur; cœpit can-

lampas mirabiliter abundat oleo,

aa

bb

dela ſine admiſſione * redundare tunc olei. Nam cuſtos illi tantùm ex more * ignem apponebat, non enim opus erat eidem oleum inferre, quoniam ſine * adminiſtratione candela undique etiam in pavimentum fluebat: de cujus liquore innumerabiles * redditi ſunt ſanitati.

* *Ms. Vat.* adminiſtratione: *Edit.* admixtione
* *edit.* externè
* *al. additur* olei
* *al.* mirabiliter multi

12 De quibus unus * ad memoriam recurrit. Nam ſole quadam die in occaſum vergente, quædam mulier cum parva filia venit. Summopere popoſcit, dicens: Peto, dómine, ut hanc filiam meam beatiſſimi Januarii ſacro oleo perfundas, quia obriguit, nec flecti poteſt. Mox, ut popoſcerat, accepit; nam ut oleo ſacro perunćta eſt, ſine mora reddita eſt ſanitati, alacriſque cum filia incolumi receſſit.

quo uncta puella ſanatur,
* *al.* unum

13 Eodem quoque tempore mulier *cc*, amiſſo lumine, & ſacro ejuſdem Martyris oleo oculos ſibi linire popoſcit, quod petenti negatum non eſt. Nam ut * illius oculis oleum infuſum eſſet, ita celeriùs * reſtituta eſt ſanitati, acſi pro oleo illi lumen injectum fuiſſet. Hæc à præfato cuſtode relata ſunt. Quod ſequitur à religioſo quodam diacono audivi, qui ejuſdem Martyris eodem tempore extiterat cuſtos.

cc
& mulier viſum recipit.
* *Edit.* Cûmque
* *al.* celeriter

14 Quædam mulier cum filio in eadem eccleſia hoſpitium habebat. Quæ intempeſtæ noctis horâ *dd* ejuſdem eccleſiæ ædes quaſi corruere ſenſit. Quæ filium inclamans, ait: Surge; nam domus funditus evertitur. Cui ille, Cernis, inquit, ſplendorem tanti luminis? At illa, Intueor. Quibus vociferantibus, omnes, qui aderant, & ipſe diaconus cucurrerunt *, dicentes; quoniam omnis eccleſia igne crematur. Ad quorum voces etiam affines *ee* cucurrerunt. Nam, exuberante lumine, maxima ex parte urbs ardere videbatur: omnes quippe altiùs perturbabantur. Sed evidentiùs res in-

Lumen & odor mirabilis: æger ſanatus.
dd

* *Ms. Vat.* cucurrit
ee

intuita *, quod erat, diu non latuit. Paulatim etenim lux infra eccleſiam * tantummodo coarctabatur. Ferè poſt duarum horarum ſpatium diaconus in eccleſiam pavens ingreditur: ſed lumen jam tantùm cingebat altare, quod paulatim, illo adſtante, ſubtractum eſt. Sed tantus deinde odor inenarrabilis remanſit, ut non tantùm eccleſiam, in qua Martyris oſſa inerant, ſed etiam vicinas ædes perfunderet: qui odor uſque ad trium diei horarum *ff* ſpatium perductus eſt, donec acceſſit æger quidam *gg*, qui ſine omni tarditate incolumis receſſit.

* *id eſt* perſpecta
* *Mſ. Vat.* in eccleſia *Ed.* intra eccleſiam
ff
gg

15 Nam, ut *ſuperiùs dictum eſt, quis comprehendere, vel æſtimare *hh*, aut ſcribere poteſt, quanta per eum Dominus operatus eſt? Ad quem beatiſſimum Martyrem nullus infirmorum, ſi pura fide acceſſerit, immunis recedere *ii* valebit. Non enim * miremur, poſt mortem talia poſſe, qui in vita talia geſſit. Hic enim pro ſuo Domino, ac ejuſdem mandatis, & plebe ſibi commiſſa ſanguinem fudit: unde & meruit poſt mortem meliùs poſſe, quia non ſibi, ſed illi vixit, cujus amore vitam corporis finivit, ut vitam adipiſci poſſet *kk* meliorem. Quod fallaces divitias ſequenti evenire non potuerit *, quia dum ſua ſequitur, id eſt, voluntatem *ll*, quod melius eſt, amittit, id eſt, vitam poſt mortem, ut ſcriptum eſt: Charitas non quærit, quæ ſua ſunt. Ita ſancti Martyres fecerunt, ut poſſiderent meliora, id eſt, incorrupta, quæ non ſunt carnis, ſed ſpiritûs. Nos verò, cùm noſtra ſequimur, id eſt, carnis *mm*, ſpiritualia habere non meremur: quoniam quæcumque ſeminaverit homo, hæc & metet, nam qui in carne ſeminaverit, de carne corruptionem & metet, & qui in ſpiritu, de ſpiritu vitam æternam *nn*. Beatiſſimus igitur iſte ſanctus Januarius, cujus ſolemnia *

Concluſio moralis in laudem S. Januarii.
* *Edit.* ut verò
hh
ii
* *Vat.* autem
kk
* *al.* poterit
ll
mm
nn

mnia* celebramus, non voluntatem ſecutus eſt carnis, ſed magis quæ Domini * erant, quæ breviùs dici poſſunt dilectio * Dei & proximi, de quibus meſſuit vitam æternam; quod * & nos poſſumus, ſi hunc imitemur, adipiſci, propitiante * Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

* *in Vat.* dedicationem
* *ib.* Dei
* *ib.* dilectionem
* *al.* quam
* *al.* præſtante

ANNOTATA.

a *In Ms. Vaticano* ſacratiſſimum, *qua earumdem vocum differentia deinde ſæpiùs recurrit. At leviuſculas vocum differentias, quando ſenſum non mutant, aut breviter in margine aſſignabo, aut omnino præteribo, ubi nimiùm excreſcerent iſta minutiæ.*

b *De Sicone principe Beneventano, & de tempore tranſlationis egi in Commentario num.* 118 *& ſeqq.*

c *In Ms. Chioccarelli,* mirabile ac cæleſte. *Quod mendum ex Vaticano & gemina editione correxi.*

d *Id Ms. Vaticano:* Illic denique. *Utraque editio* Hinc.

In alio Ms. Neapolitano: Ex improviſo turcæ tumultum & caſtrorum *&c.*

f *In codice Vaticano* ceu formica nititur pondus tantum erigere. *Duæ voces videntur vitiosè in unam* formicator *contracta. In utraque editione omiſſa ſunt illa*, Ego verò *uſque ad* interea.

g Gutti *vocatur in ſolo Ms. Vaticano, ubi ſic habetur:* Interea pontifices & omnis clerus cum reverentiſſimo Gutti præſule *&c. In omnibus Mss. Neapolitanis videtur legi* pontifex. *Sic certè habet utraque editio, nec in illis variantibus Neapoli-*

politanis notatur, legi pontifices, *ut alia lectio videatur præferenda. Falconius tamen annotat, aliàs legi*, princeps, *qua voce insinuaretur ipse Sico princeps Beneventanus. At voce* pontifex *rectiùs intelligeretur capellanus principis: nam voce* pontifex *medio ævo aliquando designatur capellanus palatinus, ut habet Cangius in Glossario. Certè non designatur archiepiscopus Beneventanus, qui erat* Gucti *vel* Gutti. *Si fortè* pontifices *fuerit scriptum, plures erant in castris episcopi principatûs Beneventani, qui designantur.*

h *In alio Ms. Neapolitano*, non minori lætitia cumulatûs est, quàm *&c.*

i *In Ms. Vaticano:* post duarum vel trium horarum spatium non evanescceret. *In utraque editione:* ante duarum vel trium horarum *&c. Sensus est, fragrantiam duabus aut tribus horis mansisse in locis, per quæ corpus erat delatum.*

k Vifercula *etiam legitur in utraque editione; in Ms. Vaticano* Infercula, *in alio Neapolitano*, Fercula. *Quis sit fluvius, nullibi explicant biographi Neapolitani. Transeundi erant, opinor, Clanius, Isclerus, & prope Beneventum Sabatus. At non ausim divinare, quis ex illis nomine nunc inusitato, quod fortè sæculo* IX *erat vulgare, fuerit indicatus, cùm nomen ipsum fortè sit corruptum, aut rivus aliquis ignobilior indicari potuerit.*

l *In Ms. Vaticano additur* corpus, *eóque refertur, quod sequitur*, à nobis expulsum est.

m *Tota illa periodus*, Omnes vehementer stupidi *&c., non est in Ms. Vaticano. Et sanè non videtur suo loco posita, rectiúsque illa intelligerentur, si dicta essent post episcopi & aliorum reditum ad corpus.*

n *Octo stadia faciunt mille passus.*

o *Tota periodus hac aliter legitur in codice Va-*

ticano, & rectiùs, opinor, hoc modo exprimitur: Tota quidem mox illa populorum turba mirum in modum in Dei laudibus verſa eſt, & exultans ſuum carpebat iter.

p *Hanc eccleſiam etiamnum parochialem eſſe nomine S. Lucia, aſſerit Marius de Vipera in Epiſcopis Beneventanis pag.* 14. Quæ cathedralis, *inquit*, eccleſia hodie non exſtat niſi capella in parochialem converſa ſub S. Luciæ & per priùs S. Feſti nomine. *At his verbis duæ eccleſiæ videntur confundi, nempe eccleſia* S. Feſti, *in qua tantiſper depoſitum fuit* S. Januarii *corpus, & eccleſia* Hieruſalem *cognominata, in quam deinde cum corporibus* SS. Feſti & Deſiderii *fuit illatum. Itaque eruditis Beneventanis examinandum relinquo, utra ſit hodierna S. Lucia eccleſia.*

q *In Ms. Vaticano*, cameram marmoribus elegantibus conſtructam. *Eſt autem* camera *hoc loco crypta ſubterranea, ſive oratorium ſubterraneum, quod aliàs voce eccleſiaſtica* confeſſio *vocatur, idemque in Homilia de Miraculis* cubiculum *dicitur.*

r *Ex hoc loco clarum eſt*, Guctum *vel* Guttum *rectè epiſcopis Beneventanis annumerari à Vipera & Sarnellio, & perperam omiſſum fuiſſe ab Ughello. In ſecunda tamen Operis Ughellani editione defectus ille fuit ſuppletus.*

ſ *In Ms. Chioccarelli mendosè legitur*, una domus grata univit, *quod mendum ex aliorum conſenſu correxi. In alio Ms. Neapolitano eſt*, una martyrii gloria.

t *Hunc locum corruptum obſervant Caracciolus & Falconius. Suſpicor* prompſit *fuiſſe ſcriptum, etiamſi in omnibus legatur* promiſit. *Sic unius litteræ mutatione correctio facta erit.*

μ *U-*

u *Utraque editio*, locationem. *Ms. Vat.*: dedicationem.

w *In Ms. Vaticano*: à religioſo ipſius eccleſiæ presbytero deſideranter audivi, referam.

x *In Ms. Vaticano viſio ſic exprimitur*: Repentè autem quidam Sacerdos illi cum femina ſacro induta velamine viſus eſt.

y *Ms. Vaticanum*: brachium illius tenens, abſceſſit. *Fortè rectiùs*, abſceſſit, *quàm* acceſſit. *Utraque editio habet*: brachium ad illam tendens, acceſſit.

z *In Ms. Chioccarelli mendosè*, juſſionem; *quod ex omnibus aliis correxi.*

aa *Factum hoc videtur loco non ſuo poſitum, fuitque referendum poſt ſanationem mulieris cujuſpiam maritatæ, niſi puella, cujus ſanatio mox relata eſt, poſtea nupſerit. In Ms. Vaticano & alio Neapolitano mendosè legitur*, ab eodem viro, à quo ſanitati reſtituta eſt.

bb Candela *clarè hìc lampadem ſignificat, ut ſæpiùs alibi medio ævo.*

cc *In Ms. Vaticano*; alia quædam mulier *&c.*, *ubi mox omittitur* &, *quod hìc redundat.*

dd *Ita legitur in Ms. Vaticano, & in alio, quod ſervatur in tabulario canonicorum Neapolitanæ eccleſiæ, ex quibus dictionem corruptam reſtitui. In Ms. Chioccarelli omittitur* quæ & horâ, *ut nullus ſit ſenſus: in utraque editione*, in tempeſtate noctis *&c. Quæ videtur correctio minùs probabilis.*

ee *In Ms. Vaticano*, adfines. *Hac voce hìc indicantur vicini, proximi, qui propè aderant.*

ff *Vox* diei *non habetur in editis; ſed legitur etiam in Ms. Vaticano, & in aliis Neapolitanis, opinor; cùm ex his nullam varietatem annotârint eruditi Neapolitani. Secundum hanc lectionem, quæ*

vera videtur, odor continuatus eſt uſque ad horam tertiam dici, ſive ab ortu ſolis. Neſcimus igitur, quamdiu mirabilis ille odor manſerit, cùm non dicatur, utrùm ante an poſt ſolis ortum fuerit inchoatus. Secundùm edita manſiſſet trium horarum ſpatio; quod verum eſſe poteſt, ſed incertum eſt.

gg *Hæc ſanatio refertur in Ms. Vaticano, ut alio tempore facta, & pro ægro ſubſtituitur damoniacus, ut fortè ibi duo beneficia in unum fuerint confuſa. Verba hæc ſunt:* Ad cujus ſacratiſſimum corpus nuper vexatus quidam à dæmonio perductus eſt. Qui cùm perlatus à ſuis eſſet, ſine omni tarditate effectus incolumis receſſit. *Poteſt tamen idem eſſe beneficium, ſi morbus ægri attributus eſt damonis vexationi. At vox* donec *in Mss. & editis Neapolitanis indicat tempus mirifici illius odoris, niſi ſcriptum fuerit* demum *aut* denique; *vox verò* nuper *in Vaticano Ms. aliud tempus inſinuat.*

hh *Verbum* æſtimare *ſumpſi ex Ms. Vaticano, pro quo in Ms. Chioccarelli vitiosè* exſtimare, *in editis*, exponere.

ii *Ms. Vaticanum*, inremediatus abſcedere valebit. *In editis*, immunis recedet.

kk *Hic* in *redundabat in Ms Chioccarelli, quod delevi ſecundum Vaticanum. Aliqua hîc in editis ſunt omiſſa.*

ll *In editis*, dum ſuam ſequitur voluntatem.

mm *In Ms. Vaticano:* Nos verò, quos cura ſequitur carnis, *&c. Plura rurſum omiſſa apud Falconium.*

nn *Verba Apoſtoli Gal. 6 dictioni ſuæ adaptavit auctor. Modica admodum eſt variatio in Ms. Vaticano.*

TRANS-

TRANSLATIO

SS. EUTYCHETIS ET ACUTII

Auctore Raynerio

Ex duobus Mss., collatis cum editis Caraccioli & Falconii.

HAud pauciſſimis *a* dilatis poſt mortem martyrum Eutychetis & Acutii annis Conſtantinus Caballinus *b* ſuam cupiens exercere tyrannidem, Romanæ urbis indigenis crudeliter imperaturus advenit. Cujus rei gratiâ vitæ pariter & regno renuntians, ſe viventem tartareas pœnas pati ejulando clamavit. Eodemque tempore domnus Stephanus junior Romanæ Cathedræ reſidens, offenſam Deſiderii Longobardorum regis veritus, Carolum piiſſimum imperatorem adiit. Stephanus verò Neapolitanæ ſedis antiſtes *c*, inter cætera eccleſiæ ſuæ collata ornamenta, non parvo labore ſtuduit præfatorum ſanctorum martyrum Eutychetis & Acutii transferre venerabilia corpora.

Agente Stephano Neapolitano antiſtite, *a* *b* *c*

2 Et ut urbs, quæ pro innumeris annorum curriculis mentionem temporalis amiſerat ſuæ novitatis *d*, nitens mœnibus ædificiorum, ac ſanctorum corporum reliquiis inſignis, horum etiam lætaretur adjuvari præſidiis, hæc quoque Sanctorum corpuſcula favorabili admodùm laude proſequen-

SS. Eutychetis & Acutii corpora Neapolim tranſlata, *d*

quentium civium, ac mirificâ pompâ jubilantium
e clericorum, alterius *e* ablato vertice, in Stepha-
f niæ *f* delata gratanter asylum, integri marmoris bi-
fidum intromittuntur sarcophagum, quod penitus
imæ telluris solo defosso subterranea domus, do-
latis artificum manu lapidibus, levi pro merito re-
cepit vestigio.

in basilica Salvatoris, quæ instaurata & Stephania dicta, deponuntur:

3 Cujus claustri prominens pulchritudine de-
centi fastigium, columnis ambitum purpureis,
sculptarum vario schemate figurarum insignitum,
argenteum bajulat, quod vulgò ciborium dicitur,
nitens pyraterium *g*. Sub cujus umbraculo alta-
re *h* similiter statuitur, argenteis undique redimi-
tum tabulis; quod mundi Salvatoris *i* gratiâ & vo-
g cabulo simul dedicatum, multorum corporali so-
h lamine Sanctorum se gaudet esse refertum. Penes
i autem psallentium Deo agminum sedem, quibus-
dam lapideis cochleis lector scandens, argenteo
per gyrum antistitis studio ambiri se cernit analo-
k gio *k*. Et ut Sanctorum corpusculis satis defer-
l ret, ædes eadem, igneâ flammâ combusta *l*, præ-
fati præsulis est reparata industriâ.

magna Sanctorum gloria:

4 Sed hæc supremæ magnificentiæ munera;
quæ perennis dignitatis exceptâ reverentiâ, sic san-
ctorum Militum labores ac dona præsentialibus
fascibus repensant, quæ dignis laudibus lingua præ-
dicet? Meritò enim pro humanis obsequiis spiri-
tibus angelicis eos, si fas est, dixerim præcellen-
tiores, quibus subtilitate vigentis naturæ procul
dubio sunt inferiores. Denique dum ferè ubique
terrarum stupendis extolluntur laudis præconiis,
dum altè jugibus potiuntur gaudiis, angelorum au-
tem dulcis solemnitas solummodo viget in cœlis,
sanctorum hominum profectò minores *m* sunt me-
m ritis,

Pro studiis quorum munuscula dantur honorum.

Mo-

Moribus *n* ardenti, fideique calore calenti,
Supplicibus donis his jungi poſce patronis;
Terrea qui ſpernis, & cælica pectore cernis,
Dic iſtis Sanctis, dic, flagita voce precantis *o*,
Promeritis dignis ignoſcite, quæſo, malignis,
Et veniam detis mihi, quem peccare videtis,
Ut merear ſiſti vobiſcum vernula Chriſti
Perfruar ut cæli modulamine mente fideli,
In terra natus, ſed ad æthera flamine latus,
Laudis habebo ſonum, vitale recepero donum,
Nullus ubi fletus, ſed lætus ad omnia cœtus.

n

o

reliquiæ Puteolis ablatæ.

5 Nec reor immeritò tantum theſaurum Puteolanos accolas perdidiſſe, & nobilium ædium ſtructuris labefactis, urbem penè vacuam profugis colonis permanſiſſe; ablatumque ab ea Famulorum Dei eximium corporaliter patrocinium præfatam Neapolim ſibi vendicâſſe: quoniam quidem, quos perverſæ non pœnitet actionis, ultio quandoque afficit temporalis *p*, & dignè pœnitentibus aderit etiam præmium mundanæ felicitatis. Quod promerentibus Sanctorum loculis Neapolites adeptus eſt civis, quorum pretioſiſſimus inibi tegitur cinis.

p

Sanata Sanctorum patrocinio mulier nobilis.

6 Hoc quædam eximiæ nobilitatis experta eſt mulier, Eruſcun *q* nomine, cùm nimia capitis & ſtomachi laboraret ægritudine: quæ non fruſtra, velut multi adſtruunt, Eruſum eſt nuncupata parentibus; criſis * ſi quidem Dorica locutione aurum *r* dicitur: &, quoniam contemplationi ſupernæ claritatis fervore inhiabat piæ devotionis, Aurea meruit * nuncupari ex ipſius officio actionis. Quam cùm intolerabilis capitis dolor, fumo undique crebri latera ambiente, inceſſanter afficiendo requieſcere nec ad modicum fineret, igneo tandem calore diſſolutus humor, vomitus execrabiles & penè letiferos generavit. Taliter itaque viribus ferè omnibus deſtituta nec non ſemiviva, ni-

q

* *al.* criſis & cruſis

r

* *Falc.* meruiſti

nihil ampliùs, quàm de morte, (triſtibus medicis) cogitans, patrem ſpiritualem ad ſe adcerſiri deprecans, ei, qualis & quantus eſſet languor, ſeriatim indicat. Qui ſolito more ſalubria adminiſtrans cœleſtium pigmentorum medicamina, Eia, inquit, de ſanctorum martyrum Eutychetis & Acutii corporibus à me tibi exhibitis ſuſcipe devotè particulas, quas reverenter reconde: nec non & orationibus & vigiliis inſiſtas, Miſſarumque peractis ſolemniis, capiti imponas: & ab eis tui languoris procul dubio deſideratam nimis accipies medelam. Cujus exhortationibus credula mulier, adimplere, quæ juſſerat, nihil diſtulit: ac per hoc extemplo, quanta foret Sanctorum virtus, recepta ſanitate, didicit. Unde nos ſupplices hujuſmodi petamus pura mentis intentione Patronos, ut nos liberent ab omni hoſtili incurſione, quorum meritis prædicta mulier ſalva facta eſt à propria ægritudine, opitulante Jeſu Chriſto noſtro Salvatore, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *In Ms.* pauciſſimis, *apud Falconium*, haud pauciſſimis, *quod procul dubio melius congruit hiſtoriæ, & menti auctoris, qui paulò antè in Actis dicit, hos Martyres* multo tempore *fuiſſe* patronos Puteolanæ urbis, *& quidem* corporali præſentia. *Hac de cauſa vocem* haud, *licèt nec in Mss. noſtris ſit, nec apud Caracciolum, ex Falconio addendam cenſui. Ceterùm Acta præmiſit auctor cum prologo; ſed ea cenſui omittenda, quòd auctor nihil addat Actis jam datis præter errores aliquot. Tranſlationem itaque ſolam recudo, quamvis ne hæc quidem multùm auctoritatis habere poſſit,*

ſit, cùm auctor ſit aliquot ſeculis poſterior, ut probavi in Commentario num. 41.

b *Conſtantinus imperator, cognomento* Copronymus *& Caballinus, defunctus eſt anno* 775 *in expeditione contra Bulgaros, teſte Theophane ad eumdem annum, ubi addit:* Mortem obiit vociferans, ac dicens: Etiam vivus igni nuſquam extinguendo addictus ſum *&c. Si pro* Romanæ urbis indigenis, *auctor dixiſſet,* Bulgaris crudeliter imperaturus advenit *&c., intelligerem, quid vellet dicere: nunc planè non capio, quid velit. Video tamen eodem ferè modo loqui Joannem Diaconum in Chronico in Stephano II, indeque omnia ferè accepta.*

c *Stephanum III Papam, Deſiderium Longobardorum regem; Carolum Magnum tunc regem, & poſtea imperatorem, & Stephanum II archiepiſcopum Neapolitanum ſimul floruiſſe anno* 770, *dixi in Commentario num.* 131.

d *Alludit ad nomen Græcum* Neapolis, *Latinè* nova urbs.

e Alterius, *urbis nimirum Puteolanæ*, ablato vertice, *id eſt, libertate & poteſtate, opinor.*

f Stephania, *de qua variis locis fuerunt plura dicenda, erat eo tempore eccleſia cathedralis.*

g Pyraterium *legitur in Ms. & apud Caracciolum, apud Ughellum mendo typotheta* pyraſterium. *Falconius edidit,* porphyratorium, *credens deſignari tabernaculum argenteum porphyretico diſtinctum. At ſuſpicor, vocem* porphyratorium *in nullo repertam fuiſſe Ms. Cangius in Gloſſario Latino-barbaro ad vocem* periſterium *locum allegat tamquam corrigendum, & legendum* periſterium *exiſtimat. Cangio conſentit Mazochius in Diſſertatione de Cathedrali eccleſia Neapolitana ſemper*

nica pag. 15, *totum hunc locum in Annotatis elucidare ſtudens. Verùm ipſius expoſitio mihi certa non eſt. Hoc verò certum, illa voce, ſive legatur* periſterium *ſive* pyraterium, *ſive alio quocumque modo vox fuerit ſcripta, idem ſignificari, quod voce* ciborium. *Hic autem utraque vox ſignificat umbraculum altaris columnis ſuſtentatum & elevatum, quod in faſtigiatam formam educebatur & totum altare contegebat, ut Cangius exponit vocem* ciborium.

h *Hic nonnulla oriri poteſt dubitatio, utrùm hoc altare in ipſa eſſet domo ſubterranea, ubi depoſita fuerunt* SS. Eutychetis & Acutii *corpora; an verò ſupra illam cryptam in ipſa eccleſia. Laudatus mox Mazochius locum ſic explicat, ut non modò hoc S. Salvatoris altare includat cryptæ, ſed geminum etiam ciborium intra eamdem cryptam altari ſuperimponat; meo quidem judicio improbabiliter. Exſtructa fuit crypta* dolatis artificum manu lapidibus, *inquit auctor, ibique recondita Sanctorum corpora. Cryptæ ſupra terram impoſitum fuit faſtigium excelſum,* columnis ambitum, *id eſt, circumdatum,* purpureis; *intra illud faſtigium erat & ciborium argenteum, & ſub ciborio illo altare S. Salvatoris: nec video neceſſitatem ſtatuendi geminum ciborium, aut omnia illa cryptæ includendi. Certè Joannes Diaconus in Stephano II unum memorat ab eo conſtructum* cyburium ex argento; *nec video dubitandum, quin ciborium iſtud argenteum principi altari eſſet ſuperimpoſitum.*

i *Tota eccleſia, etſi* Stephaniæ *nomen habuerit, ſanctiſſimo Salvatori dicata fuit. Nam laudatus Joannes de ejus combuſtione ita loquitur:* His peractis *à Stephano II,* eccleſia Salvatoris, quæ de nomine ſui auctoris Stephania vocitatur, divino judicio igne cremata eſt. *Erat igitur eccleſia ſanctiſ-*

Hiſſimo Salvatori ſacra, cui & hoc altare dicatum dicitur. Stephania *verò vocabatur à nomine Stephani epiſcopi. Verùm dubitari poteſt, utrùm nomen traxerit à Stephano I, an à ſecundo, aut etiam ab utroque. Laudatus enim Diaconus in Stephano I hæc ſcribit:* Hic inter alia bonitatis ſtudia fecit baſilicam ad nomen Salvatoris, copulatum cum epiſcopio, quæ uſitato nomine Stephania vocatur. *Itaque, ſi chronographo huic credimus, Stephanus I condidit eccleſiam, & combuſtam inſtauravit Stephanus II: à quo igitur* Stephaniæ *nomen fluxit? Mazochius in Annotatis ad Calendarium marmoreum die* XI *Aprilis magis exiſtimat, à Stephano II nomen* Stephaniæ *exortum, quàm à Stephano I. Præcipua ejus ratio eſt, quòd nullum vidit* monumentum Stephano II, hoc eſt octavo ſeculo, in quo Stephaniæ nomen uſurpatum repererim, *inquit.* At poſt Stephani hujus tempora nihil eſt eo nomine uſitatius. *Hæc ſanè ratio admodùm probabilem & veriſimilem facit opinionem de Stephano II. Fatetur tamen, Joannem Diaconum ſubinde uti nomine* Stephaniæ, *quando loquitur de illa baſilica in epiſcopis Stephano II antiquioribus: ſed aptè reſpondet, ipſum* per anticipationem *nomine uti ſuis temporibus uſitato. Hoc tantò magis facere poterat Joannes, quantò minùs noverat, ab utro Stephano nomen fluxiſſet: nam id ſe ignorâſſe, ambiguo loquendi modo inſinuat, dicens in præſenti tempore,* Stephania vocitatur, & uſitato nomine Stephania vocatur, *non* vocata fuit. *Ad hæc Mazochii argumenta, ad opinionem illam confirmandam, aliud adjungo. Volunt plerique ſcriptores Neapolitani, & Mazochius in laudata Diſſertatione cap.* 2 *ſect.* 1 *evincere conatur, baſilicam Salvatoris fuiſſe conſtructam à Conſtantino Magno. Hoc autem ſi verum eſt, non fuit*

auctor illius basilicæ Stephanus I, sed solùm instaurator, ut Ughellus, Chioccarellus, aliique locum Joannis Diaconi explicant. Imò suspicari possumus, errore solùm Joannis Stephanum I illius ecclesiæ conditorem statui. Nihil ferè scribit de Stephano I, cujus gesta ignoravit; & fortassè solo nomine inductus fuerit, ut crederet, basilicam S. Salvatoris ab ipso conditam.

k Analogium *vox Græca est, & pulpitum ad legendum significat. An id argenteum fecerit Stephanus II, ut asserit Raynerius, aliquot seculis posterior, certò edicere non ausim, tacente Joanne Diacono, præsertim cùm ingentes necessarii fuerint sumptus ad instaurandum ecclesiam combustam.*

l *Combustio ecclesiæ præcessit juxta ordinem, quem in narrando servat Joannes Diaconus.*

m *Inepta hæc sunt: neque enim servitia nostra tantùm præstare possunt Sanctis, ut angelis fiant majores. Alio longè modo loquitur S. Bernardus Sem. 5 in festo Omnium Sanctorum num. 5, ubi advertit, nostris elogiis, laudibus, festivitatibus parùm conferri Sanctis*, quos juxta veracem Filii promissionem honorificat Pater cæleſtis. *Additque:* Quòd eorum memoriam veneramur, noſtrâ intereſt, non ipſorum.

n *Hæc carmina eo ordine leguntur in utroque Ms. nostro, & apud Caracciolum. Apud Falconium omnia etiam habentur, sed ordine inverso.*

o *Hic videtur locandus versus secundus.*

p *Poterat auctor totam illam annotationem omittere: nulla enim revelatione cognoverat, cur Deus reliquias Puteolis Neapolim transferri fiverit.*

q *Hoc multis modis corruptum in Mss. est nomen. In uno* Eruſcun, *in altero* Eruſum, *apud Caracciolum* Eruſcuna, *apud Falconium* Cruſſura, Cruſcuna, *& in Annotatis*, Eruſcana, Cruſcura

ſcura, Cruſu; *in Prologo* Gruſu. *Videtur illa, cujus precibus Raynerius Acta horum Sanctorum cum tranſlatione ſcripſit, veriſimiliter ob ſanationem hic relatam.*

1 χρυσὸς *Latinis litteris* Chryſos, *dicitur* aurum. *Ex hoc autem loco, maximè cùm infrà dicatur,* Aurea meruit nuncupari, *colligitur, nomen ipſius fuiſſe* Chryſe, *aut ſimile.*

ERRATA SIC CORRIGENDA

Pagina 29 *lin.* 31 præſidiis-*lege*-præſidis.
Pag. 54 *lin.* 14 aliquot-*l*-aliquod.
Pag. 137 *lin.* 7 Hæc-*l*-Hæ.
Pag. 148 *lin.* 19 liqueſcat-*l*-liqueſcant. *Tum* rubeſcat-*l*-rubeſcant.
Pag. 274 *lin.* 6 ſunt-*l*-ſint.
Pag. 431 *lin.* m*lin.* 8 campago-*l*-compago.
Pag. 489 *lin.* 1 Gregorio duce-*l*-Sergio duce.

NOTITIA

FIGURARUM IN FORMA MAJORI

CHronographia regionis Neapolitanæ, Puteolanæ, &c. pag. 1.
Marmorea S. Januarii Epiſc. M. pro-

protome, Puteolis in eccleſia Capucinorum ſervata pag. 148.
Effigies gemina S. Januarii pag. 153.
Delineatio aræ, ſub qua S. Januarii corpus quieſcit pag. 160.
Pictura vetuſtiſſima altaris S. Salvatoris veteris in cathedrali Neapolitana pag. 255.
S. Januarii protome, in qua ſacrum ejuſdem Sancti caput includitur pag. 263.
Ampullæ cruoris S. Januarii pag. 264.
Ferculum ampullarum cruoris S. Januarii pag. 269.
Conſpectus abſidis Theſauri S. Januarii pag. 307.

FINIS

